

# BIBLIOTHEK

DES

LITTERARISCHEN VEREINS

---

IN STUTTGART.---

LIX.

*e* STUTT GART.

GEDRÜCKT AUF KOSTEN DES LITTERARISCHEN VEREINS.

1861.

**PROTECTOR  
DES LITTERARISCHEN VEREINS IN STUTTGART:  
SEINE MAJESTÄT DER KÖNIG.**

\*

**VERWALTUNG:**

**Präsident:**

**Dr A. v. Keller, ordentlicher professor an der k. universität in Tübingen.**

**Kassier:**

**Dr Zech, ordentlicher professor an der k. universität in Tübingen.**

**Agent:**

**Fues, sortimentsbuchhändler in Tübingen.**

\*

**GESELLSCHAFTSAUSSCHUSS:**

**Dr Böhmer, stadtbibliothekar in Frankfurt a. M.**

**G. freiherr v. Cotta, k. bayerischer kämmerer in Stuttgart.**

**Dr K. v. Gerber, kanzler der k. universität in Tübingen.**

**Hofrath dr Grimm, mitglied der k. akademie in Berlin.**

**Dr G. v. Karajan, vicepräsident der k. akademie in Wien.**

**Dr E. v. Kausler, vicedirector des k. geheimen haus- und staats-  
archivs in Stuttgart.**

**Dr Klüpfel, bibliothekar an der k. universität in Tübingen.**

**Dr O. v. Klumpp, director der k. privatbibliothek in Stuttgart.**

**Dr Maurer, ordentlicher professor an der k. universität in München.**

**Dr Menzel in Stuttgart.**

**Dr Pauli, ordentlicher professor an der k. universität in Tübingen.**

**Dr Wackernagel, ordentlicher professor an der universität in Basel.**

DES GRAFEN  
*Count of*  
WOLRAD VON WALDECK  
TAGEBUCH

WÄHREND DES REICHSTAGES ZU AUGSBURG

1548

HERAUSGEGEBEN

VON

DR C. L. P. TROSS.

STUTT GART.

GEDRUCKT AUF KOSTEN DES LITTERARISCHEN VEREINS  
NACH BESCHLUSS DES AUSSCHUSSES VOM OCTOBER 1859.

1861.

Gen 1655.18  
~~14594.33~~

1863, Aug. 28;

Gray Hund.

DRUCK VON L. F. FUES IN TÜBINGEN.

ITINERARIUM  
WOLRADI COMITIS A WALDECK  
IN PROFECTIONE  
AUGUSTANA  
ANNO DOMINI 1548.



C. D. T. T. C. M.

IN DOMINI MISERICORDIA VIRTUS MEA.

## WOLRADT COMITI IN WALDECK

WALDECK iv JUNII ANNO SALUTIS  
MDLXIII.

S. Audieram comes illustrissime, clementissime domine C. T. abesse peregre. Hæc absentia mihi perquam accommoda occasio visa fuit me diutius oblectandi in chronico tuo. Quare si quid peccatum est, ea potius culpa genio libri omnimodam varietatem spiranti et ceu lectorem retinenti, quam mihi imputanda venit. Ago tamen C. T. gratias immortales et quo faciliorem demerear, epigrammation qualecunque clementer accipiat et legat.

Imperii procerum sævo cum Cæsare bellum  
 Gestum pro pura religione Dei,  
 Crede mihi, vena quantumvis paupere scriptor  
 Nemo voluminibus dixerit exiguis.  
 Tristia conatus infausti germina spectat  
 Fœcundi miseræ relliquiasque mali:  
 Quanta vides foliorum examina, denique quantum  
 Historiæ veræ texerit autor opus;  
 Ista tamen celeri calamo dedit omnia clarum  
 Eubulus comitum nobiliumque jubar.  
 Aspice susceptos, quisquis legis, ista labores  
 Excute pro vera facta pericla fide.  
 Disce graves animi luctantis corpore pugnas  
 Quidque sit in solum fidere posse Deum.  
 Hei mihi quam pauci similes sensere dolores,  
 Quamque tenet modicos hic pietatis amor!

Valeat C. T. et calamo properanti ignoscat.

R. Trygophorus.

1\*





Duodecimo Martii exhibita est citatio Caroli Quinti Cæsaris Augusti, qua dictus Comes Wolradus ob malevolorum invidiam citatus fuit.

iiij Aprilis Corbachio profecti ibidem comites Philippum juniorem et Joannem fratres et nepotem præstolantes. Faxit Christus opt. max. ut fausta sint omnia!

iv Aprilis Philippus et Joannes fratres nostri et Samuel nepos Hermannum a Wolmerkhusen, Joannem Milchlingum a Schonstad seniore, Henricum nothum a Waldeck, Wendelinum Carbonarium, Philippo et Joanni fratribus a secretis, Hermannum Nellium Sperantem Wolrado, et Joannem Hake Philippo seniori comiti a Waldeck a secretis, in consilium adhibentes, de mole negotiorum ac an comiti Samueli, quod non citatus esset, utile foret, nobiscum Augustam proficisci. Nobis autem non parvas ob causas instantibus ut domi maneret, tamen pervicit patris ipsius præceptum ac Samuelis voluntas, ut nobiscum profectionem susciperet.

v Aprilis charissima relicta uxore ad Fuldæ vadum vulgo die zur Vhar Eubulus contendit, ubi dominam socrum a Schwarzburg reperit, quæ viaticum in itinere mutuum dedit florenos mille. Cæteri autem comites in Heyda, olim virginum vestalium cœnobio, pernoctati sunt.

vj Aprilis Eubulus socrui bene precatus eam Waldeciam ad uxorem et filiam misit, ipse cum cæteris comitibus Marxsulam proficiscitur.

Inter Vhar et Heydam Joanni Milchlingo seniori et Hermanno Nellio Speranti rerum domesticarum ac regionis curam commendans in Heyda quoque dati sunt fratribus per Hermannum centum et sesquicentum thaleri in subsidium annui redditus, qui nunc matris vitalitiis exilior redditus est.

Marxsulæ a pandochæo, cui nomen Otto Schwenck, fratres nepos et ego infantem, quem illi uxor sua eo die perpererat, e sacro fonte levare rogati sumus. Puero nomen inditum Gotthilf.

vij Aprilis a Marxsula Meiningen contendimus, quo cum pervenissemus a dominis de Henneberg Masfeldam accersiti, apud quos et

cœnati sumus et pernoctavimus. Est enim Meininga ditionis hennebergiæ, olim et diœcœseos et domini herbipolensis.

viiij Aprilis, quæ erat dominica Quasimodogeniti, Masfeldæ concionem sacram magistri Philippi ecclesiastæ aulici audivimus, qui pie pariter ac docte ex capite ultimo Joannis de sollicitudine Christi domini et salvatoris nostri pro suis illi fidentibus, de ablegatione apostolorum, de potestate remissionis peccatorum, item in quem usum historia resurrectionis dominicæ tanta diligentia ab evangeliographo Joanne conscripta sit. Nimirum quo omni incredulitati renunciantes per fidem Christi mortem apprehendentes ipsius domini nasci, vivere, mori et resurrexisse, nostrum esse certo certius credamus, ut vitam consequamur in Christo Jesu æternam, docuit. Fiat! Amen.

Consilium dominorum a Henneberg Wilhelmi patris et Georgii Ernesti filii, primo illis ex re et pernecessarium videri, ut pareremus citationi et mandato Cæsareo, non unam ob causam. Item illis videri ex iis, quæ illis ostendissemus, nos facile a nobis depulsuros objecta.

Contra illusionem episcoporum a trevirense et coloniense remedium fore, ut causa ad status imperii examinanda et judicanda referatur. Sic enim eos præ pudore non audere, quæ forte occulte sedentes in insidiis molirentur. Item non præter rem fore, si de mandato nobis non insinuato Cæsar certior redderetur de alteratione feudi, quia omnia, quæ possideremus, Cattorum principis feudum sint, rogaremus Cæsarem, ut nostræ conditionis et honoris rationem habere dignaretur. Sin vero Cæsar acrius instaret, ipsemet illæso nostro et juramento et honore cum Cattorum principe hæc transigeret, Et sic nos neminem lubentius ac ipsum imperatorem pro domino feudi agnituros. Posteaquam igitur Masfeldæ opipare satis pransum est, literis intercessoriis a patre et filio ad Joachimum marchionem brandenburgensem electorem etc. et Wilhelmum comitem a Nassaw acceptis, post secundas etiam mensas multo lyæo perfusas, dimissi Konigshoven contendimus.

Konigshoven herbipolensis episcopi urbs est et castrum. Ibidem a senatu vino honorati sumus.

ix Aprilis in Bunach super Bunichium fluvium pervenimus.

x Aprilis Bunacæ jentaculum sumpsimus ac Christophorum a Dernbach, qui nobis dux viæ a dominis a Henneberg datus erat, cum literis et honorario dimisimus. Ipsi nos Forchemium iter arripientes inter Bunacham et Bambergam Mœnum transvecti sumus.

Eodem Forchemium circiter secundam pomeridianam devenimus,

ubi symbolum electoris ducis Joannis Friderici parieti ascriptum legimus: Tout mon esperance à Dieu le tres puissant, ac subscriptum: Helff dir Gott aus aller Noith, Amen. Electoris autem symbolum scriptum erat anno 1532.

Ibidem fama ferebatur, articulum de utraque specie sacramenti consensu omnium imperii statuum conciliatum esse, ea tamen lege, ut qui sacram synaxin sub una specie accipere velit, liberum illi foret. Hoc si factum est, nostros huc spectasse arbitror, ut infirmis et maxime exteris nationibus per piam charitatis dispensationem ad tempus conniveant, Papistis vero impenitentibus ita laxentur habenæ, sicut Christus ad Judam ait: Quod facis, fac citius. Nihil enim nisi quod suum est quaerunt, in hoc subdole consentientes, quod juxta Christi institutum aliter fieri non potest.

Nota de nuncio Cattorum principis qui nos sub vesperam eo venturos dixerat.

xj Aprilis Forchemii jentaculo sumpto Norinbergam contendimus. Adesto nobis, qui pascis velut ovem Jacob.

Eadem circiter primam parvi horologii Norinbergam venimus, ubi primum Krelium hospitem alloquens, ex eo sciscitatus sum, quænam ex me sinistre in Cæsarem dicta superioribus annis, cum in ædibus suis diversarer, audivisset. Is persancte in præsentia Joannis fratris juravit, se nihil quod imperatori onerosum esse posset, audivisse. Quod et ipsum et hospes Forchemii testatus est. Deinde de domini Viti valetudine ipsum interrogavimus, quem ita podagra teneri, ne domo egredi posset, accepi. Assumptis Joanne fratre, Joanne Milchlingo juniore et Adriano, Vitum domi suæ invisio, cum illo brevibus multa conferens, uxorem ejus quatuor aureis dono. Ex hoc certior factus sum de morte Joannis Pomerani parochi witebergensis, qui in propriis ædibus gradu decidens suam vitam finivit, meliore nunc auspice Christo cum omnibus sanctis fruens.

Nota de literis interceptis Viti et Osiandri ad Brentium, et Philippi ad Vitum, quæ et ad Cæsarem delatæ sunt, et Theodori literarum argumentum senatui norico missum, qui, ne Vitus molestaretur, viginti millia aureorum Cæsari numerarunt. Narravit item Vitus nobis de fuga Brentii, cum miles hispanicus in Halam Sueviæ irrueret, et quod literæ, quas Brentius in triclinio oblitus erat, primum ad Malvendam delatæ essent, et quod vix unus ex civibus Halæ repertus sit, qui uxorem et liberos Brentii hospitio excipere dignaretur. Item de morte Hoffmei-

steri colmariensis monachi, quomodo phrenesi correptus per dies aliquot vociferatus sit: Damnatus sum, perditæ docui, a magnis persuasus sum. Et quanquam per syndicum colmariensem admonitus sit, se nihil perperam docuisse, tamen sibi male conscius nullam consolationem admittens, tandem sic vociferando animam exhalavit.

Ab eodem Vito didici, Brentium rursus Halæ concionari, verum cum ab Ibero aliquo publice in templo sibilis, cachinnis et nescio quibus ronchis molestaretur, paululum suo officio supersedit. Nunc, sed pro dolor ut res ipsa docuit, breve tempus suo fungetur munere.

Accepimus quoque filium Georgii Majoris, qui rabidi canis morsu perierat, non fuisse eum, quem Ratisbonæ vidimus. Tandem, ne bono viro nimis molesti essemus, illi valediximus, bona insuper nobis invicem precantes. Donavit vero nos dominus Theodorus psalterio germanico, quod ipse cum suis summariis excudi curaverat, ac nomen propria manu ascripsit.

Sub cœnam Vitus per filiolum suam Margaretham fratribus et nepoti ac uxori nostræ singulis psalterium cum suis summariis dono dedit, Ebulum autem libro concionum suarum, cui titulum die Kinderpredigt, donari fecit et expositione sua in Esaiam prophetam honoravit.

Ibidem de adversa valetudine principis nostri certiores facti sumus. Georgius Volckmarus senator et patricius Norinbergensis nobiscum cœnavit. Senatus vina quoque nobis propinavit.

Domino Vito uxor est Magdalena nomine, filios habet Vitum, Paulum, Philippum, filias Margaretham, Mariam.

Norinbergæ adhuc est doctrina pura evangélii, verum ecclesiastæ a senatu rogantur, ut a carpendo quosque nominatim abstineant, nimirum ea de causa, quod adversariis mala nobis inferendi voluntas non desit, si qua detur occasio et bona in speciem in malum interpretandi.

Doctor Vencelaus Lynck anno superiore vita hac, feliciorē fructurus, excessit.

Norici accusati, quod protestantibus triginta millia aureorum dono dederint, quo animum rugientis leonis demulcerent, iidem triginta millia coronatorum dono dederunt.

Rothger uff der Burgk aurifaber apoplexia tactus est, verum adhuc superest et vescitur aura ætherea.

Eberhardus Ebnerus nomine norinbergensis senatus equitem nobis adjunxit, cujus ductu Weissenburg deducti sumus.

Libros a domino Vito datos Georgio Weiden compingendos dedimus.

Domine Jesu, cum ipsemet sis veritas, in veritate quoque patris tui locatus sis, neminem ex nobis miseris mortalibus sua anxia sollicitudine vel sibi cubitum longitudinis adjicere posse, ita volens nos de nostra vana ac stulta cura et inutili tristitia ad cogitatus nostros in te rejiciendos allicere. Te rogamus pater et redemptor, da nobis ferre, quæ juste patimur, tibi fidere et a te omnis rei eventum expectare, qui vivis et regnas etc.

xij Aprilis ex norica urbe dum abitum paramus, singularis doctrinæ et prudentiæ pietatisque summæ vir Hieronymus Baumgartnerus senator et patricius norinbergensis nos convenit, qui inter cætera hæc nunc esse tempora ait, ut nemo amico vel per mutos nuncios, quid intus ferat, aperire possit, et se vereri, multos hæc tempora productura martyres.

A Norinberga Weissenburgum im Norkaw iter arripuimus. In via est oppidum Schwabach cum castro a coquenda cerevisia celebre, ditionis marchionum Ansbach. Item castra Annenberg episcopi eichstatisensis et Illingen magistri teutonici, qui natione Cattus ex stemmate de Milchlingen, cui nomen Joannes, licet nimis gratiosus (ne quid durius de Jovis filio dicam) in patriam fuerit. Visitur et arx Heydeck.

Weissenburg urbs est imperialis a Norinberga miliaria septem distans, olim per exconsules norinbergenses regebatur. Nunc vexilla militaria ante portas suspensa, quis hujus urbis potis sit, satis demonstrant. Misere enim cives, dum non ocuis inconsultis Noricis Cæsarianis portas reserant (licet in gratiam recepti,) tamen hoc incommodo multantur, ut hebdomadas novem duo milia Iberorum, quos militariter equites levis armaturæ dicunt, et hospitio excipere et alere cogentur, quorum major pars hospite insalutato abiit. Retinetur adhuc apud illos doctrina verbi pura, at, proh dolor, fama fertur, multos pseudoverbi ministros derelictis uxoribus amplecti et seculum ac velut sues se rursus eodem volutare volutabro luti.

Hic quoque principem nostrum adhuc Heylbrunnæ non admodum prospera valetudine teneri didicimus.

Qui dedit incipere, is quoque rerum eventum novit.

Hospitati autem sumus apud Petrum Eyden, quæstorem ærarium.

Quoniam vanitati humanæ proprium est, dum longe a periculo abest, omnia sibi facile persuadere, ut primum autem cruci vicinior fit,

caro et sanguis nihil præter pulverem suum sapiat, te, domine sancte pater, humillime deprecamur ingruente nunc necessitate, da nobis tibi fidere atque ut juxta tuum præscriptum in silentio et spe animas nostras possideamus, per Jesum Christum dominum nostrum, qui vivis etc.

xij Aprilis a Weissenburg Donowerdam profecti sumus. Inter Weissenburgum et Werdam ad Danubium est Manheim oppidum, olim ducis Ottonis Henrici Palatini Bauari, quo eum Carolus Cæsar ob assertum evangelium cum reliqua ditione exiit anno 1547. Est et abbatia Keitzen.

Est et inter Manheim et Weissenburg pagus Colberg, inter quem et alterum pagum Niderbach fluviolus Ursula est. In hoc fluvio, dum aquatio fit, caballulus meus in fluvium subsidens. Ego itaque mox decidens ad lævam in peristrophio altera tibia pendens et a caballulo læsus et aqua submersus fuissem, ni Dei bonitate et opera Ludovici famuli mei, Samuelis quoque mei nepotis et fratrum auxilio in pedes conjectus et eductus fuissem. Benedictus dominus Deus, qui nos extraxit ex aquis multis.

Donwerdæ apud Leonardum Widdenmarcker in insigni leonis deaurati, in eo hospitio, quo Cattorum princeps et dominus noster clementissimus captivitatis suæ hebdomadas decem et novem transegerat, hospitati sumus. In eodem hospitio princeps insumpserat duo milia et trecenta florenorum. Domina princeps nostra apud eundem hospitem, dum Augustam tenderet, dies decem et quatuor morata est. In eodem hospitio veredarium nuncium ducis Mauritii Electoris invenimus.

Eadem magister Florus, quem Augustam præmiseramus, Werdæ ad Danubium nobis obviam fit, indicans, qui se res Augustæ haberent.

Werdæ in hibernaculo et cubili, ubi princeps noster mansionem suam habuerat, pernoctabamus.

Augustæ una cum Coloniense in nos querelis et dolis armati erant Mainolphus bis profugus Flechtorfii abbas, consules Volckmarienses, barones de Beuren, Breidelarienses monachi, Batbergii etc.

A Werda Neuburgum arx ducalis et oppidum amœnissimum, quo et ipse Cæsar Otthonem Henricum exiit, distat miliaria tria. Et is locus est divi Joannis Diazii Hispani martyrio sacer.

In hoc oppidulo habitabant fratres Arnoldi secretarii ducum Bavarie. Horum ædes Cæsar funditus loco demoliri et nunquam reædificari per heraldum edixit.

Relatum nobis est ibidem de duello pugnali Georgii et Melchioris N.

Werdæ splendidissimæ Fuggerorum ædes visuntur. Adhuc ibidem evangelii doctrinam retinent.

Intelleximus et a hospite Simonem a Wende non adeo bona valetudine in patriam venisse. Werdensis civitas a Weissenburg miliaria quinque, ab Augusta sex distat. Ante portas urbis die Warmitz in Danubium influit.

xiiij Aprilis a Werda ad Danubium recta Augustam Vindelicorum tendimus. Quæ in via inspicienda erant, si Deusnaverit, in reditu ad patriam considerentur.

Augustæ circiter secundam pomeridianam hospitium intramus, infra tertiam et quartam horas cum Wendelino, Liborio ac Melchiore consilium initum.

Adrianus a Zertzen Ericum nothum a Zertzen expiscari misit an Wolradus quoque adesset.

Coloniensis polypum agit.

Liborius et Melchior missi sunt ad comitem Wilhelmum de Nassau, ut eum et de adventu nostro certiores facerent et quid facto opus putaret, ediscerent. Injunctum quoque est illis, ut comitis Samuelis meminissent. Iidem reversi, quid dixerit comes de Nassau, retulerunt, ac ejus nomine nos ad cœnam invitarunt. Ac paulo post comes ipse advenit, volens hospitium nostrum accedere, verum nos, ut decuit, illi obviam facti eum in domum suam comitati sumus. Apud hunc cœnati sunt Conradus a Beumelburg eques auratus, natione Cattus, junior comes Ernestus a Solms, Hartmannus a Cronenburg, Adrianus a Zertzen et Wolf Welbergk, gener equitis a Beumelburg, comites a Waldeck quatuor.

Obtulimus comiti Wilhelmo litteras domini senioris a Henneburg. Wilhelmus ingenue et confitetur et testatur amorem veritatis evangelicæ.

Nota de Maximiliani de Beuren mensa, ad cujus unum latus missam celebrari fecerat, et in eodem loco sex millia nummum alea perdidisse, ad alterum latus scorto se immiscuisse et alea quatuor millia coronatorum recuperasse gloriatus sit.

Comes a Nassaw tam fideliter consuluit, ne Coloniensis causa hic examinaretur.

Ferdinandus rex et Ulricus wirttembergensis dux litem contestati sunt.

Potentissime Deus, qui solus Ecratori potentior es, mitiga cor ejus ac da nobis subsistere ac nominis tui gloriam expetere, per dominum etc.

Adsunt Augustæ Romanorum imperator et rex, electores ambo

Saxoniae, Joannes Fridericus captivus et Mauritius corpore liber, elector treverensis, moguntinus, coloniensis, cardinalis tridentinus et augustanus, marchio elector et Joannes ejus frater, nec non Albertus brandenburgensis, Wilhelmus Bavariae dux cum Alberto filio et omni gynaeceo suo, Ericus et Philippus duces a Brunshwig, et Ernestus a Grubenhagen etc. comes a Nassaw, domina princeps Hassiae, elector Mauritius, episcopus eichstatensis, Fridericus Palatinus elector, saltzburgensis episcopus, coloniensis, trevirensis fere ex ordine hospitia vicina habent.

xv Aprilis, quae erat dominica Misericordias Domini, animo statuimus, si daretur, concionem sacram Musculi audire. Is in templo Mauritii sacro de verbis Christi ex Joanne »Modicum videbitis me, et modicum non videbitis me«, item »Vos non relinquam orphanos« etc. item »Vos videbitis, mundus autem non videbit« luculenter et pie disseruit, edocens, quanto amore Christus suos prosequatur, qui sint orphani quoque ostendit. Ad hæc quam dulcis sit consolatio piis animo hæc verba volvere, scilicet »Alium paraclætum mittam vobis.« Item et omnes pii consolationem hinc capere possint, Deum benignissimum patrem non relicturum sibi fidentes orphanos.

Eadem apud comitem Guilielmum pransi sumus. Adfuerunt comes a Nassau, comes Philippus ab Eberstein, qui anno superiori in sodalio Packmohr fuerat. Doctor Vaix, cancellarius Mauricii electoris.

Proverbium italicum, quod, proh dolor, et hoc ævo Germanis peculiare est: Homo mortuo ne faye guerra, Ein thodt mann fahtt kein krieg an.

Eadem eo quod annuus dies esset in perpetuum Germanis lugendus et atro signandus lapillo, quo illustrissimus Joannes Fridericus elector ad Albim, fuga sibi consulente exercitu ejus ac magna procerum ejus parte ab eo ad hostes deficiente, cum paucis sibi fidis captus esset, excubitores ac reliquos Hispaniae peditatus, quibus mos est bombardis stipendi amereri, ter ante hospitium ducis electoris in modum circuli coeuntes sonitu terribili coelum usque pedante sulphure et pulvere armentario præ lætitia gestientes et ovantes eam victoriae suae esse diem testati sunt. Fortissimus autem dux e fenestra prospiciens nebulonum insaniam risit.

Papa Parmam et Placentiam urbes, ob quas bellum inter papam et Cæsarem exoriri timebatur, ad manus Cæsaris resignavit ea lege, ut filii papæ harum civitatum gubernatores permanerent. Sic Cretensis Aegonitæ commissus novit comminisci dolum.



Eadem in hospitio cœnavimus. Cum Coloniense nihil agi potuit.

O domine Deus, qui solus sapiens, solus potens, frange furorem unicornium, da fide et ferendo omnia superare per Jesum Christum, dominum nostrum!

Wilhelmus junior comes de Witgenstein persuasus a Reinhardo comite a Solms se ipsum Augustæ in nassam mittit, nesciens nomen suum in catalogum eorum, quos rebellantes fidei et justitiæ pro rebellibus ducunt, adscriptum.

Missa est basis salutis nostræ, si rite celebretur, nam in ea accipimus id quod dominus Jesus nobis promisit, quod fide apprehendentes vitam consequimur sempiternam. His verbis W. C. dum quidam aulici semidei mensæ suæ assidentes querularentur, multa enormia a nostris in suas missas jactari, perstringentes <sup>1</sup> Martinum Frechtum Ulmæ et alios aliquot perstringentes, ille crabrones irritare nolens, offulam hanc objecit, non tam quo Cerberi buccam impleret, quam quo pio dolo istud genus hominum ab ejusmodi calumniis avocaret. Nam cum is diceret de recto missæ usu, illi (ut parvi ipsis fit pietas) ad alia sermones vertunt.

xvj Aprilis Melchior apud Atrebatensem pro responso sollicitavit, comes quoque Wilhelmus Coloniensis hospitium petit. At episcopus ex hesterna potatione debilior lecto adhuc hærebat.

Eadem, quoniam dies termini erat in mandato citationis conscriptus, consilium petitum a domino de Nassau, quidnam agendum foret. Is nos ad doctores Marquardum et Hasen remittit. Hi ambo se nobis faciles præbuerunt, dicentes optime a nobis factum, quod nos ipsosmet Augustam contulerimus, et sperare, id nobis in melius cedere, et se archiduci et cæteris consiliariis nostram præsentiam indicare velle, quo nostri apud Atrebatensem supremum cancellarium hii meminisse velint, ac is de adventu nostro certior fieret.

Requisitus est quoque a nobis doctor Carolus Harst Clivensis consiliarius, cui voluntas nobis inserviendi non defuit, sed calculo enecatus domo prodire non potuit.

Magister Liborius Florus syndico Augustano doctori Nicolao Maier literas Justini Gobleri exhibuit, qui se nobis ad omnia paratum fore obtulit.

Doctores ajebant, nihil periculi fore quod præsentem adsimus, si non accusaremur a præsule Coloniense.

Doctor Hase Liborio injunxit, ut ad nonam in loco consilii adesset.

\*

1 perstringentes zu tilgen. W. C. ist wohl graf Wolrad.

Eadem Adrianus a Zertzen et comes a Nassau, quos sperabamus nobiscum ad consilii locum adduci posse, ad horas aliquot in hospitio non sunt reperti.

Nota. Comitem de Nassau per Melchiorem Linden nobis significasse, hoc die nobis Coloniensem nihil obstiturum. Ast post sesquihoram quod subscriptum est, responsum accepimus.

Misit comes a Nassau magistrum Wilhelmum illi a secretis ad hospitium nostrum, ut suo nomine nobis indicaret, Coloniensem misisse ad ipsum comitem in aedes magistri teutonici consiliarium quendam, qui illi hoc responsum nos concernens attulisset. Quoniam hodie terminus sit, Coloniensem mandatum quidem producturum, sed spe solum concordiae, hoc est, si res per amicitiae viam inter nos agi non queant, juri suo cessisse non videatur, sin componi queant, se executionem mandati non petiturum. O vulpeculam vertice glabram!

Et hæc quoque Coloniensis sententia mutata est, terminus quoque in crastinum protractus.

D. Nicolaus Maier syndicus augustanæ urbis commendatitias literas nobis transmisit, quas pro causa nostra ad doctorem Joannem Marquard scripserat, offerens se crastino ad horam quintam nos conventurum.

Coloniensis (si creditur) crastino sexta nobis bona consulturus.

Sesqui quinque centena millia τῶν κρατηρῶν Bavaro et antistiti quinquaginta tria millia nummum Augustani penderunt.

Eadem Alberto marchioni literas domini de Henneberg per Joannem Milchlingum misimus. D. Viglius Zuichenus etiam suam operam nobis promisit.

Ernestus Brunswigiæ dux, cum equo gradus conscendere tentasset, crure læsus hic decumbit.

Judica, domine, causam meam et da mihi in mentem et os quid loquar coram gigantibus et filiis hominum! Ne des in opprobrium confidentes nomen tuum! Domine Jesu, qui ad patrem abiens sancte pollicitus es, te tuos non relicturum orphanos, habe curam relictorum domi et mei, propter tuam ipsius bonitatem.

E regione Augustæ trans Lycum visitur Friburga in Bavaria.

xvij Aprilis. Post quintam ad hospitium nostrum licentiatu Maier, olim monasteriensis cancellarius, qui pridie venire non poterat, venit. Ne autem opera sua nobis deesse videretur, per literas nos apud d. Marquardum commendavit. Is igitur singula, quæ ad causam facerent, a nostris edoctus, fideliter consilium suum nobis impartitus est. Verum

dux verbi esse in auditorio ob multas causas non audebat. Viam tamen parare apud Marquardum, comitante ipsum Floro, satigit. Maier interrogavit, num scirem d. Bucerum adesse. Respondi me quidem accepisse, ipsum hic fuisse, sed reversum Argentoratum. At ille ait, adhuc hic degit et vereor illi nullam facultatem abeundi per Cæsarem concedi.

Melchior Carolum Harst clivensem consiliarium adiit. Carolus paulo post Atrebatensi adventum comitum Waldecensium indicavit, qui mox interrogavit, num is quoque adesset, qui colloquio ratisbonensi interfuisset. Ait Carolus: Omnes qui citati sunt (nullius nomen exprimens) adsunt. Deinde latius Atrebatensis cum eo conferens inquit. Quare domini tui maxime his temporibus arma capiunt in coloniensem episcopum? Respondit Carolus: Domine præsul, alia fiet informatio. Bene, bene, inquit episcopus, necesse est ut se expurgent.

Ad sextam Coloniensis (si creditur) jam factus amicus adeundus erat, sed nihil effectum est.

Inter sextam et septimam comes a Nassau et Adrianus a Zertzen apportaverunt (ut vulgo dicunt) scriptum compromissi inter Coloniensem et nos, jubentes id perlegi, quo ad mundum scribi possit et sigillis corroborari; quod scriptum quam iniquum et acerbum fuerit, eventus edocet, sed (proh dolor) omnia modo devoranda sunt.

Sub octavam fratres et ego (nam Samuel negotio se intermittere noluit) habitationem domini Maximiliani archiducis adimus, ibidem usque ad nonam horam expectantes; tandem venere Colonienses, et hi intromissi sunt in auditorium et paulo post nos per ostiarium intro vocati. Illic archiepiscopus coloniensis per advocatum quendam in termino mandatum pœnale produci fecit, ea tamen mitigatione, ut testaretur, se spe concordiae petitioni executionis modo supersedere; si tamen causa inter partes, ut jam cœptum esset, per arbitros et viam (ut loquuntur) amicitiae transigi non queat, se protestari, ipsum hoc facto juri suo cedere nolle, rogans, ut hæc ita per scribas annotarentur. Præsides et concilium hæc ita ascribi et signari jusserunt. Ad hæc magister Liborius Florus (nam alium nancisci non potuimus) brevibus respondit, et nos obedientes comparere in termino, ac posteaquam Coloniensi sic placuerit, nos idem recipere cum protestatione, si negotium per amicos transigi non possit, ut et nobis juri nostro stare liberum foret, idque sic signari petivimus. His peractis utrinque paululum abcedere jussi sumus.

Ablegatis igitur Coloniensibus nos revocati et ibi per Marquardum, qui erat dux verbi, nomine auditorum dictum est. Quod ad causas inter

comites et Coloniensem attinet, suum habere modum, idque sic Cæsari referendum. Verum comites quoque citatos ob id, quod duci Saxoniae, Cattorum principi ac protestantibus Schmalkaldicæ unionis militaverint et rebellionis anno superiore se obnoxios reddiderint etc. Ad hæc Liborius respondit, nos quanquam magnis et variis negotiis domi occupati nec ab hostium quoque incursionibus liberi, tamen magno nos Augustam contulisse, quo cæsareæ majestati obedientiam præstaremus; quod vero ad causam ipsam attineret, archiduci et cæteris notum esse, quod nostri ante menses plus sex in nostri excusationem in medium adduxerint et protocollo inscriptum sit. Tum d. Marquardus interrogavit, dicens: Num et alia præter ea, quæ tum adduxistis, vobis adferre est animus? Respondum a nostris, habere quidem nos plura, quæ ad excusationem nostri faciant, verum ne domino archiduci et cæteris molesti essemus, nos petere, ut sua celsitudo et alii consilarii ea relegere, quæ super his in protocollo signata essent, dignarentur et imperatoriæ majestati nos commendatos habere.

Post exigui temporis intervallum Marquard respondit, archiducem præsentiam nostram et petitionem cæsareæ majestati, quam primum fieri posset, relaturum et eundem d. præsentem, ut Cæsaris decretum in hoc expectaremus, jubere. Petitum etiam a nobis, ut petitionis Coloniensium nobis copia per scriptum fieret.

Eadem Ottho comes a Rethberg, Ernestus a Solms et cancellarius archiepiscopi bremensis, Henrici ducis a Brunshwig procurator contra Goslarienses et comites waldeciani apud comitem Wilhelmum de Nassau pransi sunt.

Ubi dum Eubulus comiti a Nassau narrat, ipsum marchioni Alberto a Brandenburg nomine dominorum a Henneberg literas Franciscum Dalwig concernentes obtulisse, en mox comes Wilhelmus ad principes aliquot vocatus, inter quos et ipsum marchionem jam contra me querebam instituentem ob clientem suum Dalwig rogantemque principes aliquot, ut illi astare velint, nam ipsum apud Cæsarem me accusaturum, reperit. Præterea quicquid Waldecis incommodare possit, ad hoc se paratum esse gloriatus est. Literæ enim dominorum a Henneberg illi bilem moverant. Sed tamen rogatu comitis de Nassau eo devenit, ut is inter marchionem et me arbiter existeret, sicque mitior redditur Albertus ille Mero (marchio volebam dicere).

Eadem dominam principem convenimus eam utcunque solantes brevibusque multa cum ea conferentes.

Memento, pater cœlestis, bonitatis tuæ immensæ et afflictionis nostræ, nutantia genua erige et nos in fide, timore et amore tui corrobora.

xviiij Aprilis summo mane Liborius Marquardum, Melchior Hasen doctores consultum abiere. Hujus consilium fuit, ut Atrebatensem adiremus ac tentaremus, an ipsum archiducem coram alloqui possemus. Item regem Ferdinandum alloquendum a nobis esse, non tamen illi consultum videri, ut ante unum aut alterum diem pro responso sollicitaretur. Nam archiducem quidquid per Waldecios scripto oblatum sit, quam primum commode fieri possit, cæsareæ majestati relaturum. Hasonis quoque consilium erat, ne tam celeriter responsum peteremus.

Eadem Adrianus a Zertzen remotis arbitris nos alloquens, venit, tonitrua minarum ex ore (ut ipse agebat) Mauritii electoris et Alberti marchionis afferens. Quæ dicebat, fere ejusmodi erant, Mauritium electorem multis audientibus dixisse: Num etiam Wolrad comes a Waldeck adest? Ac ubi Adrianus respondisset »Imo adest«, Mauritium dixisse: Si ea perpetrassem, quæ comiti huic intentantur, ne termini quidem imperii mihi satis ampli essent, intra hos iram Cæsaris expectare, et nisi peculiari salvo conductu provisum sit comiti, consultum illi velim, citius se hinc arriperet; atque his verbis adeo permotam fuisse Lantgraviam, ut Adrianum amice rogasset, curaret ut quam ocius hæc rescire possem. His auditis primo nonnihil animo turbatior fretus sum, fretus tamen Dei bonitate ac libera conscientia has minas contempsi, respondens Adriano mihi non probari electoris consilium, verum me experturum, quisnam sit, qui mihi in faciem malefactum aliquod intentare audeat. Hortatu tamen Adriani comitem a Nassau adii, qui in eandem mecum sententiam pedibus ibat, sicque res paulo sedatiores visæ sunt.

Da, domine Jesu, voluntatem rectam et vires!

Eadem comes a Wigtenstein nomine archiepiscopi trevirensis Joannis ab Isenburg, ut ad horam quintam cœnæ ipsius interesse vellemus, rogat.

Eadem comitem ab Eberstein et avunculum nostrum comitem a Wertheim Georgii filium convenimus. Videmus Wilhelmum de Grumbach et Hermanum de Amelungen.

Volebat Adrianus a Zertzen, ut dominam principem convenirem; at quod adhuc sub concione sacra ibidem esset, ad hospitium meum divertii.

Licentiatum Nicolaum Maier prandio excepimus cum eo et amicitiam ineuntes et ejus consilio saluberrimo usi.

Venit comes Joannes a Rethberg eadem Joannem fratrem nostrum veterem suum sodalem invisere.

Rattos mures Augusta non fert ob soli (ut Maier dicit) frigiditatem, juxta papistas autem, quod d. Ulrici precibus ab his immunes sint.

Tum primum Malvendam quoque adesse comperi. Item Bucerum delusum. Consilium comitis a Nassau fuit, ut tuto saluo conductui Cæsaris fiderem.

Cœnatum igitur est apud Treverensem. Is Eubulum pro veteri amicitia humaniter excepit. Intererant autem convivio Wilhelmus a Nassau et Dillenberg, et Joannes a Nassau et Sarbruck comites, Georgius ille Wicelius Fuldæ perturbator et præpositus quidam Vratislaviensis Georgius Logus, homines quidem non illiterati, sed quorum eruditio pessime habitat. Sunt enim hostes et persecutores omnium pie doctorum acerrimi, ut mille verbis ipsimet testabantur. Logus ille multa de abnegatione Joannis Hessi concionatoris vratislaviensis locutus, ait, ipsum multa ad veterem consuetudinem immutasse, ob quod cum male a civibus suis audiret, quasi ad felicium navis latus posthabita Christi doctrina se inclinaret, præ mœrore consumptum esse. Sed quis pessimis hominibus, de bonis sinistra narrantibus, fidem adhibeat? Bucerum nesciebant quem facerent, nunc eum sacerdotem, ex sacerdote dominicastro, ex dominicastro Carthusianum, ex Carthusiano aulicum et haud scio quas metamorphoses illi attribuentes, chameopardum insuper nominantes. Tandem effutiunt sub salvo conductu quidem Bucerum Augustam venisse, sed arctissima custodia sub marchionis electoris commissione teneri, a deo ne schedulam quidem foras scribere liceret. Item eundem jam pene duobus scriptis se alium futurum testatum esse. His Wicelius velut oleum camino subministrans Philippus Melanthon multo apertius mentem aliam ejus esse, quam antehac, scripto testatur. Ut interim præteream, quæ in optimum virum Vitum Theodorum deblateravit. Sed ah pudet et dolet hujus camerinæ <sup>1</sup> hominum vel audivisse vel meminisse, qui magiam et idolatriam propalam confitentur.

Nota de comite in Hispania, qui per suum fidum cubicularium se jugulari curaverat ac humari jussit, sperans se intra menses aliquot juvenescentem ad vitam redire posse etc. et quod septem mensibus sepulchro aperto inventus sit tanquam infans in utero matris crescens,

\*

1 ? hujusce farinæ hominum.

habens carnem novam brachiorum et crurum, licet facies nondum satis esset integra.

O domine, ossa humiliata da exultent, pone custodiam ori meo et in veritate deduc me.

xix Aprilis dum Wendelinus, Liborius et cæteri in medium quid opus factu sit consultant, oportune Burgkhardus nuntius noster venit, literas a domina matre, uxorcula et sororibus ejus nec non a Joanne Galacteo et Hermanno Nellio Sperante ad nos e patria deferens. Item literas comitis Reinhardi a Solms ad nos unas, ad filium Ernestum unas et ad Viglium alteras. Item Elizabethæ ducissæ de Brunshwig et dominæ de Henneberg et comitis Popponis scripta ad Marchionem Electorem. Domi omnia salva. Deo opt. max. sempiternus honos sit et gloria. Acceperunt quoque Samuel a patre, fratres a matre litteras.

Eadem comiti Ernesto paternas litteras ipsimet reddidimus, qui Atrebatensem alloquutus fuerat, rogantes igitur ipsum, ut nostri aliquam, si forte sic sermo ferret, mentionem apud eundem faceret.

Per Liborium Viglio literæ Reinhardi comitis reddi debebant, sed Doctor exierat foras. Comitem a Nassau in hospitio suo quærebamus, verum is, ut postea comperimus, auditorem agit in causa ducis Henrici et Goslariensium.

In eodem itinere dominæ principi Landgraviæ fausta precati dein hospitium Ernesti ducis frequentavimus.

A prandio omne pomeridianum tempus scribendis literis ad socrum, uxorem Nellium insumpsimus. Frater Joannes apud ducem Ernestum pransus est.

Statim a prandio ostiarius cameræ concilii imperialis attulit jussu concilii scriptum Reinberti illius Paderbornensis episcopi, in quo cognatum Philippum, novercam et nos apud cæsaream majestatem detulit.

Samuel apud Ernestum de Solms cœnavit. Hoc die in negotiis nostris nihil promotum est. Nota de causa Hoiensium comitum.

Eadem Adrianus a Zertzen marchioni electori literas sororis suæ et dominorum a Henneberg nostri nomine obtulit.

Eadem intempesta nocte sodalitiū furum argenteam suppellectilem Mauriti electoris cribrare volebant, ac Iberus quidam in ipso furto deprehensus est.

At age, domine, pone super eos legislatorem, sciant gentes quod homines sint per sacram tuam anastasin. Domine Jesu, famulæ tuæ Anastasie et filiæ ac matris ejus memento.

xx Aprilis inter quartam et quintam horas antemeridianas in templo Minorum, quod ad hunc diem in potestate senatus Augustani est, ecclesiasten quendam non indoctum ex cap. Joannis xxi de piscatione Petri et aliorum christiane et breviter disserentem audivimus. Præcipue verba Christi dicentis »Apportate mihi de piscibus«, adducens, scilicet quod veri concionatores, quos per verbum lucrifecerint, Christo offerre debeant, non sibi reservare, hoc est pro suo arbitratu in populum Christi imperium gerere.

Venit Adrianus a Zertzen referens se marchioni electori literas sororis et comitum a Henneberg obtulisse, ipsumque marchionem dixisse, literas sibi prælegi curaturum. Jubet igitur Adrianus, ut in hospitium electoris mitterem, quæsiturus a Staculo de Sleben, num responsum habiturus sim, necne.

Idem Adrianus Maritimum ducem electorem ait pollicitum esse, si quid boni in nostra causa agere posset, ipsum esse paratum.

Eadem Joannem Milchlingum et Erasmum a Rurnhod ad marschalcum imperii de Papenheim, ut cum ipsius venia in hospitio absque molestatione metatorum hospitiorum permanere possemus, misimus.

Eadem Liborius et Wendelinus primo Viglium inviserant, qui passim utrinque disputantes, Viglius quod sciebat scire noluit, scilicet quis status esset comitatus Waldeck, et in summa comitatum esse juris imperii confirmabat. Item olim unum ex comitibus de Waldeck fuisse locum tenentem Cæsaris per totum imperium. Item quomodo Landtgravii (ut ipse dicebat) per transactiones comitatum a Waldeck in feudum acceperint, ipsum non latebat. Item, se insignia Wormaltiæ ostensa vidisse, vexillum autem illud existimabat, in quo Cattorum princeps Philippus suis armis insignia comitatus Waldeck appingi fecerat. Item agebat diversas esse causas Eubuli et fratrum, nam fratres esse sanguine junctiores Wilhelmo Cliviæ et Gulii duci etc., qui magna in gratiam Cæsaris et regis Ferdinandi fecerit etc. Remisit nostros quoque ad Atrebatensem. Item nos ad omnia quæ imperium concernerent, ut cæteros et membra imperii per mandata semper vocatos fuisse, astruere voluit. Item se scire, quod aliàs apud judicium cameræ contra Coloniensem comites egissent. Dixerat et idem Cattorum principem quidem ad cæsaream majestatem, ut eos comitatus, quos nunc in feudo habeat, sic retinere posset, petiisse, at Cæsarem consentire noluisse.

Supervenerat, dum nostri cum Viglio sermocinantur, Marquardus, cum quo Liborius de nobis non insinuato mandato damnationis electoris



et landtgravii, et an consultum foret, hujus rei mentionem apud consiliarios facere, egit. Dixit Marquardus, nondum esse hujus rei tempus, nostros quoque archiducem hoc die convenire non posse, eo quod heri sanguinis diminutionem fecerit, detegit.

Nothus a Zertzen, qui missus fuerat ad Staculum de Sleben, hoc responsi retulit, electorem legisse litteras et paratum ad omnia. Verum necessarium fore, ut vel per nos vel alios marchioni status causæ nostræ declararetur.

Joannes frater noster apud dominam Landtgraviam pransus est.

Eadem hospes noster Hans vonn Gesse primo a Patavia ad Danubium huc reversus est, qui nondum in hac domo commoratus erat, pridie enim ejus diei cum Augustam venissemus, uxor et liberi ipsius in hanc domum noviter emptam transmigrarant.

Fuerant eadem et nostri apud Mayer, sed nihil spei datum est.

Eubulus quidem cupiebat, ut et ipsi ab aliis consultam erat, Vigilium alloqui, at ea die nulla nobis hujus rei facultas dabatur.

Comes a Nassau scriptum compromissi inter Colonienses et nos remisit, quod quoties relegitur, toties magis acerbatur.

Florus et Wendelinus Atrebatensem alloquuti sunt, qui primo causam a se removit, attamen dein jussit comites crastino ad horam octavam ante meridiem adesse. Nam tum illos, inquit, audiam, si veniunt. Sic enim per contemptum forte loquitur.

Omnipotens, sapiens, justissime et misericors Deus, David rex tuus et propheta quem post foetantes elegisti virum secundum cor tuum, de domini nostri Jesu Christi, filii tui benedicti, passione nec non et gloriosa resurrectione prophetizans inter cæteras immensæ majestatis tuæ laudes canit: Patres nostri speraverunt in te, et dum sperarent in te, tu eruisti illos. Ad te clamaverunt, et liberasti eos, in te speraverunt et confusi non sunt. Et idem verba Christi prolixius prosequens ait, Ego autem vermis et non homo. A tanto igitur rege et propheta edocti et exemplo dilectissimi filii tui instituti, de hac immensa bonitate tua et intercessione ejus, quem solum nos audire jussisti, quemque solum propter reverentiam ipsius in cruce extensum exaudivisti. Te Deum verum et æternum, Deum patrum nostrorum, et ipsi in his, quæ nunc nos premunt, malis imploramus, omnem nostram spem in te collocantes. Vere enim nos magna pars eorum et fuimus et sumus, quorum typum præbuit, imo quorum vulnera et vibices filius tuus dilectissimus tulit. Respice igitur, quæsumus, in faciem ejus, qui peccata nostra tulit, et propitius esto peccatis

et commissis nostris super numerum arenæ maris multiplicatis eo quo tibi placitum est modo, nos eruens ut cum patribus nostris de gloria tua gloriari queamus. Idque omne, benignissime pater, quo nomini tuo sit sempiternus honos et gloria, ne sanguis preciosus filii tui sanctissimi frustra pro nobis effusus inveniatur. Jussisti te, o Deus sancte, invocari, repromisit quoque dominus Jesus te nobis daturum, quæ petimus, misericorditer largiri digneris. Qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus S. Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Eadem conjugi carissimæ psalteriolum a domino Vito Theodoro illi dono datum, pectines item eburneos, et tractatum Augustanorum concinatorum, in quo summa nostræ religionis in decem articulos redacta est, item orationes Bernhaldi Ochini ejusdem exemplar Joanni Galacteo et Nellio porrigendum transmisimus.

A cœna animi gratia intra duas partes Lyci fluvii amœnitatem et omnis generis piscium vivaria conspeximus.

Propitius nobis esto, domine JESU, et da ut omne opus nostrum patris tuæque laudi serviat.

xxj Aprilis Burgkhardum nuncium domum relegavimus.

Eadem ad Atrebatensem admissi sumus, ubi posteaquam præsul singulis dextram præbuisset, Magister Liborius sic dicere cœpit: Reverendissime et illustris domine princeps, D. V. quod heri hic nomine comitum nostrorum a Waldeck adfuerimus novit, petentes ut ipsis D. V. alloquendi facultas daretur, et quod simul in medium excusationem comitum nostrorum et quod ad citationem attineret, adduximus. Nunc igitur comites ipsi præsentés petunt, ut reverendissima D. V. illos audire non dedignetur. Sunt autem petitionis eorum hæc capita. Primo quod ad id, quod tanquam rebellantes citati huc sint, dicunt se nihil fecisse nisi coactos a landtgravio, cujus vasalli sunt et ejus ditioni viciniore, quam ut huic quidquam denegare ausi fuerint. Præterea si quid in hac re peccaverint, se nomine imperatoriæ majestatis ex capitulatione inter Cæsarem et landtgravium comprehensa a domino Reinhardo a Solms et Joanne Georgio Schaden a Mittelbibrach, cæsareæ majestatis commissarios, absolutos. Secundo inter archiepiscopum Coloniensem et ipsos hactenus errores aliquot cum extiterint et ii per tractatus modo compositi sint, comites mei reverendissimam D. V. obnixè cum omni submissione rogant, ut eadem D. V. apud cæsaream majestatem intercedere pro ipsis dignetur, quo cæsarea majestas pro sua clementia et dominorum commissariorum absolutionem ratam et confirmatam habere et

comitibus, si qua peccaverint, clementer ignoscere velit, id comites sæpe dicti pro sua virili et debitis officiis erga cæsaream majestatem et reverendissimam D. V. promereri satagent. Respondit Atrebatensis, dilucide capita negotii duo videri, comites movisse arma in imperatorem ex parte protestantium; id illis minime licuisse, etiamsi sint vasalli landtgravii, et quosdam ex iis præ cæteris hostiliori animo in imperatorem ostentasse. Quod vero ad capitulationem attinet, comites in hac non comprehensos. Præterea etiamsi sint vasalli Cattorum principis, tamen ex hoc non consequi, eos esse ipsius subditos. Ad hæc comites Cæsari jam multis negotiis occupatissimo ob sumpta arma in Coloniensem negotium fecisse, idque extantibus hisce Augustæ comitiis. Juste igitur imperatorem id et ægre ferre et a comitibus emendationem exigere. Verum utcunque res se habeant, ipsum heri nostris dixisse, si de his nos excusare velimus, ut id scripto coram concilio imperiali fieret etc. Dixit etiam Liborius de pecunia per Reinhardum comitem cæsaris nomine petita, et si Cæsar eam illi dari ac nos contra Cattos in hoc defendere velit, nos eam summam promptissime duros. Ad hoc autem nihil responsum a præsule. Eubulus itaque asperitate negotii et necessitate coactus primum veniam ab episcopo precatu est, num illi liceret unum aut alterum verbum fari. Nam eum mentis suæ concepta vix latine eloqui posse. Data venia, utcunque potuit, hæc adduxit. Ad id, quod Atrebatensis præsul dixisset, comites in capitulatione non comprehensos, eo quod si licet vasalli Cattorum essent, non subditi etc., hoc debere præsulem scire, non solum vasallos nos esse landtgravii, sed ea nos pressos servitute, ut ob viciniam quasi inter intimos Hessos commorantibus non fuerit liberum vel in exigua causa principi quicquam denegare, ut et hæc antea per Magistrum Florum latius narrata essent. Deinde quod ad Coloniensem, nos habere diversas dinastias, nostri comitatus me esse seniore et ipsos mihi astantes fratres non tenere eadem dominia, et ortas quidem esse turbas inter fratres et Coloniensem, nostros autem non sumpsisse arma, ut Coloniensi (ut is nos accusavit) bellum inferremus; utcunque autem res se habeant, quoniam reverendissima D. V. nos ad concilium imperiale remittat, tamen quia nobis notum sit suam auctoritatem magni apud cæsaream majestatem fieri, adeo ut, quæcunque tractentur in concilio imperiali, sine ipsius assensu finem nancisci non queant, nos humiliter rogare ut D. S. nos et apud imperialem majestatem excusare et pro nobis intercedere dignaretur. Id si qua in re promereri possimus, nos promptos esse etc., ut dabat in necessitate sermo. Ad hæc præsul:

causa, inquit, in imperatoria majestate sita est. Quod ad electorem vero, si res ita est, ut de his inter vos tractetur, date operam ut Coloniensis vobis amicus reddatur. Postea si quid ad excusationem vestri habetis, concilio imperiali offerite. Ubi causa ad nos devoluta fuerit, ego dabo operam, ut ad imperatorem deferatur, et si quid boni hac in re præstare queam, experiar. Tum Liborius: Reverendissime præsul, comites nostri non sunt earum facultatum, ut hic longas moras nectere queant. Quare petunt reverendissima D. V. apud cæsaream majestatem negotium maturare dignetur. Ad hæc Atrebatensis, quasi subiracundus, non arbitror, inquit, generosos comites rebellionis contumaciam adjungere velle, ut ante responsum insalutato Cæsare abeant. Igitur Liborius petitionem iteravit et Atrebatensis ex hospitio exivit. Waldeciani hospitium marchionis electoris adiere, si forte electorem alloquendi nobis copia fieret, sed nullus aulicorum procerum aderat, qui nostram præsentiam electori indicare posset.

Comes a Nassau, quod variis negotiis occupatissimus esset, adiri non poterat. Reperimus in domo Atrebatensis doctorem Philippum Selden.

Wendelinus et Florus archiducem Maximilianum dominorum nomine orare volebant, ut apud regem patrem nostri clementer meminisse dignaretur, verum is in loco concilii non aderat.

Eadem unus et alter civium Augustæ per Henricum Stracken de situ montis Isenberg et mineris auri circa Corbachium diligentissime sciscitati sunt, conati nobiscum conditionibus agere, verum quia mihi præsentè ursa catulos ostendere minus consultum videbatur, bona dans verba eos post menses aliquot, si quid ejusmodi cuperent, in comitatu nostro quærere nos jubebamus.

Sebastianus Mall quingentis aureis a Ferdinando rege donatus est. Probe et his notus erat Hans Krall. Nam hi ante annos aliquot apud nos in arce nostra Isenberg erant.

Eadem, dum a cœna partem urbis cum sodalibus meis obambulo, forte adjunxit se nobis civis quidam grandævus, cui magister vigilum claves portæ commendarat, cum quo varia de urbis Augustæ politia, munitionibus etc. contulimus. A quo cum inter fabulandum de duplici muro interrogarem, hanc ejus rei rationem reddit. Augustam urbem esse antiquam, quæ inter exigua spatia suis mœniis et portis cincta esset, ut ipsimet videremus, et hanc olim cœnobio D. Ulrici dominico templo et aliis ecclesiasticis mansionibus occupatam. Ut episcopus loci omne jus sibi in eam usurpare conatus et maxime claudendi portas, ubi et quando

ipsi libitum fuerat, cujus rei cives opibus elatiores facti pertæsi urbem extra prima moenia dilatarunt, fossatis, turribus, propugnaculis et aggeribus circumdantes ac pro suo jure easdem portas et clausurunt et reserantur hactenus. Nunc vero Carolus Quintus per sesquiannum ibidem primarium agit consulem, qui magistris vigillum exercitus ipsius claves portarum commisit. Sic sua prudentia cives episcopum, Carolus sua solertia ac potentia Augustanos occludit.

Augustanis anno superiori Sebastianus Schertel et dux exercitus et rebus urbicis præfuerat, qui cum aliquando secum reputaret, eos qui Plutoni ac religioni addictiores, ut multos habet Augusta, scilicet Welzeros, Fuggeros, Hachstetteros, quorum tamen familia ad stipem redacta est, Baumgarteros, Gosleos et nescio quos Herbrotos Aquilarios et quidquid hujus est farinæ divite gaza gaudens, nec bellum nec obsidionem laturos, secum statuit ipsemet his vel urbe pulsus vel suppressis civitatem occupare, experturus fortunam. At vir, ut est heroico animo, bonorum consilio subscribens, postea mutata sententia perpensis multis senatui ut se in Cæsaris clementiam darent, persuasit. Optimus heros rarissimo exemplo sui corporis ac facultatum pericula obire malens, quam civium suorum sanguinem sua causa fundi et urbe et patria cessit. Cujus fata dii secudent.

Eadem senatus nomine vino honorati sumus.

Domine Deus, da amorem et timorem tui et misericorditer ut in populo beato, qui scit jubilationem, reperiamur concede.

xij Aprilis apud divum Mauritium Musculi concionem audire stauimus intra sextam et septimam. Mane igitur hoc templum frequentantes, hos ritus ecclesiasticos ibi observari vidimus. Semihora ante ultimum campanarum pulsum ubi pars aliqua ecclesiæ convenit, uno præcinnente canitur psalmus aliquis in nostrum idioma translatus summa et modestia et devotione. Post aliquod interstitium rursus alter quidam, idem fit post moram longiusculam, donec justa ecclesia adsit et campanarum ultimum signum datum sit. His peractis prælector suggestum conscendens invocato divino numine legit paragraphos aliquot ex Matth. xij capite. Deinde summam fidei nostræ ex verbis Christi Joannis VI: Hæc autem est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt filium et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego suscitabo eum in novissimo die, aut simili aliquo ex sacris scripturis loco. Deinde hortatur ad confessionem, prælegit formam potissimum continentem, quam nihil boni sit in homine, quam nihil vires nostræ faciant ad salutem, concludens cum

oratione publicani illius evangelici, scilicet »Dens propitius esto mihi peccatori.« Post hæc jussu Christi et exemplo apostolorum admonuit obsecrationes pro omnibus hominum ordinibus fieri, post hæc ex scripto nomina eorum referens, qui matrimonium inire destinassent ac pro his intercedere jubens. Deinde catalogum morbo laborantium et qui orationem ecclesiæ expetiissent, recitavit, ita ut cujuscunque quis conditionis esset indicaret, suppressis tamen nominibus. Collecta et benedictione populi officium suum is absolvens ambone discessit. Post hæc domino Musculo gradus ascendente ecclesia canit hymnum de invocatione Spiritus Sancti, quo finito Musculus populo spiritum Dei bonum ad audiendum cum fructu verbum ipsius imprecatus orationem dominicam orare jussit, ipsemet prolixè orans. Post id idem dominus Wolfgangus ex capite xiiij Joannis hæc verba legit: »Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me, usque ad hanc periodum: Hæc loquutus sum vobis«, disserens de dignitate verborum Christi, de differentia Judæ Iscariotis mercatoris et Judæ Thadæi cordati confitentis Domino, vel confitens Dominum. De simplici interrogatione Judæ, et ne nos miremur, si non semel atque iterum audito verbo mox Christi mentem assequamur, sed orationi instemus, ut Dominus nobis sensum aperiat et intellectum det. Item de inæqualitate divinæ et humanæ conditionis. Item quam magna sit promissio hæc, quod pater et ipse amantem sint redamaturi et mansionem apud hunc facere velint; item quod in hoc uno vera unitas et concordia inter Deum et hominem consistat, ut homo fide verbum recipiat et se Deo patri et filio per Spiritum S. regendum permittat. Item de innata homini superbia, qui si vel tantillum honore vel opibus aliis præcellat, non potest se eo demittere, ut se amantem vel pusillum redamet et non contemnat, Und was doch der vor ein armer Mensch sei, der den, von dem ehr geliebet wirt, nicht widder liebt. Item quod Deus non tyrannorum more ad se confitendum et amandum ferro et vi homines adigat, sed quam benigniter suos alliciat. Item quam carum Deo templum sit is, qui verbum Domini sincera fide recipiat. Hunc esse ædem auream, hunc esse vere illud vasculum (ut vulgo loquuntur) sacramenti conservatorium. Magna enim et expolita phalerata mundum decent. Deus fide et corde puro, non multo exteriore ornatu gaudet. Item quod magistratus huc intentus sit et consideret hanc unam et optimam esse concordie viam, ut verbum Domini sincere prædicare sinatur; nam sic nos mansiones Dei fieri. De hoc autem latius sic exigentibus rebus dixit, quam hic chartis illiniri possit etc. Item quod Christus dixerit,

patrem et ipsum venturum ad conservatorem verbi ejus et eum recepturum. Id fieri post hanc vitam etc. Et multa ejusmodi præclara addidit, hac coronide sermonem claudens, navaremus operam, ut verbum Dei puro corde audiremus, reciperemus et crederemus, quo templa viva et mansiones Dei efficeremur et a Deo assumeremur etc. Et completo sermone populus jussus Deo laudes cantare et deinde ecclesia cum benedictione ecclesiastæ hujus dimissa est.

A prandio Wendelinus, Florus et Melchior quid archiduci offerendum sit chartis mandant, si qui commodius ipsum alloqui possemus.

Eadem venit secretarius cognatorum nostrorum comitum de Hoia, quo in statu res dominorum suorum essent, exponens et a nobis ad Monasteriensem præsulem literas petiit, item ut per nostros per latissimos campos Sendtfeldt deduci posset, ajens quoque nos rursus in tutorem pupillorum de Hoia postulari.

Nota duos fratres germanos Philippum et Christophorum Seldos LL. doctores Augustæ civitatis alumnos ob spectatam in pueris ingenii prosperitatem Fuggerorum stipendio ad has dignitates provectos, quorum hic vicecancellarium cæsaris agit, alter urbi a consiliis est.

Petrus Obernburger in cancellaria (ut vocant) cæsaris post vicecancellarium inter Germanos primas tenet.

Conradus quidam Hesus et Georgius de Hall comitum ab Aldenburg internuncii sunt. Franciscus a Hall hactenus hic litem contestari noluit.

Eadem intra horam et sesqui omnem urbem Augustam cum fossatis, vallis et munitionibus circumivi. Quid autem viderimus historiographo etiam non indocto nec vecordi id describere satis negotii futurum arbitror.

Eadem Philippus et Joannes fratres nostri apud Joannem comitem de Retberg cœnarunt, Samuel vero nepos apud Treverensem.

Eadem in platea homo Turca nobis obviam fit, collo circumdatus torque ferreo in signum perpetuæ captivitatis.

Audivimus sub coenam Italos tibicines et fidicines, qui vel cum Apolline fistulis certare potuissent.

Eadem sub nonam noctis eclipsis lunæ visa est. Qui nobis signa ejusmodi exhibet, clementer cuncta mala avertat. Amen.

Domine Deus, da auditum verbi tui et illud corde conservare, ut tu et filius tuus Jesus Christus apud nos mansionem faciatis cum sancto spiritu, qui vivis et regnas etc.

xxij Aprilis hora sexta in templo Mauriti D. Joannes Henricus ex cap. xij epistolæ ad Romanos de his verbis Pauli: Dilectio non sit simulata, sitis odio prosequentes quod malum est, adhærentes ei quod bonum est, per fraternam caritatem ad mutuo vos diligendos propensi, honore alius alium præcedentes etc. Ajebat Paulum hic dicere de tribus maximis operibus, excusans nostros, quod illis adversarii objicerent, se nihil clamare præter fides, fides, fides, interim nullam de operibus bonis mentionem eos facere. Impossibile enim est, inquit, eum qui sinceriter prædicat Evangelium, non etiam bona opera docere, sed ea quæ Deus præceperit. Item primum et summum opus esse fidem, quæ Christi meritum apprehendit aque Deo cuncta bona expectat, adducens non unum hujus rei exemplum. Deinde secundum opus esse caritatem, proferens passim e scriptura locos de caritate, multa disserens de fucata et ficta simulatione caritatis. Item impossibile esse, eum qui fide caritatem erga Deum conceperit, non salvari. Adducens exemplum quam gratum sit Deo ejus verbo et obedientiam præstare et id ipsum credere. Si quispiam, inquit, a rege sibi dici audiverit, Tu mihi fidito, meæ curæ te relinquito, mihi enim commendatus eris, majoraque tibi daturus sum, quam a me expetere ausus fuisses, nonne si is imperatori fidem habeat, illi gratissimus erit? Licet rex vel imperator quæ pollicitus est non statim ipsa præstat. Nonne hic bona spe lætus omnia quæ Cæsari cordi esse (scit)<sup>1</sup> facit? at forte cæsarem morte præveniri eveniat, quo minus, quæ promiserat, exsequi posset. Est enim omnis homo mendax. Quanto magis Deus redamaturus est, a quo omnia exspectamus? Is enim solus est verax, et quæcunque voluit et præstare et facere potest. Item quod is cultus Dei, quem papistæ in solo templo sub divinis (ut ipsi vocant) probitatem quandam præ se ferendo præstant, Deo abominabilis sit. Verum Christianum in omni loco dominationis domini debere se Deo obedientem, fide pura et vita bene instituta exhibere etc. Ob temporis autem penuriam de tertio opere absolvere non potuit, suscipiens id se proxima concione facturum. In obsecrationibus pro captivis omnibus et pro iis, qui sive apud Turcas, sive alibi locorum ob veritatis agnitionem persequerentur, orare jussit. Qui potest capere, capiat.

A concione nobis forte fortuna obviam fit Matthiæ ab Aldenboken filius, balius Steinfeldiæ et Ladæ, ordinis D. Joannis Baptistæ, qui heri primum a profectione ex insula Malta se reversum et Augustam ve-

\*

1 Dieses wort fehlt im mschr.



nisse dixit. Comitabatur et hunc Nicolaus Gallus Monasteriensi præsuli a pedibus, Herbertus a Landen, qui et una duobus his prædictis Mal- tam petierat, ibidem vita excessit.

Eadem nostri doctorem Hasen consulunt, is jubet priorem supplicationem iterare.

Cum tempus prandii instaret nobis insciis Wilhelmus comes a Witgenstein, Philippus a Homberg, Joannes comes a Rethberg, Dido de Kniephausen et Joannes Hagk secretarius comitum a Hoia nobiscum pransuri veniunt. Fit potatio liberalior.

Induciae quinquennales inter imperatorem, Romanorum regem et Turcicum cæsarem renovatae dicuntur.

Eadem ante casam bibliopolae (qui forte papistarum gratiam venabatur) vidimus icones Joannis Friderici electoris et Turci imperatoris se mutuo intuentes suspensas, quod probrum piissimi principis non absque animi dolore videntes, ambas eas nobis emimus.

Propitius esto domine peccato nostro, multum est enim, da caritatem non fictam, da odisse malum et adhaerere bono.

xxiiij Aprilis ad D. Mauritium quidem concio fiebat, at ob Liborii ægritudinem, qui misere calculo cruciabatur, me cum Wendelino et Melchiore Lindio sollicitatum ire conveniebat. Primo igitur aedes Domini Viglii Zuicheni petentes, eum solum reperimus, qui postquam præsentiam nostram compertam habuit, obviam nobis egressus nos intra hibernaculum suum duxit. Ibi Wendelinus breviter solitam petitionem repetiit, me quoque eapropter et mei et fratrum nomine adesse dixit. Ad hæc Viglius respondit, si nos ipsi vel nostri consilium ipsius secuti fuissent, negotium hoc vel ante menses quinque ad finem produci potuisse, antequam causa Coloniensis huc devoluta sit. Item retulit nobis Hermannum a Molspurg disertis verbis dixisse, si Colonienses centum equites Volckmariam mitterent, Cattorum princeps ducentos ad his resistendum missurus, atque his verbis cæsaream majestatem maxime irritatam, utpote qui dixisset, si Hesus ducentos, ego trecentos mittam. Item absolutionem a commissariis factam quidem non negavit. Sed quoniam comites Waldeccenses se pro subditis, etsi vasalli Cattorum essent, reputarent, id ipsum hic in disputatione esse. Addens præterea conditionem absolutioni adjunctam esse, eam scilicet, Reinhardum comitem et Joannem Georgium Schaden a Mittelbibrach quidem Waldeccanos absolvisse, verum ea lege, ut cæsareæ majestati se obedientes sisterent et de hac re ipsius clementiae clarius responsum reciperent. Tum Wolradus, Pro-

fecto, domine doctor, inquit, in hoc nobis injuria fit, nam hujus rei nullatum temporis mentio habita est. Invertens igitur Doctor sermonem, non de vobis, sed aliquibus ex vestris loquor, ocusque a mensa protocollum arripiens haec fere legit: so seindt vor vnns erschienenn Graff Johann von Waldeck vnnd Graff Albert von der Hoya etc., wilche wir jnn die versohnung vffgenommenn, idoch sie do bie bescheidenn, sie soltenn ferner derowegen bie der kayserlichen Mayestet Ansuchung thun etc. Et post multa attulit haec. Se et sui albi homines nihil aliud efficere posse, quam ut curarent, quo causa nostra ad Cæsarem referretur et ad id nobis suam operam pollicitus est. Ubi vero causa ad imperatorem devoluta fuerit, tum nos oportere suæ majestatis responsum expectare. Dum autem de mora et expensis obiter diceremus, ait, parendum esse cæsari et illi se ipsum resolvendi (nova enim haec aulicis in hoc significato recepta vox est) justum tempus concedendum fore. Sic quadrupedum caballo- rum pedibus huc advecti vix laneis nobis hic incedendum est. Mature etiam dominus Leporinus superuerit, apud quem idem in præsentia Viglii egimus, illi insuper memoriam de statu comitatus nostri refricantes, ut qui tractatui herciscundæ hæreditatis nostræ interfuerat, quod et ipsemet ingenue confitens pollicitus est et suam operam. Conveni et Viglium seorsim, et is quædam negavit et sensi illi fraudem factam. Novit cuncta Deus, qui et occulta dijudicat. Sicque hinc abitum.

In eodem itinere D. Joannem Marquardum allocuti sumus. Is præter ceteros se humanum et apertum nobis præbuit, spondens, se apud archiducem fideliter nostram causam acturum. Ex omni autem doctorum verbis liquet, probe illis cognitum esse nobis injuriam fieri, hocque consilii Marquardus dedit, quia comites a Cattis pressos et premi animadverteret, non illi infrugiferum videri, ut comites apud Cæsarem instent, quo comitatus liber reddatur imperio, de qua re multis verbis disseruit. Cumque nos diceremus, videre quidem nos, quid nobis commodius esset, verum nos et vasallos Cattorum principis esse, et eidem jurejurando astrictos. Referre autem cæsaris ut ipse clementer cum principe nostro de hac re agat, ne noster et honos et conscientia male afficiantur. Id instituti Marquardus laudans, probe, ait, hoc a vobis dictum, hac enim via aggredienda res esset, ut comitatus sit liber imperio, Catto autem fiat quod illi debetur, et detur opera ne vos vestrique subditi adeo in servitutem redigantur. Habeat vos Hessus ut vasallos, sed habeat quoque ut comites liberos imperii. Nam si is ordo interruptus non fuisset, non potuisset tantus tumultus suscitari etc. Ait item: Imperator

facit comites, et hanc dignitatem alicui impartire est munus imperatorium, non Saxonis, Hessi nec Palatini (hæc enim ejus fuere verba), et si res penitius inspicerentur, reperiri potuit qui Hesso diceret: Tu nos in hanc nassam conjecisti, nec tibi ulterius in aliquo tenemur, sed et nobis de accepto damno satisfacies. Nam dominus feudi si vasallo damnatum injunxerit aut præter æquum eum molestaverit, æque feudo ex-cidere atque vasallus potest etc. Hoc enim, inquit, apud nos sic constitutum est etc. Fuisse quoque se annis quindecim clientem comitum a Constein et Wertheim non negavit. Tum ego: Et nos ex hac cognatione sumus, nam Michaelis de Wertheim soror avia mihi fuit. Ad hæc is: Eo libentius tuæ clementiæ inserviam in omnibus quæ possum. Interrogavimus igitur quidnam hodie fieri a nobis oportere putaret. Respondit, hæc die archiducem ob sumptum pharmacum in consilium non venire. Tractaturos autem de rebus gravissimis in consilio et se una cum aliis eo rem promoturum, ut causa cæsari referatur, tum nos oportere suæ majestatis resolutionem expectare et nos subinde exhiberemus conspectui archiducis et episcopi Atrebatensis, etiamsi nihil diceremus. Sicque illi gratias agentes eum liquimus.

In eodem itinere in hospitio marchionis electoris strenuum Staculum a Sleben Eubulus convenit, illi exponens quodnam argumentum esset literarum electori suo nostri nomine oblatarum, rogantes ut, si res eo devenirent, electoria clementia omnia in meliorem partem apud cæsaream majestatem interpretari velit et pro nobis intercedere. Is nos humaniter et excepit et audivit et principem ac ipsum mihi in his et majoribus morem gerere paratos testatus est. Recepti etiam, si elector sorori suæ in propria causa rescribere vellet, me litteras ad eum transmissurum. Elector autem adhuc somno indulgebat.

Eadem secretarius Hoiensis nobis ostendit argumentum epistolæ cæsaris ad Monasteriensem super commissione in causa Hoiensium. Item exemplar commissionis nec non consultationem Claudii Canciunculæ, quæ fere plus minus quadraginta florenis constat.

Eadem dominum Musculum ut nobiscum pranderet rogari curavimus, qui mox ad decimam aderat. Eum, qua potuimus humanitate excipientes de variis et cum eo familiariter collocti sumus, ex quo et cognovimus D. Bucerum die Veneris proxime elapso comitatum duobus satellitibus aulicis, uno marchionis electoris et altero Friderici Palatini, et urbis Augustanæ equite uno hinc abiisse. Cum ad diem parasceues huc advenerit antea quoque in quodam pago per novem septimanas de-

tentus fuit; multa cum hoc homine optimo et persuasionibus et minis nec non et pollicitationibus peragere papistica gens cupiebat, sed nihil aut parum effectum est, licet Logus et Mustela multa gloriantes garrient.

Musculus annis xvij Augustæ in verbo Domini præfuit. Liberos habet octo etc. Libros Zenonis, Socratis, Pamphili martyris et aliorum triginta quinque ex græco in latinum transtulit, quorum aliquot Hervagius excudit, alii adhuc apud authorem latitant.

Fuggeri quatuor Anthonius, Joannes Jacobus, Joannes Georgius et Hieronymus vita excessit.<sup>1</sup> Jam per annos aliquot locuples habitus non est, qui sexaginta aut octuaginta milia nummum non excederet.

Joannes Agricola ab Eisleben hic Joachimo electori brandenburgensi a concionibus est sacris.

Villa et habitatio Schertel Burtenbach non procul ab Augusta est, quam Augustani pro quadraginta millibus nummum ab ipso se emere illi promiserunt.

Hispanus Babadilla dum Musculo diceret, sibi a Ferdinando rege exprobratum quod Lutheranos concionatores adiret, ac illum respondisse, Quid vestra majestas cum Lutheranis principibus Mauritio, marchione et aliis familiariter loquitur, insuper comedit et potitat? D. Musculus infit: Scis quod te nunquam vocaverim; ita te nec domo excedere etiam jussi; venis cum tibi liberit et abis ubi placuerit. Si bonus intrasti, bonus exibis, mea nihil refert.

Vitus Theodorus ad Musculum perscripsit inter triduum. Adest et Julius Pflug.

Accidit intra hos dies, ut duo pedites ingluvie et mero distenti ambulacrum ante dominicum transirent, et alter conspecta effigie Joannis Friderici electoris in cicatricem, quam in sinistra maxilla fert, futiliter deblaterans, cum ab altero hæc verba facessere juberetur, mox evaginato gladio compotatorem suum invadit, qui et ipse adeo strenue et electoris honorem et proprium corpus defendit, ut conviciator ille electoris exanimis in terram conderet, qui vero eum percusserat, fuga salutis sue consuluit.

Petrus Barbirius dum æs alienum aut debitum a rege Ferdinando, quod se ad myriades aliquot auri extendit, repetit, Lutheranus et esse accusatur et castro suo exiit. Hanc quod longo tempore austriacæ domui inservierit mercedem reportans nunc aulas deridens summo Domino seruit.

\*

1 Lücke von fast einer zeile.

Constantinopoli etiam refragante patriarcha permissione imperatoris turcici verbum domini sincere prædicatur. Gerhardus Heddewich Ferdinandi regis ad Turcam sæpissime legatum agit.

Nota Pedionæo poetæ (si diis placet) ingratitude ab Augustanis objici.

Ulricus Wirtenbergensis dux multa devorare cogitur, sed spes est, sperantem in Dominum misericordia circumdari.

Dominus de Lyra, qui etiam nobis adeundus fuisset, lecto ægrotans decumbit.

Sertorius Basileæ pro mille et trecentis florenis ædes emerat. Verum ubi Sebastianus Vogelsperger capite plexus est, Schertell in Galliam concessit.

Ex Interim interit.

Nota de Bilckio et eo, qui se illi in personatum famulum adjunxit, quo nequitiae suæ gnarus nostris, quid bicolor ille monachus moliretur, revelare posset, verum dolo detecto in carcerem coniectus est.

Melchior Linden nobis consultationem Claudii Canciunculæ in causa Hoiensium descripsit.

Bernhardinus Ochinus et Petrus Martyr in Angliam vocati sunt. Musculus ait, Germanis audaciam et vires nec non martios animos datos, quibus si post Deum usi fuissent, non forte ab exteris nationibus sic (ut proh dolor res ipsa testatur) pessumdati forent. Sed dum præter patrium ingenium et ipsi dolos et fraudes suscipiunt, astutiam <sup>1</sup> dolosissimæ Italicæ et Hispanicæ gentis ab ipsis astutiâ superantur. Nam taurus robustissimum animal contra leopardum pugnans, si recta leopardum cornibus impetat, facile hunc convincit; si autem diu secum cogitabundus dolo leopardum aggredi velit, ocius astutissimus leopardus mira varicie taurum excæcat et jugulat. Sed hoc ænigma suum sibi Oedipum requirit.

Domus quam Hanso Gesse hospes noster pro sedecim centenis florenis comparavit, illi uxor, liberi et cognati doctissimi ac piissimi viri Urbani Regii vendiderunt. In hac nos Deus sua benignitate hospitare hic permittit.

Samuel nepos apud ducem Ernestum cœnatus est. Frater Joannes Joannem Fridericum convenit, explorans, qui se res optimi principis habent.

\*

1? Fraudes suscipiunt ac astutiam.

Fuggeri, Baumgarteri, Herbroteri, Goslei et quidquid harum harpiarum est, suos proventus in his comitiis adaugere dicuntur.

Domine Deus et rex, in cujus manu corda omnium sunt viventium, qui hodie mihi in conspectu N et N gratiam invenire dedisti, qui non confundis facies tibi se permittentium, inclina cor regum et habeto curam nostri. Id te deprecor per Jesum Christum dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus S. Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Benedictus Deus, qui mirabilis est in sanctis suis. Nam quos videtur juxta nostros oculos abjecisse, hos evehit, quos in altum extulisse, hos mente cordis sui disperdit, ut videre est. Sic Daniel abjectus et humilis Jerosolymorum civis primos honores exul et abductus apud potentissimum Babylonæ regem consequitur. Sic Joseph a fratribus venditus et ipse captus et in carcere primatum agit et secundus fit post regem. Sic Joannes Fridericus et ditionibus omnibus exutus et in custodia etiam ab hostibus magni fit et a gente alienigena et exotica bene audit, Mauritius ille et ab exteris nationibus et a Germaniæ indigenis male audit, forte nunc agnoscens, quanta infelicitas sit juxta Machabeorum libros prosperos erga cognatos habere successus, ne interim animis ipsius Augusti Octaviani dicto: Proditionem amo, proditorem non ita, percellatur.

xxv Aprilis, quæ Marci Evangelistæ sacra erat dies in templo Minorum sermonem audire volebamus, verum is ante sextam finitus erat, quare ad D. Mauritii ædem nos contulimus, ibi D. Musculum ex cap. 14 Joannis hæc verba Christi scilicet: «Hæc locutus sum vobis, apud vos manens, paracletus autem ille, qui est Spiritus S. quem (spiritum) mittet pater nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quæcunque dixi vobis» legentem et exponentem audivimus. Docuit igitur inter cætera, quis esset ille spiritus veritatis et quisnam is esset, qui eum dat. Item quod exercitationem doctrina præcedere debeat, et prius discere quam scire conveniat. Nullum enim officium vel artem necessariam exercere poterit, qui non prius ab aliquo instructus eam probe didicerit. Item Christum D. apostolis suis in quartum usque annum ore suo sacrosancto concionatum esse, nec tamen eos ex carne et sanguine hunc fructum salutarem consequutos, quin hoc spiritu paracleto corda eorum aperirentur et ab illo docerentur. Item nihil facere ad salutem, multo tempore verbum audivisse, ni spiritus quoque intus cooperetur. Item quam etiam D. Hieronymi ætate ecclesia ab hoc spiritu deviare cœperit, evidenter ex verbis ipsius Hieronymi in epistola ad Nepotianum

ostendit, ubi conqueritur multos esse, qui parietes marmoreos exigant, altaria gemmis et auro ornent, ministrorum autem nullam fieri dilectionem etc. Id ipsum quoque Musculus ex aliis patrum dictis probans, conquerens, etsi patres non in omnibus eorum scriptis probandi sint, non tamen majori diligentia ab adversariis in singulis explorari etc. Proposuit præterea ordinationem ministrorum per papistas et per antithesin ministrorum, quos spiritus paracletus vocat et instituit. Item quo reciderint res ecclesiæ, nimirum ad speciosa verba, templa regaliter instructa, missarum contaminationes, dum interim negliguntur, qui spiritu et veritate instructi, mansiunculæ sacramentorum (ut vocant) sunt, cum ædes aurea tamen sit purus homo, qui fide verbum Dei amplectetur etc. Et ita de veritate docuit, ut veram fidem, constantiam et doctrinam ejus satis mirari possis, præsentibus lupis et ursa raptò catulo eum circumdantibus, nec non et aquilis, unus hic Musculus bonis fulcimentum in Christo Augustæ degentibus adversariis, malleus conterens petram videri potest. In obsecrationibus oravit etiam pro iis qui in vinculis ob confessionem veritatis detinerentur, ac pro christianis, qui in captivitatem turcicam translati sunt. Non enim, inquit, eo ipsi sunt pejores, quod abducti sunt et sub tanto tyranno vivunt. Omnes enim peccatores sumus, etiamsi non statim ultio adsit, juxta verba Christi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus cum victimis miscuerat. Perpulchre Musculus ritum loquendi papisticum «*Er hat sich berichtenn lassenn*» pro eo, quod dicimus, sacramentorum se participem fecit (cum tamen earum rerum vel sint edocti vel sciant) explanavit.

Vidimus in æde Mauriti in atrio inferiori templi aram erectam, in qua cœna Domini celebrari solet, ad cujus latera hinc et hinc sequentia in nostra lingua Actorum 2 descripta erant: *Sie bliebenn aber bestendig in der Apostell Lehr, vnnnd inn der Gemeinschaft, vnd im brotbrechenn vnnnd Gebet. Item Corinth. 10. Ihr mueget nitt gleich theilhaftig seinn des Tisches des herrenn vnnnd der Teuffell Tisch, Ihr mueget nit zugleich trinckenn des Herren Kelch vnd der Teuffell Kelch.*

Ardorem populi Augustani vel potius parvulorum erga verbum divinum ex hoc ea die consideravimus, quod quendam provectoris ætatis hominem vidimus, qui mancus et claudus duabus bipennibus innixus vix ægre tibias trahens gradus aliquot conscendit veniens, ad scamna, in quibus nos sedebamus, nec hoc illi satis erat, sed utcunque potuit, partim reptans, partim manuum opera utens in superiora scamna e regione ecclesiasticis, quo commodius cœli præconem audire posset, consedit.

Abibant eadem frater noster Joannes, Wendelinus et Milchlingus sollicitatum, at antemeridiano tempore nemo ex consiliariis in auditorio adfuerat. Id autem his de causis factum puto, quia dies erat (ut vocant) rogationum, et archidux medicorum opera quoque usus, ad hoc, quod electores extra urbem apud Treverensem Libero patri sacrificarent.

Narratum est nobis eadem, quod sub initio comitiorum Augustæ comites am Hartz a Cæsarea majestate impetrarunt, ut quidem pro liberis imperii comitibus haberi possint, et tamen dominos feudorum suorum mutare non cogentur.

Eadem per Hoiensium secretarium uxoreculæ scripsi.

Viglius, Hase, Marquard, pro veteri more de rapacitate Perentorum conqueruntur.

Fama quidem fuit, Albertum comitem de Mansfeldt, se gratiam imperatoris recuperare posse, spem aliquam concepisse, sed ægra hæc.

Eadem Wolfgangus Musculus scriptum D. Martini Bucerii de disputatis Ratisbonæ in colloquio et contra Vintoniensem epistolam nobis in hospitium transmisit.

Sub cenam Samuel nepos adduxit Schwartzbergum de Bebanberg et Baronem filium Friderici a Schwarzenberg, qui, quod Joanni Friderico electori militaverat, ditone sua privatus, quam Albertus marchio ex dono cæsareo tenet. Sic servi domini exulant, helluones papistici dominiis aliorum fruuntur et helluantur. Dominus tamen non derelinquet suos in finem.

Supervenit et Hoiensis secretarius.

Nota comitatum Frisæ orientalis esse feudum comitum Hollandiæ ad imperium tamen hactenus pertinuit, sed nunc ea res se mutavit.

Domine Jesu, qui paracletum discipulis tuis promisisti et misisti, quoque pro nobis intercedere digneris apud patrem tuum coelestem, quo nobis eundem consolatorem spiritum impartiri velit, qui omnia nobis suggerat, ut et præceptis tuis dediti eundem patrem per te in spiritu sancto amemus et cum tremore revereamur in sempiterna secula.

Nunciata eadem mors Joannis Hilchen, equitis aurati et ducis exercitus Cæsariani.

Abbas in Weingarten, qui et ipse inter status imperii suam (ut vocant) sessionem et vocem habet, homo juxta carnis prudentiam non ex omni parte stolidus, dum sesquipedalibus verbis confœderatio et transactio terrarum hæreditariarum Cæsaris cum imperio etc. præponetur, ait, sibi videri non absimile, si quis virginem viciatam alicui pro



virgine incorrupta desponsare cuperet. Nam is meretriculam, quam posset, muliebri mundo, torque aureo, annulis et ejusmodi non solum ornaturus esset, quin et insuper laudibus hujus pudicitiam mores et quicquid esset per verborum ampullas proco magna facturus sit. Ubi vero miser Glycerium illud duxerit, habiturum eum et scortum et metanea eum torqueri. Hic, inquit, nobis dulce præcinitur melos. Si autem in proposita consenserimus, præclara quidem res est, res nostras cum tantorum principum regnis et possessionibus esse unitas. Verum successivo tempore nostra insumentur, et si quid adversi regionibus dictorum principum acciderit, nos illis præsidio et defensionem esse oportebit, et tum primum sentiemus, nobis laudato scorto fucum factum. Atque miser monachus hoc mercedis suo joco aut comparatione potius nactus est, ut et apud potentes traduceretur, ac Cæsar illi dextram in conventu principum pro more præbere dissimulaverit ac torve satis ipsum intuitus sit. Meretur tamen is monachus, qualiscunque sit, hujus consilii a Germanis merito gratiam. Verendumque olim suo malo Germaniam experturam, quid voluerit hic abbas.

xxvi Aprilis in templo Minorum loco matutinarum precum quandam populo aliqua ex Evangelio Joannis prælegentem et exponentem collatione scripturarum audivimus. Inter reliqua ait: Qui se Deum amare gloriatur, eum etiam et manus et cor a vitiiis continere oportet.

Eadem mihi horologium cum theca foris deaurata pro 18 thaleris comparavi. Legi et purgationem nostri de colloquio Ratisbonensi per Bucerum conscriptam.

Eadem una omnes excepto nepote hospitium archiducis visitavimus. Cum autem ad atrium domus venissemus, edocti ab anteambulonibus sumus, archiducem summo mane nescio quo abiisse. Aedes igitur cancellarii Atrebatensis frequentare visum est. Ubi dum in area curiæ stratos lapides trivimus, opportune Viglius adest. Hunc Eubulus rogat ut, si ita sermo inciderit, recordationem nostri apud episcopum habeat, qui fere post horam abiens ait, nos isthic nihil efficere posse, attamen se nostræ causæ mentionem fecisse.

Joannes frater et Samuel nepos cum electore Joanne Friderico pransi sunt.

A prandio Eubulus licentiatum Nic. Maier visitavit, qui ipsum humanissime exceptum in museum suum introduxit, quod erat varia egregiaque librorum suppellectile refertum. Is quoque nos libello, cui titulus Series et digestio temporum et rerum etc. ab Henrico Bullingero elucu-

brata et iidem Maiero ab ipso autore donatus fuerat, donavit. Dedit et alterum autore Rudolpho Gualthero, qui Servus ecclesiasticus inscribitur. Item carmen in bellum Germanicum per Pedionæum et hujus amicum in eundem carmen jambicum trimetrum scacon. Idem licentiatius Maier advocatum agit ducis Wirtenbergensis, qui et consilium conscripsit, an filius possit privari feudo ob veloniam, ut jurisperiti dicunt, patris etc.

Mille et quingenti reperti sunt, qui de ducis Udalrici Wirtenbergensis ferocia et illis illata injuria querelas instituerunt. Multis tamen visum est, hos in hoc vel pecunia allicitos, vel alias a potentioribus nunc ditiones ducis avientes subornatos esse, cum alioqui dux ipse et a suis intime ametur et æqui tenacissimus dicatur.

In iisdem ædibus, quibus nunc Maier inhabitat, olim Urbanus Regius commoratus est. Filiolo licentiatii Maier duos aureos dedimus. Mayer archiducem alloquendum consulit. Viglii autoritas post Atrebatensem prima est inter id genus hominum.

Nota inter jurisconsultos italos disputatum esse, an is, qui per Cæsaris legatos aut commissarios a vellonia absolutus sit, si ipse imperator non ratificaverit absolutionem in propria persona, absolutio rata esse debeat, an secus, et conclusum est, hunc absolutum non esse; exempli gratia Mediolani dux olim per quasdam transactiones absolutus erat et tamen dum a cæsareano exercitu passim affligitur et dum de hoc conqueritur, illi protendebant eas transactiones ab ipsomet imperatore in propria persona minime confirmatas esse. Id in Italia plantatum, nunc floret in Germania, ut ipsa docet experientia.

Laurentius a Grusen, qui a puero Joanni Friderico Electori inservierat, illi charissimus, ante paucos dies hic Augustæ in Domino obdormiit.

Samuel nepos Eubuli nomine Joanni Friderico Electori salutem dixit, per quem elector jubebat, ut Eubulo diceret, se de nostra injuria dolere. Nam de hac re se ab Ernesto duce edoctum esse. Jubebat quoque elector, ut eum inviserem, id tamen non nisi explorato consilio Wilhelmi comitis facere volui.

Papistæ interim suscipere, nisi in hoc explorato papæ consilio nolunt.

Dido de Kniephusen et secretarius Hoiensis cœnæ nostræ interfuerunt.

Domine Deus, omnipotens, misericors, patiens et benigne, En quid

sit de nobis, quia caro et pulvis sumus et quod nemo non viventium sit, qui rugis (sed quid dico rugis?) imo multis sordibus non sit non infectus, nostra mala agnoscimus. Quamobrem te suppliciter, ut in faciem ejus, de quo per servum tuum Davidem loquutus es, ipsum esse speciosum inter filios hominum suavitate gratiæ refecta esse labia sua, quapropter et tu Deus illius benedixisti illi in æternum et unxisti eum oleo lætitiæ præ consortibus suis, auferentem rugas et deformitatem peccatorum nostrorum ipsius agni sine macula respicere digneris deprecamur, ne permittas nos nobis, sed in hoc Jesu filio tuo benedicto omnes transgressiones nostras nobis remittens, des fidem, des emendationem vitæ nec non charitatem et perseverantiam usque ad extremam vitæ nostræ periodum, per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit et regnat etc.

Interim illud ad diem d. Georgii martyris publicari debebat, sed interim nihil fit.

xxvij in sæde Mauritiï Wolfgangus Musculus concionatus est, enarrans hæc verba: Ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quæ dixi vobis, ex cap. 14 Joannis. In quorum verborum explanatione a xxj Aprilis usque in hunc diem succedaneis concionibus perstitit disserens, hujus doctoris doctrinam plus satis ad discenda omnia, quæ nostram et fidem et salutem concernant, esse. Sufficiens, inquit, ad omnia doctrina apostolica est, et graviter peccare quicumque humanam super hanc struunt, ut papa et sui hactenus fecerunt. Item quam nihil sani sit, ubi hic doctor non adsit. Item quam prorsus nihil boni ex nobis ipsis agamus, et quam etiam corruptus sit fons iste memoriæ, nisi hic doctor omnia suggererit, idque maxime eo argumento liquere, quod puerulis summa diligentia vix paucula verba dominicæ orationis inculcare queamus, et quam labili ea ipsa, quæ didicerint, memoria teneant. Verum si nobis forte non considerantibus quid turpe aut obscœni sermonis audientibus puerulis exciderit, id mox patulis auribus arripiunt et adeo avide in mentes transmittunt, ut summa etiam solertia opus sit hæc illis eripere. Item quare Christus dixerit «Ille docebit omnia, quæ dixi vobis et non potius quæ feci» etc., adducens opera Christi facta esse ex operatione patris, ad ea ad quæ necessaria et commoda videbantur, sicut leprosos mundavit, cæcis visum restituit et mortuos resuscitavit ad vitam etc. nec nos, ut omnia Christi opera imitemur, teneri, sed ut verba ejus recipiamus et ad horum præcepta, juxta spiritus illius vocem, a deo patre et filio in hoc misso fidem et vitam nostram instituere, nos

adstringi. Summam enim scripturæ esse ait, verbo inniti. Quod si fecissent, inquit, antecessores nostri et non potius opera domini imitari voluissent, ut alius jejunium perpetuum sibi ipsi præscripsisset, alius heremo habitare delegisset, interjiciens, monachus autem solitarius (at hæc hominum fæx quo non hoc ævo circumcursat?) non ita deviatum fuisset a recto verbi dei intellectu et vera fide etc. Item quid sibi velit vocula «suggeret», enarravit. Et ut omnino nobis persuaderemus, si vel in necessitate corporis vel animæ periculis aut etiam vel in prosperis successibus nobis in mentem veniat de dei bonitate, eam consolationem magni faciamus, domino gratias agentes, recogitantes, id gratia hujus spiritus suggestoris paraleti fieri etc. Concludens, ut Deum opt. max. rogaemus, duo nobis hæc per Christum impartiri dignaretur, ut scilicet verbum ejus fide pura apprehendamus, et deinde quo spiritu hoc sancto illud conservari et ab eodem spiritu nobis, quæ Deo patri et filio placita sunt suggeri donet. Nemo autem ex meæ farinæ hominibus facile spiritum Musculi verbis exprimet. Aiebat et illud omnia quæ dixi vobis non adeo intelligendum de nudis verbis, cum evangelistæ eadem opera vel verba Christi alii aliis verbis describant, sed juxta rectam sententiam.

Eadem dominum Atrebatensem conveniri cupiebamus. Verum postquam diutius deambulatum, prodiit tandem paternum hospitium adiens. Tanti autem erant petitores, ut nobis eum alloqui non licuerit.

Ad prandii horam illustrissimum d. Joannem Fridericum electorem visitavimus. Mensæ assidebant Philippus et Eubulus comites a Waldeck fratres, Henricus baro a Schwartzenberg et Taffere Hispanus et electoris cancellarius Minckwitz. Elector se nobis clementissimum exhibuit, interrogans de iis etiam, quæ homini in tantis afflictionibus memoriæ esse miraculi vice duxeris. Et cum optimo principi meo uxorisque nomine de exhibita nobis clementia gratias agerem, respondit, se omnia libentissime fecisse, et si qua in re utriusque rem gratam præstare nobis posset, illi semper id volupe futurum. Consoletur eum vero suo paralecto illo, qui omnes afflictiones hujus principis in manu sua descriptas habet Deus. Hujus principis tribulationibus et hæc adjecta est, ut tractatus inter Mauritium et ipsum protraherentur, eo quod commissarii nominari nequibant.

Deinde animi gratia intra urbem deambulanti obviam nobis fit Fuggerus albæ gallinæ et solis filius, Iberis sibi aliquot adjunctis, ipse plane Hispanicus.

De interim aliquot paginas legimus.

Vidi et ædes ejus, quem in Brabantia novi, Jacobi Hogsteter olim opulentissimi utique, qui cum suo sodalitie olim Romæ bancam (ut barbari vocant) tenuerit, nummulariorum et fœneratorum non postremus. Quæ tamen dum Roma Caroli Borbonii ductu (licet ipse Carolus ictu ænei tormenti ante urbem perierit) oppugnaretur, eversa fuit et pecuniæ a militibus distractæ. Is Jacobus et suæ sortis homines, nunc et bonis et domo cessit, a deo ad stipem redactus, ut ob æs alienum et carceres et rerum suarum distractionem passus sit. Devorarunt autem et hunc harpigie fœneratorum Fuggeri. Hiccine fortunæ ludus est et hæ mundi vices!

Eadem Wendelinus, Florus et Melchior Atrebatensem a prandio alloqui abierunt, petentes, ut causa nostra promoveretur. Qui respondit se omnia libentissime cæsareæ majestati narraturum, idque vel crastino, vel perendie.

Domine Jesu, qui hodie, heri et in secula es, da, donec in hoc vitæ curriculo sumus, tibi nos inniti, a te solo bona cuncta sperare, qui tibi ipsi dissimilis esse nusquam potes. De interim autem nunc a sophis hujus mundi excogitato, tu, qui es sapientia patris, statue! Sciant gentes, quod Deus est. Id te rogamus per tuammetipsam bonitatem, qui vivis et regnas cum Deo patre in unitate ejusdem spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Vidimus apud Joannem Fridericum senem capularem annos climactericos jam dudum agentem, qui barbyton tangens, ipse quovis vel juvene saltando et choreas ducendo agilior.

Cœnavit nobiscum baro de Schwartzenberg, Friderici filius.

xxviiij Aprilis in cœnobio minorum concioni sacræ interfuimus, ubi senior quidam presbyter sermonem ex cap. 17 Joannis Evangelistæ habuit, exponens, quid mundus, qui item sint de mundo. Item de precatione Christi pro credituris per doctrinam apostolorum, et ut hinc consolationem in afflictionibus arripere studeamus, ut si vel a Sathana, a mundo vel carne tentemur, ad hanc Domini orationem et cor et animos vertamus, recolentes nobiscum nos non deseri a Deo, utique pro quibus filius ille unigenitus, qui solus ob reverentiam exauditus est, oravit. Habetur autem hæc concio aut aliqua hujus similis inter quartam et quintam horas, quo familia etiam verbo domini pasci posset. Quod genus hominum Bavari et Suevi sua lingua Die Ehehaltenn vocant, velut per quorum operas res matrimoniales et adjuventur et curentur nomine (ut mihi videor) honestiore quam servorum et servarum more nostratum.

Eadem comitem Wilhelmum a Nassau invisibamus, cum quo et

jentaculum sumpsimus, cum missæ cæsareæ interesse vellet et archiepiscopum Coloniensem prandio excepturus esset, cum quo et de nostra causa acturus erat.

A prandio fratres et ego una urbis mœnia obequitavimus, nam Samuel apud comitem Wilhelmum pransus est.

Eadem tumultus militaris ad macella exortus est. Nam dum Iberi Germanis carnes præripere tentant, laniones Germanis auxilio fiunt. Utrunque et accepta et data sunt vulnera, Germani tamen facti superiores. Iberi aliquot ad mortem usque sauciati esse dicuntur.

Eadem per Nicolaum Gallum Monasteriensi a pedibus ad eundem præsulem perscripsimus.

Volebat et Hoiensis secretarius eadem Augusta discedere, sed ob morositatem examinantis testium remoratus est.

Ad quintam in hospitio comitis Wilhelmi adfuimus, ubi dum in horto mensa sternitur præter expectationem comitis venere comes ab Eberstein frater Lusæ et filius ejus comes a Wertheim unicus filius et avunculus noster. Item junior de Papenheim, Franciscus Conradus a Sickingen, Georgius Spedt et alter Spedt, item dominus de Zeltingen, Austrius et aulicus imperatoris, Carolus a Stockem, præfectus in Weilburg, et Vitus Velbrugge, satrapas in Vianden.

Risu dignum, quod dum Cæsar per Rhenum navigio vectus Nanstadium præterlegit et Conradus Franciscus a Sickingen ipsum prandio excipere vellet, et matutinas horas cum aulicis aliquot, qui ante Cæsarem eo adnavigarant, liberalius potasset ac subito Cæsaris adventus illi nuntiaretur, nec non Cæsarem recta Nanstadium præternavigaturum. Hoc nuncio Chunradus Franciscus accepto festinus ad navigia Cæsaris properat, quam humillime potest Cæsaream majestatem ne apud ipsum prandere aspernaretur, deprecatus est. At Cæsar, gravioribus occupatus, id se modo facere posse abnuat ac humanitatis ergo Francisco Chunrado dexteram præbuit. Sickingen igitur vino amorem jungens Cæsari manum durius premit. Cæsare volente dexteram retrahere ac abire conanti Sickingen fortius premit, sperans se posse precibus Cæsarem retinere. Et cum sic aliquamdiu inter hos pugnatum esset ac tandem Cæsar susceptum iter prosequeretur, Cæsar principibus postea conquestus est, se ex pressione manus ob chiragram et podagram cruciatus maximos pertulisse et tamen non potuisse Sickingen pudefacere. Hujus joci et Cæsar ipse et Franciscus Chunradus præter plures et auritos et oculos testes martyres sunt.

Ibi certo comperimus, Joannem a Hilchen, qui cum genero Wilhelmi comitis, comite Hermanno a Nuenar abierat, vita excessisse. Qui Joannes Wilhelmo comiti, quod vetus ejus congerro et multorum periculorum pace simul et bello socius ipse fuerit, erat quam charissimus.

Nota de tibicine et marchionis electoris marschalco.

Anno superiore Cæsare in Saxones ductante exercitum Hispanus quidam (ut est gens turpissimæ salacitatis et ineffabilis luxurie) rustici uxorem spectante marito stuprare conatus est. Quod videns rusticus arrepto nescio quo instrumento Hispanum confodit ac ipse, ut tum vestitus erat, equo insiliens aufugit et ad N comitem veniens infortunium suum illi exposuit. Comes igitur rustici misertus et quod de pauperie sua conquereretur, coronatos quatuor illi donavit, jubens, si posset, plures horum extirparet, et se illi copiosiore pecuniam daturum.

Domine Deus, quoniam nemo mortalium suis operibus salutem consequi potest, te deprecamur, crea mundum cor in viscera nostra et principali spiritu nos confirma, ut sic in te pacem habeamus in filio tuo Jesu et quæ tibi placita sunt, adjuvante nos spiritu tuo bono, semper cogitemus. Qui vivis et regnas Deus unus et trinus in sempiterna secula. Amen.

xxix Aprilis, quæ fuit dominica cantate, in Minorum templo divinis interfuimus, ubi primo prælector caput 14 Matth. integrum populo ex ambone legit ac confessionem publicam et obsecrationes facere jussit. His peractis d. Leonardus huic in suggestu succedit, qui invocata divini numinis ope ex capite secundo Matthæi (quem evangelistam idem pro ordinaria concione habet) legit hæc verba: Defuncto autem Herode ecce angelus domini in somniis apparens Josepho in Aegypto, usque ad finem capitis. Deinde adeo suis coloribus Herodem depingit, quod fuerit rex atheos tyrannusque truculentissimus, utpote qui infanticida nec puello filio proprio pepercerit, qui Alexandrum et Aristobolum filios suspensio vitam finire adegerit, qui omnem stirpem davidicam radicitus præter paucos reliquos extirpare sategerit, ad hæc senatum sinderim, hoc est septuaginta seniorum per occisionem abstulerit. Item quod annis xxxvij Judææ præfuerit, remittens nos de his rebus ad Josephum, Eusebium, Josippum et Aegesippum etc. Jussit Leonardus in hoc Herode longanimitatem benignissimi dei considerare, qui tanto tempore tyrannidem hominis hujus tulerit, et quod deus peccatoribus poenitentiae locum concedat. Dixit item de prospero successu Herodis, scilicet qui Cæsari acceptissimus foret, pharisæos et pontifices sibi faventes haberet, caute

describens hæc nostra tempora. Addidit autem de exitu vitæ Herodis horribilissimo, ostendens Deum nosse qui et tyrannos pessumdare et suos eripere debeat. Item quomodo Deus in impœnitentibus supplicii tarditatem pœnæ gravitate compenset, et quomodo sublatis tyrannis suis aliquando respirare donet. Item de cruce Joseph et Mariæ in Aegypto apud gentem idolatram et irrisionibus deditam, et quod Christus dominus annos fere quatuor in Aegypto peregerit, nec id interim tacens, majorem tunc, sicut et nunc, mortalium partem se ad felicius navis latus inclinasse et eam fidem, quæ regi, sicut et nunc quem Cæsari cordi esse probassent, amplecterentur, et quam exiguus grex veræ ecclesiæ fuerit. Item, quantæ fuerint pressiones ecclesiæ sub Nerone, Trajano, Domitiano, Diocletiano et id genus imperatorum, ut præter omnia alia incommoda et tot persecutiones publici etiam conventus christianis prohibiti sint, ita ut, dum interdiu non possent, nocte ad lucernas convenerint, et ad hos usus, inquit, candelis et luminaribus usi sunt veteres christiani, non ut stulti, inquit, die gottlosenn und siellosenn Papistenn, faciunt, qui claro cœlo cereos accendunt. Item quo ardore veteres christiani martyrium appetierint, adeo ut etiam non evocati se ipsos prodentes accurrerent, vixque tandem christianis a Constantino magno loca publica data et templa constituta esse, in quibus, inquit, Christo laudes dicerent, doctrinam apostolicam docerent et recordationem mortis dominicæ in participatione panis et calicis celebrarent. Ne igitur, ait, despondeamus et nos animum (o pusille grex), nam dabit Deus his quoque finem. Item semper piis doluisse, quod viderent pessimis hominibus suos conatus et appetitiones optime cedere, adeo ut etiam Davidis pes in hac lubricitate pene lapsus fuerit. Id ipsum quoque a Hiob et Jeremia cum aliis multis Deo charissimis patribus conquestum esse. Oportere autem cum fide et spe expectare dominum, qui suos tandem eruet evehetque. Exemplo sunt Joseph nutricius Mariæ virginis et pueri Jesu, qui quamquam multa intolerabilia in Aegypto perpessi sunt, non murmurarunt, sed summa patientia expectarunt, donec oraculo moniti in Judæam reverti juberentur. Item exemplo Joseph nos prudentes esse oportere monuit, qui quanquam ab angelo jussus fuerit in Judæam remeare, attamen in hoc sancta prudentia usus, ne eam tetrarchiam, cui Archilaus præsidebat, intraret, si ex hoc exemplo christianam prudentiam disceremus docens, ut tamen temeritatem et præcipitantiam vitaremus. Item Archilaum fuisse filium Herodis magni, nunquam tamen eum dignitate regia insignitum fuisse. Huic Pontius Pilatus successit etc. Item locutus est



de dissensione Judæorum altercantium, num dominus in Bethleem Galileæ, an in Bethleem Ephrotæ nasci debuisset. Item, quare Jesus Messias Nazarenus vocatus sit et unde hæc sententia desumpta. Scilicet Nazarenus vocabitur, cum juxta d. Hieronymum in nullis libris prophetarum reperiatur. Aiebat autem in libro Judicum cap. xvi inveniri, nempe de Samsone, qui fuerat figura salvatoris. Nam ut Samson plures moriens interfecit quam vivens, sic Christus verus heros morte sua diabolum, infernum et mundum devicit. Huic ergo glorioso triumphatori, qui suos nunquam derelicturus est, summa fiducia adhærere jussit. Quod nobis omnibus idem benignus dominus, cui cum patre et sancto spiritu in sempiterna sit gloria, donet. Amen.

Statim a concione prædicator his qui sacræ synaxis participes fieri volebant, parænesin christianissimam adhibuit, prælegens argumentum exemoliosis <sup>1</sup> publice. Jubens præcipue Deum orarent, ut verbum suum nobis diutius impartire dignaretur. Cæremoniæ autem hæc fere in Augustana ecclesia, ubi populus ad sumendam eucharistiam accedit, servantur. In templi choro Minorum altare magnum est, ante quod posita est mensa cum altari vectibus ligneis oclusa, ita, ut soli sacerdotes intra illud spaciolum astent, et posteaquam plebs utriusque sexus ordine suo stat vel consederit, parochus nonnulla hunc actum concernentia germanico idiomate legit, verba consecrationis proferens et mox ministri ecclesiæ, facie ad populum versa, panem et calicem in manus sumunt recumbentes ad cancellos atrioli, ita ut ad lævam altaris fœminæ accipientes utramque speciem accedant, ad dextram viri etc., eo tamen ordine atque ea decentia, ne vel viri mulieres, vel mulieres viros in accessu inturbent. Liberum quoque est utriusque sexus hominibus, si quis panem e manibus sacerdotum vel suis propriis ori suo admovere velit, idem quoque de calice. Dum hæc fiunt, ecclesia Deo laudes decantat. Post sumpcionem sacramentorum rursus per sacerdotem fit admonitio. Leguntur preces sacræ et sic ecclesia dimittitur.

Dicebatur eadem Ottho Berckenfeldt advenisse. Eadem major pars famulitii nostri regiæ et cæsareæ missæ spectandi ergo adfuere.

Ad tertiam pomeridianam D. Musculus prosequutus est textum Joannis xiii, scilicet hæc verba: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non sicut mundus dat, eam do vobis etc. exponens ait, pacem Christi esse pacem a patre, pacem cum patre et pacem quam gerit cum

\*

1 exemoloesis publicæ i. e. publicæ confessionis.

et erga suos. Pax Christi est pax ad Deum et pax conscientiarum veræ lætitiæ in Christo. Quam igitur cum discipulis tenuit pacem, hanc et illis dedit et reliquit, sed suis tantum, ut et in cruce et in morte pacem ejus et cum ipso retineant. Pax mundi quantumcunque firma, inconstans est, et non nisi ad impietatem datur. Præterea nemo pacem dare potest præter unum Deum patrem et filium ejus Jesum Christum. Recensuit obiter mundi turbidam pacem et ingratitude[m] erga bonos viros de se optime meritos. Esse quidem qui in heremum et cœnobita confugere possint, qui autem mundum et se ipsos relinquere queant, perpauca reperiri. Hanc igitur pacem Christi nos et expetere jussit et eandem pacem omnibus precatu[m] est.

Eadem, dum pueri in colliculo ante sedes hospitis nostri et ludunt et cursitant, infantulus quidam e muro ad inferiorem plateam decidit, et brachium et caput læsum.

Domine Deus, filius tuus dilectissimus ad te ex hoc mundo ascendens ad suos ait: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non sicut mundus eam dat, ego do vobis. Hæc igitur verba filii tui ad memoriam revocantes piissimam paternitatem tuam suppliciter rogamus, pacem tuam, quam per incredulitatem et iniquitatem vitæ amisimus, nobis redde! Verbum tuum nobis obtulisti, cui omnes restitimus. Nam pars hanc salutem nostram pertinaciter repellimus, nonnulli vero ex nobis verbum tuum ex imo pectore amplectimur et te confitemur. Dum igitur sine te nulla nobis vera vel requies vel pax contingat, nec sit alius, qui veram pacem dare queat, redintegrato in domino nostro Jesu Christo pacem nobiscum, quam mundus dare non potest, ut sit pax conscientiis nostris, quo et te ex toto corde amare et pacem cum proximo habere valeamus, cui cum filio et spiritu sancto omnis potestas, imperium et honos sit nunc et in sempiterna secula. Amen.

Ultima Aprilis in templo Minorum intra quintam et quartam horas d. Leonardum ex capite xxvij Matthæi sermocinantem audivimus de verbis Pharisæorum ad Pilatum ob custodiam sepulchri dominici, ubi inter reliqua ait, non debere nobis mirum videri, si de nobis non omnia pro æquo et decore (licet inculpati) alicubi essemus, dicerentur, cum hæc domino acciderint, et meminerimus nos, qui Christi nomine gloriamur, discipulos esse, et quod discipulus non supra magistrum, cui etiam post mortem mendacia intentant, planum eum et seductorem nominantes. Item de commisso Pilati, qui, tametsi innocentiam Christi probe perspectam habuerit et invidiam eorum suboleverit, imo re ipsa experiretur,

tamen spe lucri et ne malam Cæsaris gratiam iniret, scribis, pontificibus et pharisæis cum eorum complicitibus morem gesserit. Quales et nunc non pauci et nostra ætate inveniuntur, qui aversa a deo facie et corde reboante etiam ipsorum conscientia prælatis et potentioribus, inhiantes lucello et opimis redditibus eorum, colludunt. Item quod Pilatus Pharisæorum petitione non gratis assenserit, sicut nec vigiles ad sepulchrum absque pecunia custodiam egerunt. Quam ob rem et olim Germanis in proverbium abierit: Niemantz warth des heiligen Grabs umbsonnst. Quo perspicacius Christo intentatum Pharisæorum mendacium agnosceretur, dixit, discipulos non potuisse quidem corpus domini ob advolutum saxum sepulchro furto auferre. Tum quod, etiamsi voluissent illud tollere, tamen quo reponerent eos non habuisse. Tertio, discipulos adeo fuisse meticulosos, ut domino etiam præsentia sua et multis miraculis editis illis resurrectionem suam inculcare pene labor fuerit, ut liquet ex incredulitate Thomæ etc. Pauca adjecit de fructu resurrectionis Christi et tantum triumphum fidei et memori corde sæpius recolere jussit.

Inter obsecrationes hoc mihi mirum in modum arrisit, quod quidam, cujus nomen domino notum est, sic in schedula conscribi jusserat, inter nonnullos simultatem maximam abortam esse, unam ergo partem ecclesiæ preces sibi subsidio esse petere, quo dominus pacis utrisque amarulentiam et odium ex animo eripere dignaretur, ut juxta Christi præceptum, sicut christianos homines decet, concordiam inire et post-liminio invicem in gratiam redire possent.

Eadem Joannes Hagke secretarius comitum de Hoia collegam suum ad nos misit, qui nobis diceret, si quid domum scribere vellemus, id ocus fieri oporteret. Cui ad dominam socrum et uxorem literas perferendas dedimus, honoratus est a nobis duobus aureis.

Eadem pro responso sollicitatum. Astantes autem in palatio Atrebatensis, ubi Italorum, Hispanorum et Germanorum diversi sollicitatores aderant, inter quos etiam Bremenses, quibus omnes mala ominabantur, potissimum quod comitem Albertum a Mansfeldt in sua urbe hospitio exceperint, quibus egredientibus ex conclavi episcopi facies eorum testimonia dabant, quam amice (si diis placet) ab ipso fuerint excepti, si modo Plinio credimus, frontem et lætitiæ et tristitiæ indicium esse. Aderant quoque ibidem marschalcus de Schomberg et Franciscus Conradus de Sickingen. Tandem post diutinam moram Atrebatensis ad patrem Granduelam adiit, adeo autem undique ab his, qui causas suas promotas volebant, stipatus erat, ut Eubulus frontem perfricare cogere ac gal-

lice rogare episcopum, quo comitum a Waldeck mentionem habere vellet. Respondit itaque præsul, se hodie primum negotii nostri descriptum accepisse et quam primum ad imperatorem introire possit, se cæsareæ majestatis resolutionem super his petiturum. Hoc responso contenti abiimus.

Habet Atrebatensis in scribarum suorum numero secretarium Noricum ex gente Pinzingerorum, quem dum conveniremus, ait, se nostram quidem causam apud episcopum acturum, verum id primum temporis Vigilium et Selldum decretum concilii imperialis episcopo detulisse. Rogavi præterea ipsum, ut si qua nostræ causæ mentionem a hero suo fieri audiret, omnia in meliorem partem interpretari satageret, me et fratres illo non ingratos futuros. Præbuit spem bonam, ait quoque imperatorem non facile decretum consiliariorum mutare, sed semper fere illud, ut ipsi proposuissent, subscribere, nisi personæ, quas concernat, ejusmodi essent, quod summum adversus eos imperator odium concepisset. Interrogavit etiam, num ea pecunia, quam comes a Solms a nobis exegisset, soluta a nobis foret necne. Respondi non, verum id non per nos, sed per imperatoriam majestatem staret. Si is jubeat et contra Cattorum principis iram nos defendere velit, nos libentissime eam pecuniam Cæsari deprompturos. Quam primum in hospitium devenimus, Joannes Hagke secretarius Hoiensis ad nos venit, qui, acceptis mandatis ad uxorculam nostram, ad comites suos contendit, quod et illi et nobis Deus bene vertat.

Eadem Ernestus a Solms nobiscum pransus est, et cum mensæ accumberemus, Adrianus a Zertzen supervenit, qui longa verborum ambage produxit scriptum (ut vocant) compromissi inter Coloniensem et nos archiepiscopi sigillo ad id appenso, cum tamen post tot preces nostras ne vocula quidem in eo mutata esset. Sed suus sanctus his erat rigor pene tyrannidem sapiens. Ast frangenda hæc nux erat, etiamsi facile videremus, in quos hæc modo cuderetur faba.

Fama tum ferebatur, jussu cæsaris multa insignia militaria confici, cum hac inscriptione: Unus Deus, una fides, unus rex.

Vidimus eadem in domo Otthonis argentarii molam ad poliendos adamantes paratam, et re ipsa comperimus fabulosum esse, quod adamas non nisi hircino sanguine tepefacto frangatur, sed terendo politur et eo pulvisculo, qui ex duabus gemmis inter se attritis decidit, oleo olivarum admixto, terendo super orbem plumbeum teritur et comminuitur. Adamas non politus colorem habet subcinericium foras hispidior.

Heri domina princeps apud Ferdinandum, hodie apud Cæsarem causam agit suam.

Vidimus apud eundem Otthonem aurifabrum thoracem holosericam arte phrygia depictum cum ex auro puro puto varie decolorato catenularum annulis obductam, quæ tribus millibus florenorum venit. Is Ottho quod e Colonia Agrippina oriundus esset, nobis animo propensior erat et quotidie fere nos cerevisia honoravit. Et post discessum nostrum vita excessit. Quem (faxit Deus) ut cum omnibus sanctis adveniente domino Jesu Christo nos iterum videre valeamus.

Eadem frater Philippus et ego in horto consulis Herbroti fuimus. Hortus scannis herbaceis, herbidis pratis, dædaliis ambulacris, piscium vivariis, aquis vivis ex flumine Lyco deductis, scaturientibus fontibus interim, aqua puteali quoque vinetis et arboribus variorum fructuum superbit. Insunt quoque his hortis domunculæ aliquot, quarum parietes cæsarum facies ad vivum depictas habent ac cujusque ætatem literis majusculis annotatam. Ast modo non vacat hujus horti delicias depingere, qui decem millium florenorum sumptu hero suo applauditur.

Eadem Liborius languens lecto decubuit.

Vidimus ante ædes cujusdam civis in suburbiis Augustæ habitantis arma Cæsaris cum hoc emblemate: Manet virtute quæsitum decus.

Hansonem Knislerum metatorem regionum hospitiorum ad cœnam vocari jussimus, verum is ante dies aliquot Viennam reversus erat.

Cæsareani jurisperiti ducatum Wirtenbergensem feudum quidem imperii esse permittunt, sed ea lege, ut is ducatus a domo Austriæ ducibus Wirtenbergensibus in feudum collocetur. Id vero jure an vi fiat, ipsi videant. Nam Wirtenbergenses longe alia afferunt de hoc ducatu.

Ein Connect ist das fünftzehende theil eins guldenn, Ist ein Gewicht, braucht mann zu den demantenn.

Joannes Colman sicut et pater ejus fuerat Augustæ in ædibus nostro hospitio contiguus habitans et cæsareæ panoplîæ magister est et armorum faber. Hujus ædes Cæsar annis abhinc decem et octo, eo quod se id facturum in Hispania huic promiserat, cum paucis invisit et uxorem ejus catena aurea et fabros viginti aut triginta thaleris honoravit.

Domine Deus, verax absque vanitate justus et rectus, qui tuis etiam, quæ mentem et corpora eorum recreant (modo id cum gratiarum actione fiat) non invides: da ut in donis tuis te agnoscamus et ita veneremur, ne creaturas tibi domino creatori præferamus sicque his fugacibus muneribus fruamur, ne immortalia amittamus et te patrem æter-

num cum filio tuo benedicto et spiritu sancto, sive nobis ex vòto, sive secus res nobis acciderint, colamus. Per Christum dominum nostrum. Amen.

Eadem Hispani sepeliebant quendam magnatum ex eorum albo, qui crucem purpurei coloris in vestibus ad pectus gestasse christianum putant. Cum hujus corpus in fossam sepulchri immitterent, primo sacrificuli, deinde cætera turba funus subsequendum quantum vola manus terræ comprehendere poterant, super ipsum funus jecerunt. Deinde vespillones fossam terra replebant, cujus animæ misereatur is, qui novit eum.

Primâ maji d. Musculus ad d. Mauritium ex cap. 14 Joannis hæc verba explanavit: Ne turbetur cor vestrum neque formidet etc. Sed nos serius advenientes omnia dicta ejus non assecuti sumus. Inter cætera autem dicebat, perturbationis et timoris apostolorum hæc potissimum in causa fuisse, dum audiissent dominum ab iis discedere velle, ignorantiam scilicet et expectationem terrèni alicujus regni, in quo ipsos se domino in principatu (se) proximiores futuros spem animo conceperant, ambitionem quoque ut in filiis Zebedæi per matrem eorum unus ad dextram, alius ad sinistram sedere possent petentibus liquet. Item inutiles et supervacaneas tristitias etc.; item longe aliam Christi domini fuisse conditionem, qui omnium, quæ illi acciderent et ad quem finem pertinerent præscius erat, habuisse vero discipulos nullam sui doloris aut timoris justam causam. De timore hanc similitudinem adducens. Sicut in fluente turbida reddita aqua fundus videri non potest, et in limpidissimo fonte, si aquas moveas, claritas non apparet, ita in corde hominis timore perturbati cogitationes puræ et præclaræ non oriuntur. Quod autem discipuli timoris sui causam non habuerint, has rationes reddidit. Primo quod dominum ipsis »Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis« dixisse noverant. Secundo, tametsi tristitia ex hoc, quod dominus dixerat »Vado« affecti fuerant, meminisse tamen debebant, eundem quoque dixisse: »Iterum venio ad vos« etc. Tertio, quod ea, quæ Christo eventura erant, nihil illis periculi allatura essent. Nihil enim id temporis illis durius aut mali illatum est, licet postea temporis <sup>1</sup> præfinito ob Christi gloriam sanguinem suum effuderint. Postremo etsi quid ejusmodi sufferre debuissent, memores tamen et eos et causæ suæ bonitatis et verborum Christi esse oportuit etc. Inserens insuper de bonitate causæ, quam professores evan-

\*

1 ? tempore præfinito.

gelli et ipsis adhærentes defendunt, quæ semper fuerit, est et futura sit justissima, et eam esse talem, cui nemo resistere possit. Nec quod nobis adversi quippiam hic Augustæ, inquit, accidit, causæ nostræ bonitas in culpa est, quam adhuc sustinemus et sustinebimus in perpetuum. Est enim causa non honoris nostri et operum nostrorum, sed ipsa domini veritas, doctrina sinceritatis et recta sacramentorum administratio. Bonitatem causæ, inquit, habemus, ea vero, quæ sunt præter veritatem evangelii divini nominis honorem et non faciunt ad salutem nostram. Apage sint et valeant in malam crucem. Si vero nobis non omnia ex votis cesserunt et nonnulla inique perpessi sumus, id non optimæ nostræ causæ, sed quod nos in hac re non ut decuit gesserimus et ingratitude nostræ ac male actæ impœnitentique vitæ nostræ acceptum feramus. Nam, inquit, apud nos Augustanos nemo vel obolum pro administratione sacramentorum dare opus habuit, et tamen adeo nobis conciones sacræ, ipsa simul et sacramenta tædio fuerunt, ut abominari ea videremur. Hæc, inquam, et similia nobis malorum causa fuerunt, non quam gerimus causa etc. Repetiit et hoc. Christo non satis fuisse, quod diceret, »Non turbetur cor vestrum«, quin, »Neque formidet«, adjiceret. Jussit igitur ut in optima causa animos nostros non desponderemus ac semper nos ex verbis Christi consolaremur et erigeremus, etiamsi potentissimos orbis causæ resistere cernamus. Fuerunt, inquit, apostoli piscatores, idiotæ, homines abjecti, verum tam magna aggressi sunt confidentes et erigentes se spiritu a domino illis in hoc dato et recordatione verborum Christi. Nihil igitur vos offendimini, si nos forte succumbamus. Macte virtute et animi viri fortes estote, nec animum abjiciatis. Nostis enim quidnam et ethnici de bono viro dicant. Quod a recto discedere non debeat, dixere, mundi crepent licet ruinæ et fractus illabatur orbis etc. Item coarguit, quod immisericordes passim erga perturbatos et afflictos simus ita ut afflictos prætereamus non solum non consolantes, sed insuper eos aut derideamus aut præ superbia contemnamus. Quod et David in persona Christi psalm. 22 conqueritur (lege totum psalmum). Jussit igitur archetypon nostrum Christum imitari, miseros verbo domini sustentari, hic enim discipulos nusquam inconsolatos reliquit. Duo itaque hæc nos amplecti præcipiebat, ut scilicet verbo domini innitatur ac nos ipsos una ac fratres in afflictionibus invicem verbis domini et recordatione promissionum ejus solemur, ac Deum oremus, ut spiritum suum bonum mittat, qui nos in verbo corroboret et domini voluntati obtemperare doceat. Fiat ita et Amen.

Musculus doctus et pius multis leonibus, aquilis et gryphis timori est. Memor sit ejus dominus juxta bonitatem suam.

Eadem venit scriba furtivus ille afferens scriptum.

Eadem nobis Hermannus ab Amelunxen ex juris licentiatu peior capitaneus factus, qui, ut mihi videbatur, affatum nostrum appetens obviam venit.

Nepos Coloniensium et Moguntinensium exagitat aulas, faxit Deus ne illi male cedat.

In dominico Augustano in candido marmore hoc monumentum deauratis literis insculptum Melchior Lindius nobis exaravit, ut præsens ostendit schedula:

AUGUSTÆ VINDEL. IN TEMPLO DIVÆ MARLÆ. IMP. CÆS. OTTHONI III EX GENTE MAGNI WIDEKINDI SAXON. REG. CÆS. OTTHONIS. AUGU. II FILIUS CÆS. OTTHONIS AUG. MAGNI NEPO. REGIS HENRICI AUG. AUCUPIS. PRONEPO. OTTHONIS DUCIS SAXON. ET ROMANI IMPERII GUBERNATORIS ABNEPOT. LUITOLPHI SAXON. D. ATNEP. BRUNONIS QUA SAXON. DUC. ET WIDEKINDI FRATRUM TRINEPOTI. OB. X. KLAS FEBRU. ANNO SAL. M. II REGNI XIX IMPERII V. QUOD VISCERA EJUS HIC CONDITA JACENT. FRIDERICUS III DUX SAXONIÆ PRINCEPS ELECTOR COMES PROVINCIALIS THURINGLE, MARCHIO MISNIÆ ET SACRI ROMANI IMPERII LOCUM TENENS GENERALIS PROGENITORIBUS DULCISS. FACIEND. CURAVIT SALUT. ANNO MDXIII. V. IDUS MAJI.

Dolet cocci aves ad εὐχόραχος advolare. Nam Adolphus archiepiscopus et cæteri murmurabant, quod Eubulus Musculum et alios convivio excepisset.

Eadem Liborius et Wendelinus ante meridiem Atrebatensem convenire nequibant, doctorem vero Hasen allocuti sunt.

Hæc dies vel quod d. Walpurgi sive mavis apostolis Philippo et Jacobo sacra foret, aut nescio quam ab papistis ab ethnicis desumptam consuetudinem celebrior erat (erat autem prima Maji) a multis Hispanis et aliis frondes omnium arborum et equis et mulis nec non et curribus urbi importati sunt. Qui unum et perpetuum ver est, is nobis conscientias nostras rite in præceptis suis et in Christo vernari donet, quo nos ad antiquum dierum cum lætitia perveniamus.

A prandio Liborius et Wendelinus rursus Atrebatensem requirunt, qui aurea promissa dederat.

Marquardus hac septimana nos nihil responsi accepturos divinabat.

Deinde fratres et ego comitem Wilhelmum super scripto compro-



missi, cum ipso consultaturi, adimus, apud quem hinc inde disputatum est, sed frugiferi parum inde emanavit. Visum est nobis ob quosdam sermones novercæ nostri egregiam mentionem (si dii volunt) apud comitem Wilhelmum fecisse.

Conditur novus articulus inter Coloniensem et nos. Si recipiatur, et alium hic procreaturus est.

Hæc ipsa dies terminus erat centum et sesquicentum florenorum novercæ in vitalicium solvendorum. Martinus Bucerus contra Vintoniensem.

Ab hominibus hujus seculi condemnari et haberi ludibrio proprium est eorum, quos justificat et glorificat deus.

Eadem dum Cæsaris aliquot proceres aulici pila ludunt in theatro Augustanorum civium expensis et sumptu in hoc constructo, subito murus cadens subsidet, ruina sua latomos duos et non paucos ex aliis brachiis et cruribus lædens, licet vetitum sit ne proderetur unum aut alterum ex hoc casu mortem oppetiisse.

Iberi, qui in ducatu Wirtenbergensi hyberna egerunt, Hispanis suis Augustæ torpentibus quotidie plaustra aliquot ferinæ mittunt. Narratum quoque nobis est, coriarium unum hic Augustæ habitantem nongentas cervorum pelles ex venatu Hispanorum sibi hac æstate comparasse. Sic miseri Germani magno agricolarum dispendio et ipsorum ludibrio Iberorum et regionum adulatorum genti suas venationes reservarunt.

Domine Deus et pater cœlestis, tu ipse es, qui et quorum tu vis misereris et eorum orationes exaudis. Propterea ad te omnis caro veniet. Exaudi nos, quæsumus, per admirabilem justitiam tuam. Tu enim es Deus salutaris noster et spes omnium finium terræ ac a mari longe, propitius esto Germaniæ tuæ innumeris modis afflictissimæ. Tibi domino fatemur, peccavimus, contemnes tuum verbum et ingrati erga benignitatem tuam fuimus. Propterea nobis hæc mala omnia contingunt. Sed nunc, domine, recordatus filii pacificatoris et misericordiæ tuæ antiquæ, tu nos corripe, sed non in furore iræ tuæ, ac libera nos de gente hac non sancta! Et quia populus tuus sumus ovesque pascuæ tuæ, in viam tuam nos reduc! Quanquam enim, o pater juste, millies majora his mereamur, quia tamen apud te propitiatio est, terribilis non sis, idque per Jesum Christum dilectum filium tuum, qui tecum cum s. spiritu vivit et regnat unus et idem Deus per omnia secula seculorum. Amen.

In consilio imperiali aliquando tentatum est, rebellibus in gratiam

acceptis horum trium optionem dare, ut vel archiducem in Hispaniam deducerent, aut proprio aere Cæsari in Germania ad menses aliquot militarent, aut magna pecuniæ summa (quod et nobis evenit) se redimerent.

ij Maji amanuensis ille Augustanus scriptum aliquod nobis afferens venit. Eadem d. Musculus hora et loco consuetis ex cap. 14 Joannis verba hæc enarrando prosecutus est, scilicet: Audistis quod ego dixi vobis, vado et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique quod dixerim: Vado ad patrem, quia pater major me est etc. Inter cætera ait: Ex hoc quod Christus dixerit, jam instante malo, si diligeretis me etc., duas quæstiones oriri, unam, num Christus de amore discipulorum suorum erga se dubitaverit, alteram, an discipuli Christum amaverint. Ambas (si recte memini) sic solvit. Certum esse dominum a discipulis persancte adamatum, neque etiam dominum de hoc vel dubitasse, vel dixisse. Sed cum amor duos gradus habeat, unus est, ut amicus cum amico libentissime conversetur et agat, quod et maxime a discipulis factum sit. Is gradus quoque ex verbis Christi constat, ubi dicit: Pater et ego apud eum mansionem faciemus etc. Alter gradus est, quod adamatum vel adamati honorem, gloriam et fortunas sive magna sive parva ab eo acceperint, promotam velint et in hoc studio delectantur. Hic autem in discipulis adhuc aliquid carnem sapiens hæsisse. Quod tametsi Christum redamaverint, non tamen veram ejus gloriam quæsierint, nec eas res, de quibus dominus dixerat, justa meditatione et deliberatione animi perpenderint. Item hoc exemplo sui amoris Christum nos hæc docere voluisse. Primo nos Deum patrem, filium et spiritum sanctum amare debere, amare magistratus, amare verbi ministros, parentes, dominos, proximos, idque et mutuo et reciproce. Obiter quoque de decenti ordinario et justo amore, et qualis is sit, dixit. Exempli gratia. Si uxor maritum adamaret, ut illum cochleæ instar semper domi hæerere velit, quo ipsa semper illo frui queat, nec foras ad negotiationes suas aut ad alia necessaria munera obeunda, præ amore hoc carere ad tempus vellet. Hic, inquit, amor nec commodi nec docoris quicquam habet, nam hoc utrisque et in damnum cederet et culinæ særique familiari dispendium inferret. Non absimile sit, si pater aliquis filium vel ad aliam urbem, vel ad exterarum nationes, vel ad excolendum ingenii sui solum, vel mercaturam aut artem mechanicam discendas mittere destinaverit, filius vero tanto amore erga patrem affectum se esse prætenderet, ut se a patre non divelli velit nec alia mittere pateretur. Nonne hic inutilis esset amor? Nam filium in

omnibus obedientiam patri præstare debere, utique, quod pater melius noverit et perspectum habeat, quid filio prosit ac secus, quam filius agnoscere aut scire ipsemet possit. Sicque et discipulorum amorem non ex omni parte integrum fuisse, qui Christum apud ipsos hic in terra mansisse magis optassent, quam ad tantum salutis opus et gloriam suam transire. Item idem fore, si quis in luctu ob obitum parentum vel amicorum mœrore supervacaneo lugeret contristareturque, quasi illis vitam beatiorum in coelesti patria invideat. Dolor enim, inquit, de amissione parentum vel amicorum justus est, verum is suas metas habet, quos ultra citraque egredi non decet. Id quoque notavit. Dominum non verbis durioribus usum esse, quale est »moriar«, aut simile; sed sermonem per expositionem mitigasse, scilicet, »vado ad patrem«, sicut Paulus non dixerit »cupio mori«, sed »dissolvi cupio.« Non est enim res digna, inquit, durior oratione de morte inter Christianos disserere. Quid enim aliud, inquit, est mori, quam si quis annosum et vetulum caballum, qui toto die currum vel bigam traxerit, jam lassum sub noctem solvat, requiescere permittat, interim et pabulum illi præbens. Non aliter, ait, vetus noster Adam in biga carnis emaceratus et anima, quæ e supernis et in superna revertitur, in ergastulo corporis detenta, in morte solvitur, et tunc caro et ossa requiescunt, anima vero libera ad beatam patriam remigrat. Ad hunc, inquit, modum pius pater familias morbo debilitatus ubi se morti jam vicinum viderit, liberos vel amicos hortari vel consolari posset: Nolite mœrore affici, ego enim jam dudum in hoc stadio currendi aut hujus itineris sum pertæsus. Vado ad quietem, non morior; cœlum repetam, ubi semper cum domino ero etc. His addidit de verbis domini, dicens, quia pater major me est, ex hoc loco Arianos virus suum suxerunt, qui Christum in persona patre minorem esse contendebant. Sed si considerassent, inquit, d. Paulum ad Philippenses 3, æqualis Deo forma est ut homo etc., allegans et locum d. Petri, symbolum quoque Athanasii, qui de Christo ait, æqualis patri juxta divinitatem, minor patre juxta humanitatem etc. Nec est, inquit, filius Christus nec in duo divisus, sed verus Deus et homo verus. Sicut de Deo patre dicere possumus: Pater est in cœlo, pater est in terris. Quod utrumque verum est. Nam anima patris in cœlo, corpus vero in terris est. At de his se luculentius ad feriam sextam dicturum promisit. Est enim Musculus verborum domini elegantissimus dispensator, qui nec unum jota vel apicem, ne dicam voculam inexcussam relinquit. Confirmet in ipso dominus, quod operatus est in eo.

Eadem is, qui ante paucos dies cum sodalitia concameratum Mauritii Electoris injussus reserarat, furca suspensus est, quem, quia Burgundio erat, dominus de Grandevela aut non puniri aut fuga elapsum voluisset, sed Mauritius elector institit, ut loco publico ante curiam senatorum Augustæ suspenderetur. Qui sub supplicium psalmos aliquot oravit, Deo animam latine perorans commendavit, qui eum ob filii sui mortem, ut speramus, suscepit.

Frater noster Philippus et Wendelinus doctorem Carolum Harst adiere et apud Atrebatensem sollicitaverunt.

Eadem frater noster Joannes nobis mortem infantis Gotthilf in Marxsula indicavit, cui dubio procul, juxta nomen, quod prius sortitus est, Deus perpetuo adjutorio erit.

Martinus Bucerus contra Vintoniensem antiquissimi Ebræorum eos qui ultra idoneam matrimonii ætatem cœlibes manent, idque non causa discendi legem Dei pronunciant obnoxios esse criminis fusi sanguinis imminutæque gloriæ et majestis Dei in populo Israel et indignos proinde, qui in populo Dei tolerentur. Tanti fecerunt officium procreandi liberos in populo Dei. Cum his consentientes sapientes Græcorum censuerunt eosque, qui usque ad annum tricesimum quartum cœlibes essent, et multarentur pecunia et afficerentur ignominia, et nominatim ea, ut nemo illis eum honorem exhiberet, qui solet a minoribus exhiberi senioribus.

Aleæ ludi fructus hinc apparet, quod nudiustertius in aula Mauritii puer aulicus adolescentem nobilem cum ipso alea certantem, nullam ob causam, quam quod verbis ab eo corrigeretur, ilia transfodit, qui et heri terræ fidæ matri reconditus est.

Funffzehnhundert Barchetmacher, die vor Meister geachtet werdenn, ohnn was sie fur knechte habenn, seint zw Angspurg wonnhaf-tig. Et hi sunt textores, qui christiana utentes libertate contra præscriptum Moisi telam et vestes ex lana et lino conficere didicerunt.

Eadem molas aliquot, in quibus papyrus, quæ regalis vocatur, ex crustatis et peplis lineis conficitur, vidimus <sup>1</sup> et unus liber ejus papyri decem crucigeris veniit. Vidimus et hortos latissimos cum mansiunculis aliquot et scopum non unum, in quibus Hispani nec non et cives urbis Augustæ balistis, arcu (ut vocant) anglico, catapultis et quidquid ita est instrumentorum ad torquendas sagittas et glandes inventum, se exercitant.

\*

<sup>1</sup> vidimus fehlt in der hs.

Eadem duo nescio cujus conditionis homines hoc certamine de bravio contententes, ut unus ova ducenta recentia non cocta, ita in ordine disposita, ut singula cubitos duos ab invicem seposita essent, ac alter certantium ovum post ovum a primo ad ultimum recurrens sportulæ imponeret, cavens ne ullum læderetur. Nam si alicujus putamen contractum fuisset, jam actum erat de bravio. Alter vero intra horam et quartam horæ partem urbem extra mœnia circumitaret. Mihi autem incertum, uter eorum vicerit.

Eadem Hispani et Burgundiones, qui ante meridiem, ut dictum est, suspensus erat, ipsimet de patibulo depositum feretro holoserico contacto imponunt, monachis et sacrificulis ad utrumque funeris latus ardentis cereas portantibus, uno vespillonum pertica longa crucis signum super lucernam gestante et præeunte, suo moré terræ condunt. Nam apud ipsos furari piaculo non ducitur.

Domine Deus, magne, sapiens, miserator et juste, tui et cœli et orbis terrarum sunt, tuisque omne solum patria est. Et præter hæc etiam orbem terrarum per homines sapientes in climata, regna, dynastias et dominia tuæ divinæ sapientiæ disponere placuit. Quoniam igitur mihi indigno et misello tui orbis terreni portiunculam aliquam de liberalitate tua gubernandam impartiri dignatus es, te per eum, quem pro nobis victimam fieri voluisti quemque unicum mediatorem et testem veniæ ante te patrem æternum Jesum Christum dedisti, deprecor, ut apud principatus hujus seculi gratiam, citra tamen nominis tui dedecus et animulæ meæ periculum, inveniam in terramque nostram revertens vocationem, qua me vocasti, tibi servire <sup>1</sup> queam. Fiat autem voluntas tua bona et sancta, veniat regnum tuum perfectum, contra quod nunc cinis et terra tam superbe insurgit. Panem verbi da et corporis, patres bonos largire et subditos serva. Sit tibi cura uxorculæ et filiolæ. Et quoniam omnia, quæ iuste premunt, ob multitudinem peccatorum nostrorum patimur, dimitte nobis debita nostra, si quidem et nos (id te donante) remittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, hoc est, o pater, ne nos nobis relinque, ne postliminio mundus, caro et veterator ille serpens Sathan a filio tuo devicti, nobis dominantur. Sed libera nos a malo, aufer tristitiam inutilem et da contritionem veram, spemque fidelem, et quia de die in diem tempora in pejus vergunt, largire, o domine, quo te vocante prompte et avidis

\*

1 ? servare.

animis ad cœlestem patriam redire cupiamus, ut tandem vere a malo liberemur. Interim carnes meas timore tui confige, mihi refugium sis et virtus. Nam non nisi in misericordia tua virtus mea consistit. Concede mihi, et populo tuo et domui meæ ita præesse, ut omnes actus nostri gloriæ tuæ serviant. Tibi cum filio tuo dilectissimo una et s. spiritu sempiterna sit gloria et honos in cuncta secula seculorum. Amen.

iiij Maji d. Leonardum ex cap. 28 Matthæi concionantem audivimus super hæc verba: Quæ cum abiissent, ecce quidam e custodibus venerunt in civitatem ac nunciaverunt principibus sacerdotum omnia quæ acciderant, et congregati cum senioribus, consilio habito, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite quod discipuli ejus nocte venerint et furati sint eum vobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit sub præside, nos persuadebimus ei et securos vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti, et divulgatus est hic sermo apud Judæos usque in hodiernum diem. Primo, inquit, audistis, ut scribæ et Pharisæi et seniores excæcati ac rabie et invidia perciti Christo domino non solum restiterunt, sed etiam ipsum traditum Pilato cruci affigi curarunt. Nec hoc eorum odio et invidiæ sat erat, quin etiam jam mortuum mendaciis onerant et commento conficto sepulchrum obsignant custodes eidem adhibuere. Benignissimus autem Deus noster Jesus Christus per omnia eorum salutem quærens gloriosam resurrectionem suam non per discipulos, non per mulierculas aut per homines, quos ullam ob causam suspectos habere possent, sed per eos, quos ipsi suo ære ad sepulchri custodiam conduxerant, ipsis annuciari voluit. Verum nec hoc beneficio eos quoque, ut salutis suæ rationem habere voluerint, adducere potuit, quin insuper ipsam veritatem mendaciis et largitionibus obruere conati sunt. Ad hoc et prioribus malis excusationes in peccatis addentes, militibus polliciti, se illis pacem apud præsulem vel potius socordiæ et mendacii impunitatem procuraturos. Ostendit autem hic ecclesiastes per aliquot argumenta, quam non Judæis in mentem venerit veteris proverbii, mendacem oportere esse memorem, et hanc unicam mendacii mercedem, ut quicquid mali inde contingat, in ipsius mentientis caput resiliat, ut vere illis acciderit juxta Davidem prophetam: Mentita est iniquitas sibi. Itaque mentiendo effecerunt, ut omnis perditionis eorum culpa non in innoxium dominum Jesum, sed in ipsosmet redundet etc. Similiter, inquit, et Deus erga nos longanimis est, non statim delicta nostra punit. Ast nemo hoc ferociat aut impœnitens permaneat. Si enim sic periremus, non Deo, qui nos

per omnes modos in Christo ad salutem vocat, sed inobedientiæ, incredulitati et ingrati tudini nostræ hoc acceptum feramus, et summopere caveamus, ne si forte dominus per suggestionem spiritus sancti aurem nobis vellicet, ne hoc aut illud piaculum committeremus, illi contra conscientiam nostram resistamus. De spiritu, inquit, bono loquor, quem dominus se suis aturum promisit, non de suggestore illo malo, qui spiritus mendacii est et omnis nequitie ac perversitatis author. Item Deum suos interdum sub crucem mittere, hoc est, ipsis tristitiam, afflictiones, morbos, paupertatem et id genus rerum, ne caro ferociat, sed virgam paternam homo agnoscat. Postremo Deum nobis verbi sui præcones dedisse, qui passim populo poenitentiam et vitæ emendationem inculcent, quos si audire renuerimus, nostram pervicaciam, non Dei benignitatem ream dici debere. Ajebat et hoc nostro ævo non paucis studio esse largitionibus et mendaciis veritatem obruere et eam excidere, verum frustraneos in hoc esse impiorum conatus. Nam scribæ, inquit, et Pharisei cum suis senioribus jam dudum cum corporibus et animabus suis in barathrum inferni absorpti sunt. Veritas autem adhuc regnat et Christus cum gloriosa sua resurrectione triumphat. Huic fidamus et illi in omnibus adhæreamus, impartiente hoc nobis Deo patre per eundem dominum nostrum Jesum Christum et illuminante spiritu suo bono. Amen.

Eadem d. Musculo libros Buceri de disputatis in colloquio Ratisbonensi et contra Vintoniensem per Carolum hospitis nostri filium remisimus.

Nota, Augustæ singulis diebus sub nonam horam pomeridianam campana signum datur, quod fit ad refricandum tempus memoriæ prodictionis Christi per Judam factæ, quod hoc fere sub id diei temporis acciderit.

Nota de epitomate Bullingeri, sive historia expositionis rerum ab origine mundi usque ad nativitatem Christi, potissimum ex novo testamento etc. an in nundinis Francofurdianis comparari posset.

Joannes et Philippus fratres dominum Joannem Henricum in templo d. Mauritii hæc verba Pauli ad Romanos 12. explanantem audiverunt: Gaudete in spe, patientes in tribulatione, instate orationi etc. Narraverat hic, quos potissimum hostes in hac vita haberemus et præcipue hos domesticos, carnem et mundum et Sathanam, jubens hos fide et patientia superare conaremur, et orationibus si alias unquam hoc tempore maxime necessarijs instaremur.

Melchior heri comiti a Nassau compromissi scriptum cum nostra petitione obtulit.

Nota de querela comitis.

Eadem conspectui Atrebatensis nos exhibere volebamus, verum per Adrianum a Zertzen, qui legationem a Coloniense, comite de Nassau et domina principe adferebat (ut ipse ajebat) impediti sumus. Cujus legationem posteaquam audivissemus, Atrebatensis a nobis quæritur. Sed ubi Atrebatensis ad ædes venimus, præsul jam tum ad patrem Grandevelam transierat. Subsequuti igitur eum in paterna hospitia fere ad horam exitum ejus præstolabamur, ex puero autem quodam didicimus eum post nonam missationi interfuturum et ibidem cum patre pransurum. Dum igitur ibidem astamus, nanus oblonga undulata veste et mitra ornatus cubiculum Granduelæ intrat. Mox supervenit Petrus a Malvenda hispanus, sorbonicus theologus, sacellanus Cæsaris, quem accusationis meæ (licet hic mendax reperiri velim) coriphæum duco. Cujus inauspicatæ avis cubiculi introitum et exitum malum augurium nobis attulisse puto. Hospitium Grandevelæ ædes sunt Fuggerorum, quas vel regii sumptibus extractas putes. Vidimus ibidem par Aethiopum et masculum et feminam pigmeorum (ut credo) de gente.

Ad hospitium redeuntibus obvius fit nobis Pinzinger, Atrebatensi a secretis. Hunc interrogavimus sciretne causam nostram imperatori relatum, an secus. Respondit, herum suum dixisse, res revisere oportere. Ipsum autem latere, num Cæsari quid relatum sit vel non.

Coloniensis scriptum compromissi tertio jam describi curavit, et quanquam nos Landtgravix dixeramus disertis verbis, ut caveret de appendendo sigillo etc., tamen Adriani sententia vicit.

Nanus, quem hodie vidimus, inter cubicularios Cæsaris agit, ab eo ad Grandevelam, ut morbi sui levamen aliquod esset, missus. Huic tot vestes sericas, quot anni cursus dies continet, esse ajunt.

Ad primam pomeridianam rursus Atrebatensis quæritur, quem adhuc in hospitio paterno invenimus. Prodiens itaque domo stipatus est undique a sollicitantibus. Cum itaque et nos illi appropinquaremus, ait Eubulo: Domine comes, adhuc resolutionem a Cæsare expecto, sicut tibi dixi; hanc ubi nactus fuero, vos accersiri curabo. Sicque illi honorem exhibens cum sodalibus meis abii.

Eadem fratres nobis ostenderunt Achatium filium nothum Alberti quondam Moguntini archiepiscopi et electoris.

Eadem Philippus frater et ego cum Wendelino et Floro urbem



obequitavimus, ubi ad Lyci littora in arena pueros cæsareos equos Neapolitanos asturcones et equos celeres, quos genetos vocant, girare et ad utrumque latus in orbes vertere, ut peritum est equitandi hoc genus hominum, vidimus. Major autem horum pars principum et comitum filii. Et dum in urbem reverti cupimus, fere in ipsis portis Adolphus Coloniensis archiepiscopus cum equitibus plus minus triginta nobis fit obvius. Erat in iis campis, in quo pueri certabant, auceps, qui niso ex ligno affabre sculpto cassitas aucuparetur.

Nepos et Joannes frater noster apud dominum principem in hortis Herbroti, quo ad levandum tædium se devehi fecerat, erant.

D. de Grandevela in ædibus Hieronymi Fuggeri hospitium habet, qui, dum viveret, sua sorte contentus, negociationes nullas egit.

Fuggeri, qui hodie supersunt, monopola exercent et domini ditionum aliquot sunt, scilicet Antonius, cujus uxor defuncta est, Joannes Jacobus et Joannes Georgius, in cujus ædibus Maximilianus archidux balnea verna habiturus dicitur.

Hæc eadem dies mensem complevit, quod a Waldeccia profecti sumus.

Eadem in dominico Augustano apparantur exequiæ regis Polonorum. Extruitur ex asseribus abietinis instar tecti acuminati pulpitum in terram vergens latius coopertum panno holoserico nigro, in quatuor angulis insignia regia depicta habens, ab imo usque ad verticem cereis adornatum. Hic autem rex die paschatos, dum ob senium in sella se ad templum gestari voluit, subito apoplexia periit, cui Deum propitium deprecamur. Hujus antem Poloniæ regis marchio Joachimus elector gener est, cujus uxor jam quoque Augustæ est. Protractæ tamen sunt hæc exequiæ in diem dominicam.

Ante paucos dies legatus Angliæ regis advenit.

Joannes frater apud Treverensem, nepos apud Coloniensem pransus est. Attulit eodem amanuensis ille scriptum aliquod.

Domine Deus, qui corda et renes omnium mortalium cognita habes, tu corda nostra purifica et lumbos nostros accinge, quo pie, juste et sobrie hujus vitæ curriculum perficere valeamus, dignique, te largiente, promissionibus filii tui Jesu Christi efficiamur, per eundem dominum nostrum etc.

iiij Maji d. Musculus prosecutus est textum capitis 15 Joannis: Quia pater major me est, et reliqua usque ad finem capitis. Etsi, inquit, omnes, qui hunc locum ex doctis et patribus adhuc exposuerunt,

hanc voluerint horum verborum esse sententiam, Pater major me est. Quia cœleste regnum et gloria his inferioribus gauderetis utique quod in majorem transeam. Hæc expositio autem nec mala nec quidem improbanda est. Mihi autem videor, si verba Christi diligentius excutiantur, horum genuinam hanc videri sententiam. Quia pater major me est, gauderetis utique, quod obedientiam patri præstem, sicut ab ipso præordinatum est, et opus, quod ipse mihi injunxit, perficiam et in tam excellentem gloriam concessurus ad dexteram Dei patris revertar etc. Monuit et hoc, discipulos quidem dominum summo amore prosequutos fuisse, nimirum in primo gradu, hoc est, ita Christum amabant, ut præsentia et consuetudine sua diutius frui cuperent. Quare et ob id, quod abitus sui mentionem fecisset, tristiores redditi sunt. Minus autem secundo amoris gradui satisfecerint, scilicet, quia obedientiam domini erga patrem, et eam, in quam Christus introiturus erat gloriam non suis affectibus et corporali Christi præsentia prætulerint. Dixit enim Christus. «Gauderetis utique, quia pater major me est», quasi dicat, «Non ob id abiturus sum, quod nolim diutius vobiscum in terris degere, aut quod vestri pertæsus sim; sed quia pater major me, vocat me obedientia patri præstanda, ut opus redemptionis compleatur et ad priorem claritatem et paratam mihi gloriam concedam. Hæc, inquam, si probe perenderetis, gauderetis potius quam contristaremini.» Docens dominus hoc exemplo, quod obedientia et id, in quod missus erat, amor erga discipulos et carnis affectibus prætulit. Nam sciebat sic Deum dilexisse mundum, ut hunc filium suum dederit, quo omnis, qui credit in eum, non pereat, sed vitam æternam habeat; nos deo plus obedire debere, et quam unicuique vocationem ipse injunxerit, privato amore et affectibus majorem ducere debere. Nam, inquit Musculus, amor intra normam justitiæ permaneat. Exempli gratia. Pater es, liberos chara conjugii pignora tenere diligis; juxta est et æqua hæc storgia. Attamen ita eos amato, ne ipsos Deo præferas et illis contra Dei mandata et justitiæ normam cave conniveas. Amicus tibi aliquis est, tibi unice cordi, cui in omnibus morem gerere cupias. At eum ita amato, ne amici causa Dei iram, animæ tuæ periculum, aut turpe quid vel subeas vel committas. Filius familias es, sic patrem reveritor, ne tamen cœlestis illius patris honorem imminuas. Item, si qua ad Dei gloriam aut reipublicæ profectum vocemur, quanquam uxorem et liberos amemus et nostris, ut æquum est, bene præesse cupiamus, tamen his posthabitis domino honorem demus et pareamus vocanti. Similiter, si crux perfe-

renda etc. Pluribus de his Musculus sincerissime docuit. De iis autem, quæ sequuntur, dixit se in expositione 12 capitis luculenter disseruisse, ubi fere eadem verba ponerentur, nimirum hæc: »Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.« Obiter tamen monuit hic nos discere debere, ut verbis Christi firmiter credamus, certi, omnia, quæ prædixerit, eventura esse. Quoniam, inquit, juxta Paulum fides est earum rerum quæ sperantur substantia<sup>1</sup>, argumentum autem eorum, quæ non videntur, vel ut vetus lectio habet, argumentum rerum sperandarum non apparentium, nihil magni feceris, si credas ea, quæ jam facta sunt, quæ vel videre, vel manibus palpare etiam queas. Sed adeo tibi persuasum habeas, certo ea, quæ Christus prædixit, eventura esse, ut quasi jam facta de his nihil dubites. Inde tibi uberrimus fructus conscientiam confirmans elicietur. Si videas hisce temporibus multorum charitatem refriguisse, cogita: Dominus sic futurum prædixit. Similiter in afflictionibus tibi solatio erit, si in mentem veniat, dominum quod suis talia eventura sunt, prædixisse et eundem pollicitum esse, se suos non derelicturum. Item faciet ut ne desperes, sed in patientia animam tuam possideas etc. Post hæc »Non multam loquor vobiscum«, dixit dominum hæc dixisse ob vicinitatem instantium periculorum etc. »Nam venit princeps mundi hujus« etc. Multa de Sathana principe mundi hujus et suis conjuratis disseruit, et quod sathanici asseclæ nunc acclament, omnia mala et dedecora ob novam (ut ipsi vocant) evangelii doctrinam in mundo enata, cum tamen nemo unquam (modo verus evangelii prædicator extiterit) vel unicum malum facinus docuerit, et cæcus mundus, inquit, non considerat Satanam esse principem mundi hujus, qui hisce extremis temporibus magis ferociat per organa sua regnans et operationem suam in filiis diffidentiae exercens, callidissimus enim spiritus est, novit tempus adventus Christi (quod haud longe abest) instare. Nam conatus est spiritus ille nequam cum Christo etiam domino scripturis certare; huic spiritui immundo, non innoxie doctrinæ evangelicæ cuncta enormia accepta feramus. Insuper Musculus docuit, quam cunctis fidelibus sit solatio Christum dixisse: »Sed in me non habet quicquam.« Per Christum enim hic princeps devictus est, nec quicquam in eum juris habet. Sicut, inquit, nec in omnes, qui Christo et ejus verbo fidunt, nisi quantum illi et quando ex divina permissione ipsi contra nos conceditur, non quantum illi libuit, ut apparet ex historia Job. Nihil ergo

\*

1 hs. sba.

de eo metuamus, sed constanti fide in Christo diabolo resistamus. Item, de eo, quod Christus dixerat: »Sed ut mundus cognoscat, quod ego diligam patrem«, jussit et nos similiter animatos esse. Si ita domino placitum fuerit, ut crucem feramus, demus operam, ne animo consternerur, sed fide erecti nos tales præbeamus, qui omnia et facere et ferre cupiamus, quo mundo testatum fiat, nos et hunc dominum amare et ejus gratia omnia, quæ illius gloriam concernunt, perpeti paratissimos. Nam, inquit, si is, qui imperatori fidus videri vult, omnia, in quibus imperatori morem se gerere posse arbitratur, et suffert et facit, et ejus se amicum vel clientem fatetur, quanto magis id nos præstare debemus, qui habemus dominum Jesum multis imperatoribus majorem, maxime cum impii potestatem super sortem justorum non habeant. Etsi nos in exilium ire cogant, ab uxore et liberis avellant etc. denique vel vitam eripiant, nihil tamen in animam vel salutem nostram possunt etc. De horum verborum explanatione, scilicet »Sicut mandavit mihi pater, sic faciam«, ait se in cap. 8 hujus evangelistæ plura dixisse, jubens tamen, ut, si Deum diligere velimus, quæ deus præceperit, et faciamus. Sciens, inquit, dominus, quam princeps hujus mundi in Juda et suæ sortis hominibus fureret, ait: Surgite, eamus hinc.

Hac die nihil sollicitatum est, ne onerosi aut tædio aulicis semideis essemus.

Eadem in palatio Cæsaris rex Ferdinandus et advocati ducis Udalrici coram imperialibus consiliariis præsidente archiepiscopo Coloniense causas agebant.

Domine Jesu, qui es ipsissima veritas, tu vere dixisti, nos sine te nihil posse. Quam ob rem humiliter te deprecamur, ut dones tibi in omnibus obedire et tibi soli inniti. Causam defende tuam, tua gloria, Christe, vincat.

v Maji in templo observantum d. Leonardus familiæ concionatus est ex cap. 28 Matth., nimirum de his verbis: Et exiit sermo apud Judæos, usque in hodiernum diem etc. Audistis, inquit, nudiustertius et perendie de pervicacia Judæorum et militum quoque perfida avaritia, qui accepta pecunia, ut a scribis et Pharisæis edocti erant, hunc sermonem sparserunt, quem, inquam, sermonem? nimirum talem, discipulos suffuratos esse noctu corpus domini Jesu. Qui sermo et quam verisimilis sit, audistis etiam, et tamen hic sermo apud Judæos obstinatos, non apud Christianos permansit. Quod autem hæc Matthæus evangelista tam disertis verbis indicare voluerit, ideo factum est, ut

nos justum Dei iudicium in hoc cognosceremus. Quia enim Judæi contra conscientiam veritatem de salvifica resurrectione Christi domini recipere abnuebant, permitti sibi, ut iis, qui ob pecuniolam mendacium hoc de furto ablato Christi corpore finxerunt, fidem haberent, idque Sathana et instigante et cooperante. Sunt, inquit, hoc nostro ævo, qui accepta pecunia mentiuntur, qui mendacio potius quam agnitæ veritati credere malunt. Sed unde nisi ex peccato, quod obviam veritatem respuunt? Allegans in hoc locum Pauli ad Ro. 1. Et quemadmodum non probaverunt, ut Deum agnoscerent, ita tradidit eos Deus in reprobam mentem, ut facerent quæ non veniebant. Sic et nunc dicitur, a multis annis hoc duravit, sed ab iis tantum, qui malunt inducto errori ac evangelicæ veritati credere. Quare accidet et his, quod Judæis incredulis evenit. Satan enim, pater mendaciorum ipsos eo induxit, ut papam et suos et quicquid excogitaverint avide, contempto evangelio, arripiant. Intulit et hic inter alia insignia et enormia facinora papistarum nocentissimum illud commentum prædicatorum monachorum in Verona perpetratum, quod in omnibus pistrinis popinisque notius est, quam ut hic ascribi mereatur. Item de Franciscanis et ficticio personatoque eorum Christo (puto stigmaticum Franciscum) et quomodo homines a Christo ad propria opera avocaverint, cum tamen nulli unquam nisi ex gratuita Dei misericordia per meritum Christi fide apprehensum salus contigerit etc. Postremo monens, ne et nos quoque spiritibus erroris præterita veritate Christi crederemus, ne nobis idem quod Judæis et Antichristo, qui, inquit, non unus est, sed quicumque papæ et suis adhærent, quod a nobis piissimus dominus noster Jesus Christus per suam gloriosam resurrectionem avertat. Amen.

Eadem erat nobis animus diminutionem sanguinis facere, sed quia et heri et hodie aer suspectus erat, a nobis intermissum est.

Eadem curia Atrebatensis repetitur, ubi ad sollicitationes aderant Constantienses, Udalrici ducis consilarii et afflicti Bremenses. Venit et Franciscus Conradus a Sickingen, afferens supplicationem (ut vocant) Nicolai ab Hattstein cognatorum ejus. Item Joannes comes a Sarbrugg et Nassau, item Carolus a Stockem præfectus in Weilburg nobiscum eodem luto hærens, qui ait, se a quodam accepisse et comitis sui et nostram causam Cæsari relatam esse. Dum autem ibidem integram horam desedissemus, Eubulus Leonardum cubicularium præsulis rogat, ut velit ad herum suum intrare ac nostri nomine deprecari, ut vel tandem comitum a Waldeck mentionem habere vellet. Qui gallice respon-

dit bien, quasi diceret bene est, faciam eorum mentionem, quod Deus faxit. Atque hic fuit hujus dici actus. Cubicularium autem argenteo numo honoravimus, ut nostri ergo diligentius apud præsulem instaret.

Dum hospitium Coloniensis præterivimus, episcopus caput e fenestra porrigit, cui dectis capitibus honorem habuimus, licet is nos torve intueretur.

Eadem a quodam accepimus, Cattorum principi injunctum, ut capsellam aut arcam potius, in qua d. Elizabethæ reliquiæ asservatæ essent, domui Teutonicæ in Marpurgo reddi curaret.

Aderat et Augustæ Joannes a Reidesel archimarschalcus Hassiæ, cui cum abbate Hersfeldensi ob oppidulum aliquod res erat.

Eadem Joannes frater, Liborius, Wendelinus et Lindius cum scripto compromissi ad dominam principem missi sunt, non tam ad cum ea agendum, quo sigillum appendat, quam ne a nobis contempta videretur, ut multa fiunt ab hominibus, quæ etiãsi intermissa vellent, tamen facienda veniunt. Attamen sigillum appensum est.

Eadem Ferdinandus rex proceres aliquot ad dominam principem mittit, per eos rogans, ut crastino ad horam secundam pomeridianam exequiis regis Poloniæ interesse velit. Optimam principem a dextris regis cœlestis timor et reluctans conscientia angit, a sinistris potentia terreni regis sanguinisque propinquitas. Nam et mater Landtgraviæ ex regio Polonorum sanguine erat, et mariti insuper captivitas divexat. Dominus scrutator renum et mœstorum cordium consolator det ipsi sapientiam et consilium, quo periculum evadere possit.

Filius regis Poloniæ regis Ferdinandi filiam in uxorem habuit, quæ ante annos abhinc tres vita excessit.

Eadem Ottho comes a Rethberg per ministrum suum Waldecios in crastinum ad prandium vocavit, cui morem gerere non unam ob causam utile nobis videbatur.

Eadem Fridericum quoque a Furstenberg adesse comperti sumus.

Wilhelmus comes nostros interrogat, quinam se res nostræ haberent. Et posteaquam edoctus fuit, quibus sycophantiis nobiscum udere-tur, profecto, inquit, dolendum est, quod unus homo omnia exequatur, Gallica, Italica, Anglica, Germanica et negocia et legationes, nec fieri potest, ut in tanta negociorum mole, sine longissima mora, quicquam ad finem probe perduci queat. Quare dominis vestris cunctatione opus est, ut quotidie instent. Et dum nostri dicerent, nos et sæpius et importune instare, respondit, Nihil refert. Nam etiãsi vos ipsos impor-

tunis sollicitationibus pulsetis, et ipsi omnia promittant, nihil tamen celerius fiet. Nam quemadmodum asellus licet stimuletur et vapulet ab agasone, tamen eodem cui assuetus est incessu incedit et eundem servat, ita et hi, obturati ad clamores, suo cursu res peragunt. Nam ipse ego, inquit, quatuor septimanis minus annum hic transigo, fere adeo gnarus, ut cum huc venerim.

Domine Deus, quoniam tempore tentationis multi juxta filii tui verbum respicientes ad potentias et elementa mundi hujus recedunt, adeo ut, qui aliquid inter tuos esse videbantur, nunc propalam seculum amplexi sunt et cum corvis crocitant et cum ranis coaxant, te ex imo pectore per eundem liberatorem filium tuum benedictum, dominum nostrum Jesum Christum deprecor, fidem meam adauge et suscita, ut tibi cum timore sancto servire et tibi jubulare queam, utque animo fidenti et læto cum servo tuo Davide canere possim: Si te habeo, nihil moror vel cælum vel terram, sicque mortuos sepelire suos mortuos sinam, qui vivis et regnas cum eodem filio et s. spiritu in secula Deus.

vj Maji in templo Mauritii post unum aut alterum psalmum decantatum lector ambonem conscendens ecclesiæ 13 caput Matth. legit, confessionem publicam præscripsit, et quoniam, inquit, salutare est et domino Deo nostro placitum et acceptum, obsecrationes pro omnibus fieri, sicut et apostoli docuerunt. Oremus igitur pro Cæsare, inquit, etc., et more consueto cætera prosecutus est. Deinde canit ecclesia canticum de invocatione spiritus s. et d. Musculus invocato Dei nomine explanationem capituli decimi quinti Joannis evangelistæ incepit, hæc verba recitans: «Ego sum vitis vera et pater meus agricola est, omnem palmitem in me non ferentem fructum amputabit, et omnem ferentem fructum purgabit, ut uberiorem fructum gerat.» His perlectis per modum epilogi quæ in capite 12, 13 et 14 docuerat repetiit et tunc tantum eam sententiam, «Ego sum vitis vera et pater meus agricola est», explanandum suscepit, disserens multa de hac pulcherrima similitudine et comparatione Christi ad vitem. Item, quare Christus per similitudines loqui maluerit, hanc reddens ejus rei rationem, nimirum grandia esse, de quibus Christus per parabolas locutus sit, propterea quod hæc facilius a simplicibus capiantur, et magis animo hæreant. Innuens Christum subinde assimilationibus usum, ut cum se ovium pastori comparat, seminanti, fonti aquæ vitæ, pani cœlesti etc., dilucide annotans in quibus capitibus et locis Evangelistarum singulæ comparationes haberentur, pie pariter ac docte eas cursim elucidans, præcipue eam,

quæ de vinea loquitur etc. Nam, inquit, hi sermones parabolici imagines sunt et simulacra. Quamobrem si imaginibus delectaris, quare non cum oves videas tibi in mentem venit: «Nos oves sumus, Christus ille verus pastor, qui ovibus dat pabulum, pro eis animam suam posuit et adhuc hodie pro ipsis sollicitus est.» Item, cum ostium domus tuæ ingrederis, cur non cogitas, «Christus verum est ostium, per illud te intrare oportet» etc. Item, cum vitem conspicis, quin mentem tuam subit: «Christus vera est vitis? Faxit Deus, ut ipsi sim palmes fructum in eo ferens et in vite permanens.» Sic et similiter de aliis. Si enim aut scriptis, aut sculptis vel penicillo exaratis simulacris animo gaudes, fac hæc loquacia simulacra, quæ tibi salutaria et vera repræsentant, consideres. Post hæc jucundissimam reddidit rationem, cur Christus se ipsum non cedro, quercui, abieti, fago aut id genus arborum compararit, sed potius viti, ligno non magnæ æstimationis, si surculos, palmites vel arborem intuearis. Ast, ait, hoc genus ligni Christo aptissime quadrat. Nam ut vitis lignum et frondes, ni fructum æstimes, contemptibile, ut in speciem videtur, est, ita Christus dominus dum in terra versaretur, contemptui habitus est, et nullius numeri juxta carnem Judæis fiebat, et ex humili matre virgine Mariæ (licet stirpe regia) nasci voluit, ut Esaias dicit, sicut virgultum de terra arida excrescens, utique qui dicerent: Numquid fabri filius est iste? Nonne nos patrem et matrem ejus novimus? Unde hic scit literas? etc. Num a Galilæa quid boni? etc. Et Christus ipse, inquit, gratias ago tibi, pater, quod abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et ea parvulis revelasti. Et Paulus: Non multi potentes, non multi sapientes secundum carnem etc. Sin vero probe et ad amussim rem animadvertas, Christus vera illa vitis est, quæ dulcissimum fert fructum, fructum spiritus, fructum omnis boni, fructum fidei, spei, charitatis ac demum fructum vitæ ac salutis æternæ. Patrem autem miro schemate vinitorem sive agricolam vocat, illi omnem honorem tribuens. Et quando, inquit, pater hanc vitem plantavit? Tum, cum verbum caro factum est, in fine temporum. Vitis vero similitudinem scripturis sacris familiarem esse, ex prophetis Esaiæ et Jeremia ostendit, item ex psalmo 80 per sex integros versus; item ex verbis Christi de filio regis et vinea et iniquis agricolis. Item esse præter hanc vitem Christum aliud vitis genus, quod labruscam die wilde Weinreben vocamus. Ejusmodi sunt cultus excogitatitii et traditiones humanæ ex viti vera non deductæ. Patrem autem palmites, qui in hac vita fructum non ferunt, sed degenerant, amputare. Interim eos etiam,



qui fructum afferunt, purgare, quo magis ferant fructum vite dignum etc. Et post luculentissimam harum rerum declarationem jussit, Deum patrem domini et liberatoris nostri Jesu Christi orare, ut benigniter nobis largiretur, huic veræ viti nos inseri, ne quo alias degeneraremur, utque in hac vite fructum feramus dignum, consecuturi per eam vitam æternam. Quod fiat. Amen.

Vocabamur a comite Rethbergio, ut hanc concionem postea conscribere post perturbatam memoriam non possemus. Apud Rethbergium Ottonem quoque de Berckenfeld reperimus.

Eadem maxima adornata funebrium pompa nec digna hujus narratione papyrum fœdare. Sed proh tempora, phui hominum effœminatas mentes! accidit huic actioni omnes novitios electores interfuisse, et inter hos etiam Christinam principem ciconiam inter grues intuitu regis Ferdinandi agrum domini vastare visam esse. Huc, huc, inquam, misera Germania recidit. At qui olim se proceres religionis nostræ gloriabantur, nunc super ollas carniæ Aegypti accubant, ne mutientes quidem contra omne, quod Antichristo et suis placet, brevi omnes olitus ventris sui, juxta Lutherum, pro suaveolente amaracino adorantes.

Memento, domine, vineæ, quam ex Aegypto adduxisti, et extirpa omnem palmitem non ferentem fructum in te, daque nobis in agnitione filii tui dilectissimi firma fide persistere et ejus verbo fideliter adhærere.

In hodierna sua concione Musculus nos orationem pro imperatore, rege et omnibus magistratibus intendere jussit, quo in Jesu Christo viti vera permanerent, et ne quid statuerent, quod labruscas saperet. Alioquin et patrem agricolam hos quoque amputaturum. Quod ipsemet Deus misericorditer avertat. Amen.

Ericus Brunsvigiæ dux ante triduum ad balnea in Emss ibi uxorem expectaturus hinc abiit. Hanns vonn Ruthingen des Churfürsten Wachtmeister.

Sub ipsis vigiliis tanta aeris intemperies erat, modo mugientibus, nunc flantibus euris, nunc rursus Cecia vento turbines et pluvias movente; ad id in dominico Augustano excitatus tumultus, ut credere posses ipsa elementa testari, has pompas domino abominationes esse.

Eadem in causa nostra tam quod ad Coloniensem, quam quod ad Cæsarem attinet, nihil effectum est.

vij Maji ad d. Mauritium d. Joannes Henricus concionatus est ex his verbis Pauli ex capite xij epistolæ ad Romanos: Benedicite et nolite maledicere. Ait autem hæc verba esse præceptum expressum domini, non con-

silium inter opera supererogationis annumeratum et omnibus universaliter præceptum esse, non solis iis, qui se claustrales vocant. Adducens testimonium ex cap. 5 Matthæi: «Quisquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio» etc. Item Deum patrem assimilavit patri familiæ, qui habens filium vel filiam, qui vel quæ a patre præcepta acceperit, et tamen præceptis hisce non obedierit, hic patrem, etiamsi tenere liberos amaverit, non tamen statim eum illis ablanditurum esse, sed forte dicturum: «En hæc tibi præcepi, sed tu pervicaci cervice repugnans? Vide igitur ut alium te geras. Quod ni fiat, haud te filii loco habiturus sum. Insuper etiam, nisi resipueris, exherediturus sum. Sin vero te gesseris, ut morigerum patri filium decet, ego quoque affectu paterno te ut dilectum filium vel filiam prosequar» etc. Si hic vel illa vitam in melius mutaverit et patri debitam obedientiam præstiterit, benignissimum patrem experietur. Ita et nobis, inquit, accidet. Si quotidie verbum benignissimi cœlestis patris nostri audiverimus et tamen quotidie nobis ipsis pejores reddimur et patris iram et exheredationem incurremus. Sin vero ex toto corde mandata ejus exsequuti fuerimus, ipsæ quoque iram suam revocaturus est etc. Item ostendit quoque ex cap. 5 Matthæi, quam nullam laudem mereamur, si tantum amicis et nobis beneficientibus bene precamur aut facimus. Nam, inquit, naturam et mutuam amicitiam exigere, et a sapientibus ethnicis probatum quoque iri et germanicum proverbium: *Freundt uber ein Zaun, freundt widderumb heruber*, testatur. Sed hosti et persequenti nos benevolos esse et de iisdem bona optari, idque ex animo præstare, hunc laborem, hoc opus esse. Proferens exemplum domini salvatoris nostri Jesu Christi, qui in cruce distentis membris pendens pro crucifigentibus orans dixit: «Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.» Item Stephani protomartyris, qui jam lapidibus quoque petitus oraverit: «Domine Jesu, ne illis statues hoc in peccatum, quia nesciunt, quid faciunt.» Sed forte dicere posses: Ab adversario sine omni causa, præter jus et æquum non solum damno et magnis opprobriis affectus sum, sed insuper mihi nec unquam eum honorem detulit, ut apud me noxam suam deprecaretur. Donemus, inquit, sic esse. Verum cum noveris innocentium domini et quibus probis, blasphemiiis conviciisque is ab impiis affectus fuerit (si modo christianus nominari velis) respectu Christi adversario tuo omnia, inrogatus etiam, gratis condonare, potissimum quod et probra et vibices, quos tulit Christus, tu pati debueras, teneris etc. Nec enim magni ducendum est, proprio ære altaria ædificare, templi parietes adornare, vel his majora quoque fa-

cere. Sed inimico ex animo ob Christum ignovisse, hoc opus est et vere bonum et Deo quoque acceptum. Non est enim cultus Dei solum in templo esse, ibidem orare ac mox a sacris, quicquid in mentem venerit, perpetrare, quasi jam penso persoluto, quæcunque libeat, facere liceat, sicut Judæi clamabant: Templum domini, templum domini, templum domini, cum Deus ista non exigeret, minitans et terrens exemplo dirutæ Siloes etc. Adduxit quoque d. Jacobi apostoli locum Jacobi I: Religio pura et immaculata apud Deum et patrem hæc est, invisere orphanos et viduas in afflictione sua, immaculatum se ipsum servare de mundo. Non is, ait, cultus Deo placens est, quotidie adire templa, quotidie sacræ concioni interesse, et mox finita concione auditi verbi nec habuisse rationem, nec meminisse. Sed vera religio in fide in Christum, in innocentia vitæ et caritate in proximum consistit. Dixit autem, Paulum non solum dixisse «benedicite», sed insuper prohibuisse maledicere. Quam id ævo nostro moris sit, rem ipsam testari. Nam ocius in nobis rebellantem execrationes et maledictiones nos torqueri, inquit. Si ullo tempore hæc Christ doctrina locum habuit, nunc quam maxime apud nos locum habere debet. Nam cum nos in hæc incidisse tempora animadvertimus, cogitemus Deum nobis hæc immisisse, ut nos probet, sicut argentum igne probatur. Jam, inquit, longo tempore verbum divinum audivimus et (ut ita loquar) in scholis litteras addidimus, nunc præceptori reddenda erit lectio, ut palam fiat, quid memoriæ hæserit etc. Certe ex natura nostra nihil possumus, nec egomet ipse quicquam valeo. Sed licet hactenus nihil fecerimus, emendemus modo vitam et hodie mature adhuc satis est etc. Orantes dominum, ut nobis largiri dignetur, quo discamus benedicere maledicentibus nobis et benefacere persequentibus nos, idque ob Christum. Amen.

A concione nos Atrebatensi exhibuimus. Qui cum cubiculo prodiret, conspecto Eubulo ait: «Nihil adhuc allegatum est.» Hac aulica offa nos saturos abire oportuit. Deinde salutavimus comitem Wilhelmum, cumquo et jentaculum sumpsimus. Is ait: Cunctatione hac opus est et exemplo viduæ illius evangelicæ improbum judicem importunitate obrui oportet. Cepimus quidem consilium de supplicatione, sed res eventum sortita non est, licet Liborius quippiam conscripserit.

Interim illud per veredarium Romam cursavit. Duas sessiones in consistorio habuit. Interea temporis nobis adsit dominus.

Eadem Cæsar et Ferdinandus animulam cognati regis per missaticos sacrificulos e purgatorio ad elysios campos transfretare fecerunt.

Eadem comes Wilhelmus mutuo nobis dedit quindecim illas conciones Michaelis suffraganei Moguntinensis de sanctissima missa, scilicet!

Quidam principis alicujus non omnino pessimi noxios consiliarios Michaellem Judæum et Joannem Islebium theologum esse dixit. Proh dolor, rem acu tetigit.

Libra aromatica una pro denariis duobus in molendino aromatico contunditur.

Eadem comes a Nassau scriptum compromissi landtgraviae et suo sigillo corroboratum suis syngraphis subscriptum nobis remisit. Verum Coloniensis ceram et papyrum, sed non sigillatum apposuerat. Petitum igitur consilium, sed tamen mutato consilio cum sigillo comitis a Nassau fideremus omnes et sigillo et manu subscriptione (licet animo invito) scriptum hoc confirmavimus.

Doctor Carolus Harst, Joachinus Hagk et N. Doctor ac Wilhelmus Ketteler canonicus, (qui jam in pontificem monasteriensem electus est), <sup>1</sup> Cliviae ducis consilarii fratres nostros ad cœnam vocarunt.

Eadem Wendelinus et Florus archiducem Maximilianum adiere, qui eos clementer audivit. Respondens illi probe obvenire, quod affinis suus dux Cliviae cum ipso de comitibus in Waldeck locutus sit. Paratus etiam omnia, quæ ad causam commoda sunt, facere, sibi constare, de causa nostra adhuc nihil ad imperatorem relatam esse. Verum se daturum operam, si vel ipso hoc die quid efficere posset.

Wolradus rogatu fratrum una cum nepote Samuele fratres ad Clivenses consiliarios pro umbra concomitatus est. Apud quos mensa erat opipare instructa, ubi et disputationes variæ inciderunt, et reperti sunt multi, qui nec papistis palmam nec nostris victoriam tribuerent. Ac nemo miretur. Sapientibus mundi ab antiquo res divinæ ridiculo fuerunt. Aderat inter cæteros filius Gothardi equitis aurati a Ketteler etc.

Doctorem Carolum rogabamus ut, si locus concederetur, nostri mentionem apud Atrebatensem faceret. Huic consultum videbatur, si quispiam subordinaretur <sup>2</sup>, qui apud harpigias istas multa de paupertate nostra diceret ac redditus nostros extenuaret.

Dum, nescio quo abeuntes, hospitio abessemus, venit quidam e familia comitum de Manderscheid, der alte Tyderich nomine, qui ait, dominos suos, quod Augustæ sim, latuisse, alias forte ipsos ad me de-

\*

<sup>1</sup> Das hier eingeklammerte steht in der hs. am rande. <sup>2</sup> subornaretur ?

disse literas. Si igitur quid ad affinem aut sororem scribere velim, se libentissime ipsis literas allaturum.

Quoniam, benignissime pater, hodie per præconem verbi tui juxta præscriptum ejus, quem solum nos audire jussisti, benefacere etiam persequentibus nos edocti sumus, te suppliciter deprecamur (figmentum enim nostrum nosti), da nobis spiritum tuum bonum et eam mentem, ut sperantes in te proximos amemus et odientes nos benefaciendo superemus, per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

vij Maji in cœnobio minorum quidam, cujus nomen mihi ignotum; ex cap. ii Lucæ Evangelistæ paragraphum hunc legit: «Et ait illis, quis vestrum habebit amicum, ad quem eat media nocte et dicat illi, amice, da mihi mutuo tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me et non habeo quod apponam illi, et ille intus respondeat» etc. et proximum huic adhærenti (em?) paragraphum: «Et dico vobis, petite et dabitur vobis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, et qui quærit invenit et pulsanti aperietur.» Dissertit igitur de meticulositate naturæ veteris nostri Adami in orando. Item quomodo idem dominus nævos corruptæ nostræ naturæ considerans medius factus inter Deum et hominem, hac similitudine audaciores cordatioresque ad orandum nos reddere voluerit. Item quis ille amicus dormiens, quem <sup>1</sup> media nocte, hoc est. ipso tenebroso tempore angustæ afflictionis et ingruente necessitate expergefacerere studeamus, dicentes cum propheta: «Exurge, domine, quare obdormis?» Quantum enim nobis et timidæ nostræ ad omne bonum naturæ, Deum dormire, preces nostras non exaudire et nos negligere videatur, tamen si tanta importunitate eum pulsemus, clementer nos exauditurus sit, præbens nobis panem et necessaria. Quod exemplo cananiticis mulieris pateat, et reliqua ordine is ecclesiastes prosequatur. Quia autem antehac ipsum non audivimus, difficile erat, omnia ejus verba assequi. Christum vero ostium esse unicum, hoc sine intermissione esse pulsandum dixit. Malleus, quo pulsetur Christus, fides est, sine qua impossibile, teste Paulo, nos a Deo exaudiri. Vetuit autem ne de alio intercessore mortuo cogitarem, nec hæc verba nobis exiguæ consolationi esse debere, quod Christus dixerit: «Dico vobis, quod ob importunitatem ejus exurget et dabit illi, quicquid opus habet,» cohortans nos, ut remota omni socordia et negligentia, his maxime tempori-

\*

1 hœchr. ad quem.

bus, Deum et ostium Christum assidue pulsemus sine intermissione orantes, nihil dubitantes nos per Christum exaudiri.

Eadem apud Atrebatensem sollicitatum est, qui quanquam de via declinare vellet, tamen a nobis præventus. Nondum audivit Cæsarea majestas, inquit. Hæc sibyllina follicula<sup>1</sup> nos apprehendere et abire oportuit. Eadem factus est nobis obviam Julius Pflug, Numburgæ ad Salam et Zitix episcopus, Amstorffio jam secundo surrogatus.

Opportune quoque doctor Philippus Seld obviam nobis fit, quem obnixè rogabamus, ut apud Atrebatensem instaret, si qua causa nostra ad imperatorem deferri posset. Qui respondit, se sperasse jam dudum hoc factum esse, posteaquam nos jam obedientes erga cæsaream majestatem præstitissemus. Verum id moris est, inquit, hujus aulæ, homines mora enecari. Si autem ipse in hac re quid facere queam, spondeo gratiæ vestræ meam operam. Polliciti sumus igitur, et nos relatores gratiam.

Hac die archidux balnea sua peregit et rursus in curiam suam migraturus dicitur, speraturque rursus audientiam (ut vocant) dare. Liborio et Wendelino injunctum est, ut a prandio Seldum iterum adeant. Augustanorum turgidi loculi rursus emulgenti dicuntur. Nam episcopus pro sua jurisdictione hactenus intercepta magnam pecuniæ summam petit. Hic erat vicesimus dies quod apud concilium imperiale auditi fuimus, nec interea temporis eo intromissi.

Eadem famulus dominorum de Manderscheidt ad nos reversus est, qui Theodoricum patrem Theodorici affinis nostri in Cronenburg Eiffliæ podagra decumbere ait. Affinem vero et sororem nostram Ericam nunc in Manderscheidt degere. Annam neptim nostram ex sorore esse apud fratrem nostrum uterinum Arnoldum comitem in Stenfurdt et Bentheim, dominum in Wevelkoven, Margaretham matri inseruire. Theodoricum nepotem nostrum in Manderscheidt sub pædago literis incumbere. Huic famulo mandata ad sororem nostram et comites suos dedimus.

Eadem inter octavam et nonam pomeridianam rex Thanis, quem alii Carthaginis potius regem putant, lectica vectus cum altero ejus filiorum exiguo satellitio comitatus Augustam venit. Gens semisæthiopica, cujus vestitus Turcam redolet.

Redeuntes ad hospitium vidimus Ambrosium Amman judicem Ratisbonæ, ex quo sciscitati sumus de statu Pergeri hospitis nostri et ci-

\*

1 ? foliola.

viu ratisbonensium. Eadem per hospitem nostrum d. Musculus nos donavit libro Martini Bucerii de disputatis in colloquio Ratisbonæ et ejusdem scripto contra Vintoniensem. Secretarius Hoiensis cum apud Atrebatensem pro responso instaret, Antonius ille Perenotus illi respondit: Urgeas Vigiliu. Ex quo dicto facile intelligere est, quam sibi conivent aulici polypi.

Eckenbergiana domus, quæ nunc archiepiscopo Trevirensi hospitium præbet, pendit comitibus a Honloh annuatim pannum integrum rubeum et anseres duos candidos et nescio quid amplius, insuper comitibus mansionem in hac domo et octo equorum stabulum, ubi comitibus libitum fuerit, præbere tenetur.

Rex Thunis a proprio filio exoculatus est hac arte, ut, cum argentum habeat vim adtractivam, laminam ignitam perpetuo intuitu inspicere coactus sit, sicque acum visus amiserit, idque jussu filii senioris, qui et regnum occupavit.

Eadem licentiatu Maier nobis et imperatores et consules Romanos Joannis Cuspiniani mutuo dedit. Eadem duo Germani milites hodie in hac urbe ab Hispanis occisi dicuntur. Faxit Deus ne diuturnioris odii inter utramque gentem fomentum sit.

In Angina urbe clarissima

Quo vadam nescio, invitus morior, valete posthumi

M. Posthumius eques.

Hoc mundi et Christum ignorantium ingenium!

Infelix fatum. Prior debui mori. Mater.

Domine Deus, qui nos per filium tuum sine intermissione orare jussisti, spiritum illum precum et gratiæ exsuscitare in nobis digneris, ut vigili fiducia ostium illud verum pulsemus, per quod nobis ad te introitus datur in vitam æternam, videlicet Jesum Christum dominum nostrum. Benigne pater, si est voluntas tua, da revisere uxorem et quam mihi commisisti spartam.

ix Maji in templo Minorum prælector (ut mihi videor) repetiit hæc verba Christi apud Lucam: «Et ego dico vobis, orate et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Nam qui orat accipit qui qui quærit inveniet et pulsanti aperietur.» Primo ea, quæ heri dixerat, rursus ad populi memoriam revocavit, deinde ostendit, quam amica, quam dulcis et salutaris hæc promissio Christi sit, quod ait: Qui petit, accipit etc. Nam, inquit, nec locuples nec inops, nec sacerdos, nec laicus, nec miles, nec civis, nec cæcus quoque aut claudus hic excluditur,

solummodo ut oret in fide Christi. Duabus autem rebus est stabilienda oratio, una ut orans meminerit, se a Deo per meritum Christi exaudiri, in quo pater se nos exauditurum repromisit, altera quod Christus nos orare jusserit et huic innitetur promissioni, quod dominus Jesus dixerit: «Quicquid petieritis a patre nomine meo, credentes, dabit vobis.» Orantem igitur non debere dubitare, sicut nunc nonnulli docent etc. Item nec nos nostræ justitiæ, probitati aut devotioni sive intentioni bonæ inhærere oportere, aut alium præter Christum opitulatorem vel intercessorem quærere. Sed, inquires, quid petendum aut quomodo orandum est? Orandum est, inquit, tibi juxta præscriptum Christi et voluntatem patris, sic enim exaudieris nec ullus unquam melior magister fuerit præscribendi modum orationis, ac Christus ipse. Nam in oratione dominica, quæcunque Dei patris honorem et voluntatem et tuas necessitates concernunt, habes. Si interrogas: Quid autem quæram in calamitate et ærumnis? Quære Christum æque ac in prosperis, et pulsa hoc ostium. Ipse enim est ostium, per quod qui non introierit, Deum videbit nunquam. Ipse via, veritas et vita. Quod quoque rursus dominus verba sua repetit dicens: Qui petit, accipiet etc., est ex ineffabili salvatoris nostri Jesu Christi erga nos charitate profectum, quo nos tam divitibus promissionibus ad instanter orandum alliceret. Ostendens quod pater cœlestis nullum rejecturus sit, cujuscunque conditionis sit, modo ex fide meritum et promissionem Christi oraverit. Orate igitur in omnibus prosperis et adversis et unicam gloriam Christi et salutem vestram quærite et ardentibus votis ostium unicum ad vitam pulsate. Hoc nobis donet benignissimus pater cœlestis per Jesum filium suum dominum nostrum. Amen.

Ostende mihi, domine, viam tuam, ut ambulem in veritate tua, confirma cor meum unico verbo tuo, ut semper et ubique nomen tuum venerer. Et, domine Deus magne, bone et misericors, si beneplacitum tibi fuit, servos tuos in Babylone per Jeremiam admonere orare pro salute regis illius, nunc quoque et tuæ paternæ voluntati non displicere confidimus te et pro domesticis nostris orare. Igitur ob meritum filii tui dilectissimi domini nostri Jesu Christi et promissionem et jussa tua, qui mentiri non potes, ex imis animi votis deprecamur, imperatoris, regum et magistratum nostrorum, sub quorum potestatem nos redigere voluisti, miserere secundum misericordias tuas antiquas principum nostrorum captivorum, recordare et nostri et domi derelictorum (quia omnes populus tuus et oves pascuæ tuæ sumus) paternam curam habe. Idque iterum atque iterum per lætissimam filii tui triumphalem ascensio-



nem in cœlos ad te Deum patrem et Deum vivum deprecamur, qui tecum vivit et regnat cum sancto spiritu in perpetuum. Amen.

Non statues, domine, domesticis nostris in peccatum ignorantias juventutis suæ et averte ab eis, o domine, a te non immissum pavorem et contemptum, et conserva tibi quos redemit et pro quibus oravit filius tuus, ut persistent in timore et veritate tua. Da ne retrospiciant, ne moveantur multitudine repedantium in Aegyptum et venerantium, te derelicto, potentiorum auram. Qui pater es tuis provide, quia Deus es, eis bonitatem tuam ostende, quia potens es, inimicos converte et nos de hiantibus faucibus eorum potenter eripe. Amen.

Ad septimam antemeridianam curiam archiducis Maximiliani intrantes, licet archidux adhuc lecto decumberet. Progrediens in superius atrium ascendit, missam (ut dicunt) aulico more audiens. Qua finita redeuntem ad cubiculum frater noster Joannes cum paucis convenit, rogans ut sua majestas et nos et causam nostram sibi commendatos habere dignaretur. Idem quoque Eubulus precatus, tacente interim Philippo. Archidux singulos nutu capitis salutans respondit: Faciam, imo faciam libentissime. Est Maximilianus archidux adolescens forma non illiberali, proceritate corporis justa, in effando humanitatem principem decentem præ se ferens. Dicitur erga pietatem et Germaniam non male affectus. Qui corda regum in manu sua habet, illi concedere dignetur, ut optima, quæ non pauca naturæ dona habet, ad Dei gloriam, subditorum suorum profectum et animæ suæ salutem, abactis susurronibus et adulatoribus, utatur.

Fridericus quoque comes a Furstenberg ibidem aderat, sed nos arridens fere sardonico risu nihil præterea salutationis vel amicitiae nobis exhibens, non cogitans esse rerum vices.

Eadem vidimus Joannem Rudelium Lubecæ civitatis syndicum.

Posteaquam ab archiduce secessum est, Atrebatensem quoque convenire statueramus. Verum consilarii imperiales fere omnes apud hunc erant. Allocuti sumus secretarium, at is anteambulorum aulicorum more nobis fumum vendidit. Egimus tamen cum Leonardo episcopo a cubiculo, ut is apud herum suum nostri mentionem haberet. Vidimus ibi Acaldam Cæsaris.

Ostiarus cameræ concilii imperialis nobiscum pransus est. Hunc instituere habet præses concilii, qui modo archidux erat.

A prandio Adrianus a Zertzen venit secum adducens præfectum de Fillich juxta Bonnam, qui et ipse filiam habet satrapæ de Fridburg

cognatam Elizabethæ et Joannis de Bruech cumque Wendelino affini suo diutius confabulatus est præfectus. Gloriatu quoque est Adrianus Moguntinum in crastinum sacra missarum solennia in præsentia Cæsaris et regis Romanorum celebraturum magno papisticorum missaticorum solatio.

Eadem doctorem Henricum Hasen in platea convenimus, qui ait se sperare brevi quid de causa nostra futurum.

In ædibus S. Marci: «Omnis ætas de suo tempore conquesta est.» In alio lapide: «Felix nimium prior ætas.» In ingressu secundæ portæ Capitolii leonis effigies catulum sibi subjectum miti vultu intuentis cum his versibus:

Iratu recole quod nobilis ira leonis

In sibi prostratos se negat esse ferum.

Eadem dominus Musculus prosecutus est textum de amputatione palmitum et maxime de obstinatis.

Eadem, quæ erat vigilia ascensionis domini Ditmarus Heller Consul per literas nomine etiam Corbachianorum civium de salute et rerum nostrarum statu sciscitatus est. Nuncius fuit Franciscus Steinruck. Attulit idem literas a domina matre, uxore et sororibus. Item a Joanne Galacteo et Hermanno Nellen.

Eadem M. Wilhelmus secretarius Wilhelmi comitis scriptum compromissi inter Coloniensem et nos, ut ipsis placuerat, dolatum et confirmatum nobis tradidit. Socrus et noverca Eilhusii una fuerunt.

Indicta est dieta in Wimariam in causa dotis ad diem lunæ post Trinitatis anni hujus 1548. Habitum et super hoc consilium est cum Liborio.

x Maji, quæ erat vigilia ascensionis dominicæ sacra, in templo Mauritii prælegit lector reliquum capituli 13 Matthæi. Deinde d. Musculus historiam ascensionis dominicæ ex capite ultimo Marci evangelistæ, scilicet ex paragrapho ultimo contexuit. Verba autem hæc sunt: Itaque dominus quidem, postquam locutus fuisset eis, receptus est in celum et consedit ad dexteram Dei. Illi vero egressi prædicaverunt domino cooperante ubique et sermonem confirmante per signa subsequencia etc. Præfatus igitur Musculus, quam dives sit hic textus, duo tamen potissimum in eo observabilia esse dixit. Historiam videlicet ascensionis dominicæ et usum ejus cum fructu. De prima parte disserens, alteram in concionem vespertinam reservans. In historia vero hæc observari jussit. Veritatem ascensionis domini, ubi dominus ascenderit, quando, quomodo, quo sublatus et quæ nobis inde utilitas evenerit. Historiæ

veritatem ex Luca et apostolicis literis elicuit. Ait autem dominum non statim a gloriosa sua resurrectione ad cœlos ascendisse, sed per quadraginta integros dies se ipsum ostendisse discipulis, eos confirmasse in fide, cum illis manducasse ac se manibus eorum contrectandum ac palpandum præbuisse. Sicut autem dominus palam pati et intuentibus omnibus crucis supplicium subire voluit, ita resurrectionem suam illis tantum, qui ad hoc a Deo præordinati fuerant, testibus manifestavit. Levatus est autem dominus a suis in monte oliveti, qui est inter Hierusalem et Bethaniam, ubi frequenter Jesus alias orabat, ad cujus declive etiam guttas sanguinis in horto Getsemani sudavit, sublatus ex hoc monte cum corpore suo videntibus discipulis etc. Consedens ad dexteram patris. Hic multa dixit Musculus ex epistolis Paulinis et Augustini de honore carnis nostræ, sedentis in Christo ad dexteram patris. Sublatus est, inquit, super omnes cœlos. Hos autem cœlos non reputari debere cœlum hoc volubile et æreum, quod nobis visibile est, sed majestatem illam et gloriam cœlestem, qua per eum glorificaturus erat, sicut dominus noster Jesus Christus ait: Et nunc glorifica me, o pater, apud te metipsum gloria, quam habui priusquam hic mundus esset etc. Sublatus est quoque in cœlum, ut nos eum eo sequamur. Utinam, ait Musculus, eum nostræ carnis honorem agnosceremus, quod Christus verus Deus et homo in carne nostra ad dextram Dei sedeat. Addit esse figurate dictum, caro nostra sedet in cœlo, sicut dicimus: Domus Austriaca aut Burgundica sedet super solium imperii, cum id in una persona, Cæsare nimirum vel rege, compleatur. Si, inquit, hoc consideraremus nihilque majus duceremus, nihil minus quam humilia hujus mundi amplecteremur. Quis imperator vel princeps non pro hoc honore omnes suas pompas, quæ ne vitiosa quidem nuce ad hunc honorem comparatæ æstimandæ sunt, contemnat, quin omnes sollicitudines ac labores hujus honoris respectu postponat? Sine dubio, si hæc revocaverimus ad cor, mundum pro nihilo duceremus, non quod mundum relicturi simus, nam in mundo nos vitam degere oportet, quamdiu id cœlesti patri nostro placitum est, sed ne tanto conatu hujus mundi divitiis inhiemus, non quod divitiæ damnentur, sed quod juxta Davidem cor non apponeremus. Nam Paulus eos, qui volunt ditescere, dicit in tentationes incidere etc. Verum victu et amictu contenti meminerimus conversationem nostram in cœlis esse debere, vnd geben nichts vff alle diese Wegedinge. <sup>1</sup> Isthac

\*

1 ? unedel dinge.

enim salvatorem nostrum sequi debemus, Nos, inquam, qui Christo adhæremus, non mundus, qui habet, quo recipiatur, qui ne optat quidem etiam esse cum Christo, quin et si Deus adhuc in terris ageret, eum majore quam crucis supplicio afficeret, tam iniquo animo in Christum et suam veritatem sunt, qui mansionem et conversationem suam cum principe hujus mundi Sathana habent. Item explanavit, quid sibi hæc sententia: «Ascendit dominus in altum et captivam duxit captivitatem,» velit. Nimirum captivitatem fuisse, qua a principe hujus mundi et tenebrarum ac morte ac inferno miserum genus humanum ob Adami protoplasti lapsum tenebatur; hanc Christus secum duxit, ab hac nos liberavit. Item dona dedit hominibus, quid etc. ut id aptissime ex d. Paulo edocuit, et quam hæc dona Christi munusculis regiis etc. præstarent. Docuit quoque, qui ascensionem Domini juste veneremur, nimirum ut hic pie vitam instituamus, Christo et verbo ejus obediamus ac optemus Christum, qui nos præcessit, sedens in gloria Dei patris, subsequi. Puerile enim spectaculum, quod papistæ idolum aliquod in altum trahunt, volentes hoc significare ascensionem Christi etc. Hujusmodi ludicris, inquit, intenti sunt et opera Christi instar simiæ imitari volunt. Quando vel tandem, ait, de reditu ejus et nos secum assumente festos dies celebraturi sumus. Profecto, ait, rideat mundus, papistæ licet obganniant, tamen in propinquo est adventus domini. Hic adduxit tempora Nohæ et Loth etc. Refrigeratu est enim charitas multorum et abundat malitia, ut in propatulo est. Rogemus ergo, inquit, dominum et liberatorem nostrum Jesum Christum, sedentem ad dextram Dei patris, ut ipsam eo sequi valeamus. Sed quis assequetur spiritum d. Musculi?

Eadem literas dominæ matris duci Ernesto a Brunshwig obtulimus, a quo humaniter accepti et cum eo apud principem electorem Joannem Fridericam pransi sumus, ubi et aderant regii proceres, Der Danheuser et alii. Apud Wilhelmum comitem cœnati sumus.

Rumore divulgatum est, pontificios apud Cæsarem intercessisse, ut conciones sacræ intermitterentur. In sigillo Platonis scriptum erat: Facilius est movere quietum, quam quietare motum; in sigillo Aristotelis: Sapientior est, qui quod novit abscondit, quam qui pro palat, quod nescit. In sigillo Socratis: Inimicus hominis insipientia ejus; amicus hominis sapientia ejus; in sigillo Senecæ: Secretum meum mihi.

In die ascensionis domini, qui erat 10 dies Maji sub noctem Martinus coquus episcopi Monasteriensis, qui consilariis Augustæ additus erat, ab adolescente quopiam Didonis a Kniephausen famulo interfectus

est, cujus animæ propitius sit dominus. A coquis landtgravæ, Coloniensium et comitis a Nassau funebri pompa sepultus est. Eadem et tres alii ipsa hac nocte interfecti sunt et Martini coci sepulchro impositi.

xij Maji in templo Mauritii d. Musculus de amputatione vitis ex cap. xv Joannis concionatus est, multa de bonitate patris cœlestis dicens, qui non statim palmites amputet, sed ad annos aliquot pœnitendi et emendandi spatium misericorditer concedat etc. Item de improvida et præcipiti amputatione, qua hi utuntur, qui se ecclesiæ gubernatores et capita gloriantur et haberi volunt, et maxime illud urgebat: «Omnem palmitem ferentem fructum in me,» pater purgabit, multis evidentissimis argumentis demonstrans, quam non sit ullus mortalium vel etiam sanctissimus quisque omni ex parte mundus, juxta illud: «Quis potest dicere, castum est cor meum?» obiter hos taxans, qui sanctos mortuos invocare imaginesque eorum colere docuerunt, obticentes ipsos quoque aliquando peccatores fuisse, exemplum Davidis adducens, qui extra vitem palmes peccavit in adulterio cum Bethsaba et in occidendo Uria per literas ad Joab etc. Sed pater benignus eum purgavit, ut rursus largiter fructum in vite ferret. Interdum electos ne in donis superbirent vel recalcitra- rent, sicut Paulo datus est stimulus in carne et Sathan eum colophisans etc. Ait quoque, sicut putredinem corporis, ita et animæ similiter duplicem esse, eam, quæ venit foras ad corpus et eam quæ ex corpore procedit. Primi generis sunt foetor vel stercus calceis adhærens et his similia. Secundæ putredinis species sunt pituita, sudores, graviolentia halitus et si quid talium sordium sit, a quibus foris animus coinquinetur, qualis est morbus a pravis colloquiis et impio sodalitia contractus, ab- intus vero malæ cogitationes et conscientia maculæ. Et profecto, inquit, diversi sunt modi sordium, nam aliæ aliis et foris et intus tenacius hæ- rent. Nam si quis calceos maculaverit, in domum optimatis cujusdam intrare volens (modo honestus vir sit) pulverem extergere jubet. Aliæ vero sordes aliam purgationem requirunt. Nam in putredine vltnerum fit sectio. Ita vinitor, qui omnia novit, alium hac, alterum illa purgare novit via; is durius, hic mitius ab eo tractatur, semper tamen in bonum sui. Et certe, ait, haud eum christiano nomine dignum duxerim, qui calceos abstergere novit, et non secum recogitaverit, si quam maculam conscientia accepisset, ut eam aliquando purgare satagat. Putredo au- tem illa non venit ex stipite nec ex radice aut nobili e succo vitis, sed ex degeneratione palmitum. Præterea meminerimus, si qua a benignis- simo patre crux nobis imponatur, id fieri in purgationem veteris Adæ

nostri et nobis in bonum. Manum igitur patris patienter et obedienter feramus. Interim hoc addens exemplum. Paterfamilias si surculum mali arboris stipiti inserit et hoc virgultum in arbusculum evadat et unum et alterum pomulum hero suo producat, pergratum quidem est hero. Si autem tandem in justæ proceritatis arborem excrescat et tum non nisi unum aut alterum pomum patrifamiliæ tulerit, tandem subirascetur paterfamilias et arborem hanc succidere jubebit. Sic quoque est patris cœlestis erga nos animus, si semper erimus discentes et nunquam ad frugem pervenire conemur, non quotidie nobis ipsis meliores evaserimus ac in vite illa Christo uberes fructus feramus. Sed hæc omnia, inquit, dicta sint de christianis et qui Christo nomina sua dederunt, illi servire ex animo cupientes. Nam reliquos palmites, qui sponte degenerant, pater amputabit et collectos igni injicere jubebit. Dixit et alia multa præclara in hanc sententiam. Faxit Deus ut simus palmites fidei, portantes botros in viti vera. Amen.

Hac die Franciscum nuncium rursus Corbachium multis literarum fasciculis oneratum remisimus. Remisimus et doctori Maier libros suos per Melchiorem Lindium.

Ante meridiem fratres sollicitatum ibant, sed Atrebatensis patrem adierat. A prandio vero per cubicularium ejus hoc responsi accepimus, heri a missa Cæsari de hac re se nonnihil dixisse, sed imperatorem se nondum resolvisse. Hic erat hujus diei actus.

Invisimus doctorem Carolum et perexiguum erat ejus consilium, nisi quod patientiam suasit. Venit amanuensis ille et heri et hodie scripta adferens. Tafferne, ait, flux venio. Sic germanicum idioma addiscunt Iberi.

Domine Deus, quousque ira tua desæviet? En pertulit Germania pestem, famem panis et gladium hostium exterorum et intestina bella, nec tamen finis est. Minatur ereptio verbi tui. Cætera omnia juste venerunt super nos propter scelera nostra. O domine, et hoc postremum quoque probe meremur. Verum misericordissime deus, ut nos indignos peccatores confusio faciei et omnia mala decent, ita thronum tuum fortitudo, magnificentia et misericordia decet. Propterea ex imo te rogamus pectore, aufer a nobis malum hoc et ne des fame verbi tui, in quo solo vivimus, nos enecari. Ne respicias nostram erga tuam pietatem, o deus, ingratitude, sed misericordiæ tuæ antiquæ recordare nosque diutius verbo tuo pascere digneris. Mitte pater, mitte operarios fideles in messem tuam et conserva et conforta eos, quos dedisti nobis, ne in

tempore tentationis hoc recedant. Id te rogamus per Christum dominum nostrum. Amen.

xij Maji in templo minorum audivimus quendam a nobis antehac non visum, qui et doctrina et oratione non indoctus videbatur. Prælegit autem ecclesiæ ex primæ Joannis epistolæ capite 2 hæc verba: «E nobis profecti sunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, sed ut manifesti fierent, quod non sint omnes ex nobis.» Deinde ait: Charissimi, hic monemur, mirum nobis videri non debere, si nonnulli et hoc tempore a nobis recedunt, qui nobiscum Evangelium amplexi fuerant, dum idipsum tempore Christi et apostolorum accidisse videamus. Magnæ autem consolationi nobis sit, quod dicit: «sed ex nobis non sunt, verum ut manifestentur, qui ex nobis non sunt.» Nunquam eni mex corde veritatem evangelii susceperunt, et scimus ejusmodi futuros et dominum et apostolos prædixisse. Potissimum vero hisce ultimis temporibus sic manifestari oportuit odium Cain in fratrem innoxium Abelem. Sic inhonestatem Cham in deridendo turpitudinem patris Noah, sic quoque animus perversus Saulis innotuit in persequendo optimum Davidem, et cor Judæ proditoris in innocentem Christum. Et quanquam dominus diem statuerit, qui nec procul abest, in qua cunctorum erit judicium, tamen prius nequitiam malorum decopertam vult, ut agnoscamus veritatem dictorum Christi: Nihil est absconditum, quod non reveletur domino deo nostro scrutatori cordium et probatori renum, ne cogitatus quidem nostros clam esse. Sicut in Saphira et Anania actorum 5 apparuit, qui subitanea in correptione per Petrum perierunt. Discamus, inquit, cautius mercari, et actorum nostrorum rationem habeamus. Sed quia id ex nobis ipsis non possumus, Deum ardentissimis votis pulsemus, quo spiritum suum bonum nobis donet, ut in agnitione et confessione Christi constanti fide permaneamus. Nec offendamur exemplo recidentium ad seculum et in tentatione nobiscum persistere nolentium. Rogemus item, ut verbum suum nobis diutius et relinquere et impartiri dignetur. Attende, o prudens christisequa, hanc clausulam non abs re a concionatoribus Augustanis concionibus et obsecrationibus populi adjici, si animum veritas et retrospicias ad pontificium et Epicureorum subdolos conatus, potentum vecordiam et vulgi christianorum (de iis loquor, qui vulgi ingenium sequuntur, etiamsi trisreges sint vel principes) ad Antichristi opes respicientis, et id apud eos, qui potiores inter nos videri volunt. Hoc Catti illi et diligentes verbi Dei dispensatores lynceis oculis prospiciunt. Ideo oviculis acclamant et eas

sub pedum pastorale revocant, illis patrem pastorum Christum digito demonstrantes, ne Argo multo oculatior et nequam spiritus nos inter filios diffidentiae in devia abducat et discerpat, et ne (quod Deus avertat) longanimitatem benigni patris floccipientes pereamus fame, non quidem panis, sed verbi, quae omnium seriarum et puppis et prora est et omnium rerum eversio. Quod itaque omnes pii orandum ducunt, id rogemus Dominum ut largiatur per Christum Jesum.

Eadem hospiti injunximus, ut singulis liberis domini Musculi pileola nostri nomine in xenia daret.

D. Joannes Henricus apud s. Mauritium ex cap. 12 ad Romanos nimirum: «Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus!» explanavit.

Eadem summo mane Fridericus Palatinus elector, Bavariae dux, Novomarchiam abiit.

Vidimus magnificas structuras coenobii d. Udalrici inter moenia Augustae, quod non pauci castrum Caesaris vel civitatulam futuram existimant. Fuit autem d. Udalricus ejusdem urbis praesul ex stirpe comitum de Dillingen. Vidimus item aedes Joannis Georgii Fuggeri, ubi forte fortuna ostium domus apertum reperientes intramus, hortum, ambulacra concamerata, caveas item volucrum undique filo ferreo obtectas et receptacula fontium perlustravimus. Et quod mireris ad aedificioli cuiusdam solare horologium parieti depictum cum lineamentis horoscopis ac umbris suis affabre exornatum, praeter quod in medio fere pariete Augusta urbs et ejus situs probe delineata erant et omnes in confinio urbes cum fluminibus et amnium quoque decursibus, quibus singulae adjacent; per notas quasdam et signa indicabatur, ad quod terrae clima quaeque urbs situ suo vergeret et quot miliaribus ab Augusta distaret. Opus profecto vel Apelle vel Zeuxide dignum. In his aedibus archidux Maximilianus verna balnea habuerat, a medicis antidoto contra longae profectionis hispanicae incommoda et contra inconsuetum aera praemunitus.

Hoiensis scriba nihil hic proficere potest. Fiant tamen omnia suo tempore.

Vidimus et eadem in suburbiis Augustanis versus portas d. Jacobi viculum et muro et tribus portis clausum aedificiis oblongis quatuor in mansiones centum et sex divisas, et in superliminari portarum haec saxo insculpta erant:



## MDXIX.

UDALRICUS. GEORGIUS, JACOBUS FUGGERI AUGUSTANI GERMANI FRATRES QUA BONO REIPUB. SENATUS, QUAM FORTUNAM MAXIMORUM OPERUM DNO ACCEPTAM IN PATRIS REVERENDAM RATI OB PIETATEM, EXIMIAM IN EXEMPLUM LARGITATEM ÆDES CUI CUM OPERE ET CULTU MUNICIPIBUS FRUGI SED PAUPERIE LABORANTIBUS.

## D.D.D.

Quidam autem ex hujus vici incolis cæteris præest ac ex unaquaque domo florenum tantum Augustanæ monetæ recipit, non quidem in Fuggerorum proventus, sed ut, si forte Fuggeri non supersint, domus, si qua opus, refici ex hac pecunia queant.

Eadem nuncius pontificius advenisse dicebatur adferens a Christi vicario forte a Christo domino nunquam vel cogitata vel jussa.

D. Joannes Cocleus, canonicus Eichstatensis et vindicta, infeliciori tamen successu quam ut proverbio dicitur (scarabeus aquilam) incitatus librum conscripsit contra nostræ religionis aut si mavis Augustanæ confessionis auditores et collocutores in colloquio Ratisbonæ germanice Denn Nachtrab titulum indidit. Sic ad sordidos pontificios scarabei et cocleæ cum lubricis limacibus arreptant, dum homines pietate et doctrina probati celeri cursu vel terga vertere, vel latebras quærere coguntur. Quæ tamen latuit diu et tandem emergit veritas postliminio auspice Christo triumphabit.

Est et Augustæ juxta ponticulum quendam posticum in suburbia exeuntibus murus, in quo in saxum aliquod sex imagines puerorum insculptas videre est. Hoc monumentum hospes noster in memoriam positum esse ait, quod tot numero pueri ibidem choreas ducentes in Lyco, cujus brachiolum subter ponticulum transfuit, submersi sunt.

Vix nobis ad hospitium reversis secretarius quidam episcopi Monasteriensis, patrum nostri, venit, sciscitans, num literas episcopi nomine receperimus an secus. Cui respondi, nihil literarum ab episcopo mihi hic obvenisse. Exhibuit igitur mihi legendas epistolas, in quibus ipsi ab episcopo injunctum erat, ut super aliquo negotio in absentia Francisci Dey mihi scripta episcopi offerret, ut de hac re apud consiliarios Cæsaris præsullem excusarem. Exhibens præterea scripta duo Lazarum de Schwendi concertentia. Literas vero ad me datas secretarius et ego ab ipso Lazaro et interceptas et lectas suspicabamur, verum id aliter postea compertum est. Petierat autem Schwendi a patrum nostro jussu (ut ipse Lazarus scripsit) Cæsareæ majestatis, ut in supplementum exercitus obsidentium Ver-

denam equites circiter mille et aliquot tormenta ænea cum pulvere armentario etc., et præterea ut ad dietam in Hannover mitteret. Ipse autem ego (quia me nullam vel pro me ipso gratiam apud cæsarianos proceres invenire sperarem) causam hanc a me rejeci.

Eadem ostiarius cameræ concilii imperialis jussu consiliariorum ad hospitium nostrum veniens scripta redintegrationis querelarum Paderbornensis præsulis contra comites a Waldeck Eubulo, quem solum ibidem reperit, tradidit. Philippus et Joannes fratres nostri cum domina principe Hassiæ pransi sunt, Samuel et Eubulus in hospitio permanerunt. Est rumor de solvendis comitiis. Dominus de Lyra (ex cive princeps) Cæsari a consiliis et exercitus dux ad Cattorum principem missus est.

Fuimus eodem in officina cujusdam, qui in cælando aurichalco et in arte fusoria haud facile parem in Germania habere dicitur, apud quem ecclesiastes quidam in Memmingen Joannes Hummeln dictus in usum Cæsaris horologii thecam ex aurichalco deargentato et desuper inaurato cum signis cœlestibus, cursu siderum, digestionem planetarum, revolutione cœli et nescio quibus non notis undique foras cælatum fieri procurat, cujus operis partem aliquam vidimus. Dicitur autem Hummelius ille adeo gnarus rei astronomicæ et mathesis, ut ipso Apiano cedere non videatur. Eadem Milchlingium ad ducem Ernestum, si forte rescripsisset, misimus. Sed is nihil responsi id temporis retulit.

Quoniam, summe et sempiternæ deus oculis tuis nihil est absconditum et millies melius ac nobis ipsis cunctas necessitates nostras nosti, tu omnia misericorditer juxta beneplacitum divinæ voluntatis tuæ dispone, tibi enim soli cum ecclesia, ab antiquo fidentes merito et promissionibus filii tui dilectissimi, domini servatoris nostri Jesu Christi, canimus. Exaudi nos deus salutaris noster et propitius esto peccatis nostris propter nomen sanctum tuum. Exaudi nos, inquam, in justitia tua, ut uni nomini tuo sit gloria. Rege nos spiritu sancto tuo, ne prouamus ad dexteram neque ad sinistram dilabamur, sed ad normam tuæ voluntatis omnia nostra instituamus, per eundem dominum nostrum Jesum Christum, cum quo tibi et s. spiritu sit benedictio laus et sempiterna gratiarum actio. Amen.

xij Maji quam Christianorum vulgus dominicam Exaudi vocat, in sæde Mauritio sacra lector pro ambone caput 14 Matthæi evangelistæ legit, et cætera, quæ scripto pronuntiare is solet. Wulfangus vero Musculus ex cap. 15 Joannis hæc verba proposuit: «Vos jam mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis, manete in me et ego in vobis.»

**Musculus** itaque recapitulationem eorum, quæ die dominica Lunæ Mercurii et Veneris elapsis ad præcedentem textum elucidandum docuerat, fecit. Dehinc quare Christus discipulos mundos esse dixerit, ostendit, nimirum ob verbum quod audierant. Item movit quæstionem, quæ eorum mundities esse potuerit, cum apostoli ambitione laborarent, quare et a domino correpti sunt ipsis dicente: Principes gentium dominantur eis etc., vos autem non sic. Et cum iterato de eadem re disputarent, puellum in in medium statuerit etc. Hinc igitur liquet apostolos, et non solum apostolos, sed et nos omnes jam tum mundos esse per meritum Christi et verbum ejus fide receptum. Item quod Deus ex mera et gratuita sua misericordia, etiamsi non perfecta in nobis puritas sit, ob filium per imputationem pro mundis nos habeat, et quod nemo sanctorum unquam adeo perfectus fuerit, quo hanc munditiam omni ex parte in hoc mundo assecutus sit, nec vera quoque ecclesia, nam necessitas eam urget quotidie orare: Remitte nobis debita nostra. Et hoc loco multa seria de adversa ecclesia dixit. Quod autem ait dominus: «Ob verbum, quod loquutus sum vobis,» notandum hinc est, quod puritas non a nobis, qui intus et in cute vitiis affluimus, sed a viti illa vera nobis contingat. Et propter verbum inquit, quod audistis, scilicet a me, non ob quodlibet, inquit, verbum domini, idque unicum, non judaicas traditiones, non mahometicas sanctiones, non Judæorum Talmut, turcicum Alcoranum vel pontificia decreta etc. Docens quam nihil extra et præter verbum dei in religione vim habeat, ob oculos ponens harum rerum antithesin! Item de usu sacramentorum et de iis, quæ sine verbo per papistas fiunt, sicut unctio extrema et his similia, opus operatum et papicolarum missas rejiciens. Multa ex Augustini scriptis adducens, ex quibus confirmabat verbum non mortuum sonum illum in aures penetrantem et tinnientem, sed verbum fide apprehensum et puro corde conservatum nos ad Christum perducere. Movit item quæstionem, quod non omnes verbi auditores mundi redderentur, et exemplo Judæ Icariotis hanc rationem reddens, quod Judas nunquam ex animo verbis Christi adhæsisset. Perstringens quoque ejus farinæ auditores, allegans dictum Augustini: Non vox transiens, sed veritas remanens etc. Quod non verbum auditum sed verbum creditum ejus quam dixerat energiæ sit, inter reliqua graphice emphasin voculæ «vobis» hic appositæ explicuit. Non enim quod angelis vel feris, sed quod vobis prædicatur, vobis in profectum cedit. Monens hic, quam non conducibile sit in peregrina lingua cum ignorantibus loqui, præsertim quod juxta Paulum omnia in proximi ædificationem fieri

debeant. Liberum, inquit, tibi est, Deo hebraice, græce, gallice etc. loqui, is enim omne idioma intelligit. Longe autem aliud est, cum homine peregrinæ linguæ ignaro loqui et hunc instituere, exempli gratia, si scholasticus non ex omni sermone præceptoris sui eruditior evadit. Nam si præceptor cum uxore propria aut familia confabuletur, id nihil ad discipuli institutionem facit, sed discipulus ex eo sermone, quem præceptor ad ejus captum accommodat et proprie ad id instituit, peritior fit. Indicans insuper quomodo genuinum scripturæ verbum hactenus profligatum fuerit, et hujus loco Scotus, Thomas, seraphici doctores, et si quid hujus albi homines suggestum occuparunt. Sibi autem videri Germaniam præ ceteris nationibus hac in re infœliciolem. Nam posteaquam primo Christi fides prædicari cœpit, apostoli et qui ex Hebræis fidem annunciarunt, hebræa, utpote sua, lingua in sermocinando et loquendo usi sunt, eave, qua illis erat nativa. Ubi Græci receperunt Evangelium, græco suo idiomate, quod illis nativum erat, usi sunt. Dum Romæ prædicari cœptum est, in latio sermone cantabatur et prædicabatur. Omnibus enim constat vulgarem sermonem id temporis in Italia latium sive latinum fuisse. Et duravit id quoque a primâ ecclesia ad pauca abhinc usque tempora. Miseris vero Germanis psalmos canere et sacra celebrare in nostra lingua non permittitur, cum tamen Tertullianus et Augustinus in Hippone Sua in africo idiomate psalmos cantarint, quod vel ex eo patet, quod vicibus aliquot populum, cum floruit in quodam psalmo caneret, ut florebit cantarent monuit etc. His opposuit papistarum inania murmura et non intellectas voces, de quibus luculenter disseruit etc. Superius autem, ubi de munditia apostolorum dicebat Christum et per figuram locutionis eos appellasse mundos, qui secum animo recolerent, quæ illis Christus hactenus dixisset, quanta acceperunt et quæ adhuc accipienturi essent, si verba ejus audierint et si eo se dignos gerant. Ait enim hunc morem etiam apostolo familiarem esse, ut cum admonere suos suæ vocationis vellet, diceret: Sancti estis, abluti estis, sicut et s. Petrus dicit: vos estis gens sancta, regale sacerdotium etc., his innuens ut memores nostræ in Christo conditionis essemus nec ignobilibus hujus seculi nos immisceamus etc. Veluti si quis rite ad virginem dicat: Sancta et pudica es, quasi diceret, non te ejusmodi moribus esse, ut turpes istæ lanæ aut lupæ sunt, convenit. Item ut alicui ex nobili stemmate nato ejusmodi verbis calcar ad virtutem addere possemus: Ex illustri nato es prosapia, decet te generis tui decus illustrare, modo nobilibus ortus sis natalibus. Et profecto maximopere id temporis necessarium

fuert, nobiles, nobilitatis et stemmatum ut rationem habeant, admoneri, ne, ut modo fit, in omne vitium præcipites ruant. Hoc modo posse putabat vel concionatorem vel parentes vel patremfamilias alloqui suos, minime vero permissum iri aliquem talia de se ipso dicere, addens hic, quod *κόσμος* græce, latine mundus, cataros hæreticos, quod se mundos esse gloriarentur, dictos esse. Postremo jussit Deum nos orare, ut verbum suum nobis diutius audire et prædicari largiretur, quo in Jesu Christo in viti illa vera palmites frugiferi fieremus.

Melchior a Horstall et Hermannus Reidesel nobis obvii fiunt. Sub prandio Wulphilas Brabantinus a noverca ad fratres nostros literas deferens venit, salutem quoque uxorculæ nomine dicens. Detulit et a Schonstadio et Hermanno Nellio unas nobis literas, facta abbatis Breidelariensis, Flechtorffii et Volkmariensium etc. continentes. Joannem Milchlingum ad Ernestum ducem miseramus, sed nec modo convenire eum erat.

Eadem in templo Mauriti loci vespertinarum precum ecclesiam psalmum aliquem cecinit. Deinde lector caput 2. epistolæ ad Galatas legit. Rursus ecclesia cantu s. spiritum invocabat, et mox dominus Johannes Henricus ex cap. 12 epistolæ d. Pauli ad Romanos hæc verba: «Gaudete cum gaudentibus et flete cum flentibus, eodem animo alii in alios affecti, non arroganter de vobis ipsis sentientes, sed humilibus vos accommodantes. Ne sitis arrogantes apud vosmet ipsos, neque cuiquam malum pro malo reddatis,» exposuit populo, indicans quam noxius sit ambitionis morbus, quod et ipsum scripturarum testimonio et exemplis adeo perspicue docuit, ut vel manibus palpate posses, quam animis omnium ex corrupta natura is morbus hæreat. Et sic singula in suas classes christiana diligentia digessit, jubens ut dominicum illum, qui nostri causa nullam non injuriam perpessus est, imploremus, quo concedat nobis animum inimicis benevolentem et spiritum ad instar ipsius domini, posteaquam idem dominus nos humiles spiritu esse imperavit. Adduxit et locum Pauli ex Philippensibus 2 cap. hunc scilicet: «Si qua igitur consolatio in Christo, si quod solatium dilectionis, si quæ communicatio spiritus, si qua viscera et miserationes complete meum gaudium, ut similiter affecti sitis, eandem charitatem habentes, unanimes, idem sentientes» (vide latius caput 2 ep. ad Philipp.). Post concionem domino gratias egit ecclesia ac sic cum benedictione in pace ab ecclesiaste dimissi sumus.

Eadem Wilhelmus comes a Nassaw majorem electorum et principum partem convivio exceperit.

Magistro Liborio injunctum est, ut comiti a Nassaw injuriam

nobis a Breidelariense monacho factam recenseret ejusque consilium super hac re peteret.

xij Maji in templo Minorum d. Leonardus ex cap. Marci ultimo historiam ascensionis dominicæ perpulchre concinnavit, ac inquit, Et dominus postquam locutus est illis. Quid, inquit, locutus est eis? Nimirum eos in omnem terram abire et evangelium omni creaturæ prædicare jussit etc. Sublatus est in coelos, et id non adjuvantibus angelis, ut nonnulli hæretici somniant. Sed sicut Christus passus est et resurrexit pro nobis virtute propria, ita quoque gloriose ascendit ad coelos. Et quid rerum ibi agit? Sedet ad dexteram patris in majestate ejusdem verus deus et homo pro nobis interpellans, gratia autem sua et divina præsentia nobiscum futurus usque ad consummationem seculi. Ipsi autem exeuntes prædicabant in omnibus locis etc. Hic videmus, inquit, quam domino curæ fuerit, prædicari evangelium et id ipsum, ut supra dictum est, omni creaturæ. Hic autem nec vir nec fœmina, nec servus, nec pauper, nec dives, aut Græcus aut Judæus, Scythæ, Germanus aut barbarus excipitur. Quia non est personarum acceptio apud Deum, sed ex omni gente et terra recipit nos, si modo Christo quis hæreat et verbo ejus audiens fuerit. Et tanto bono nemo excluditur, nisi qui incredulus est. Jubet autem prædicari Evangelium et hoc unicum. Sicut enim unus est Deus et unus mediator Jesus Christus, ita nec est nec erit nisi una vera et perpetua religio et unicus verus Dei cultus, credere scilicet in Deum patrem et quem misit filium in nostra carne ad dexteram ejus sedentem Jesum dominum. Hunc laudemus cum patre et s. spiritu in sempiterna secula. Grati igitur simus domino de gloriosa sua ascensione et satagamus eum eo, quo ascendit, sequi. Recitavit et præscriptam orationem, qua orabamus, ut Christus ad dextram Dei patris sedens animos omnium nostrum eo, ubi ipse est, dirigere dignaretur, et interim nobis in terra suo numine propitius adesse velit.

Fama fertur Cæsaris veredarium, qui inter Romam et Mechliniam cursitare consuevit, non procul a Spira Vangionum et literarum fasciculis et nummis, nescio a quibus, exutum esse.

Cum dies duos intermissemus hodie rursus apud Atrebatensem sollicitatum ibamus. Verum is ante adventum nostrum ad patrem transierat. Itaque in ædibus Fuggeri, si forte exiret, præstolabamur. Sed ubi didicimus eum ibidem pransurum esse, re infecta hospitium petimus. Ne tamen omne oleum et operam perderemus, Wolradus cum cubiculario episcopi egit, ut apud præsulem suum nostri mentionem faceret, ro-

gans ut vel aliquo nos responso dignaretur, si forte antequam ipsi reverteremur episcopus ad mansionem suam veniret. Aderat et inauspicatus Malvenda. Wendelinus assumptis fratribus nostris tentare voluit, an possit illis facultas archiducem alloquendi obtingere, at nihil eventit.

A prandio hospitium Atrebatensis repetivimus, qui in horto cum nymphis deambulabat. Post pusillum temporis germanus ejus frater venit et ipse hortum intrans, statimque reversus, quem mox subsecutus est frater episcopus. Cujus conspectui cum nos exhiberemus ait: Certe adhuc nihil potui Cæsareæ majestati referre. Rogatus igitur est, ut quæsitâ tandem opportunitate nos commendatos habere velit. Quod se facturum recepit, sed fide (ut mihi videor) aulica. Et hæc hujus diei catastrophe erat.

Interim autem cognovimus ante dies complures causam Philippi comitis a Nassaw et nostram imperatori expositam esse. Sed hæc materia non facile resolvitur nisi patrono nummo, nec obularia hæc res est.

Frater Atrebatensis nomine fratrum nostrorum, quibuscum illi Wormatiæ noticia contigit, ut nostram causam apud Atrebatensem juvaret, per Eubulum rogatus est. Pollicitus et hic est montes aureos et nos omnes data dextera salutavit.

Eadem in nocte lixa quidam consularis Augustæ clandestine interemptus est. Dominus de Emmerseil Cæsaris aulam subsecutus, Brabantinus, Augustæ moritur.

Dido de Kniephusen quo Viglium in suo negotio vigilantiorer redderet, ipsi patera deaurata octuaginta florenorum libavit.

Ernestus dux renunciavit, se hactenus apud electorem in causa nostra nihil effecisse. Eadem ad Balthasarum Gultlingum perscripsi. Comes Antonius ab Eisenburg nondum in gratiam Cæsaris receptus est.

xv Maji in templo Minorum d. Leonardus ex evangelistis rursus de commodo et fructu ascensionis dominicæ disseruit et potissimum de articulo fidei nostræ: Ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei patris omnipotentis etc. Has autem duas sententias, «Dedit dona hominibus et præcepit eis ne ab Hierosolymis discederent, donec virtute induerentur ex alto» potissimum urgebat, indicans quam nihil boni ex nobis ipsis proveniat. Proferens exemplum Petri, qui adeo timidus fuerit, ut sub passione domini voce etiam mulierculæ territus Christum abnegaverit, et e contra, quantus fuerit hujus apostoli ardor in Christo, cum virtute ex alto indutus esset, ita ut non solum negationem suam deploraverit, sed

dominum constanti animo confessus sit, quin et crucifigi voluit, facie ad terram versa etc. Quodque absque his donis, quæ Christus hominibus dedit, nihil possemus, allegans psalmum 68, multa ejusmodi docta et christiana simplicitate docens. Nam præter (raro huic concioni interfuit) cives domus familias.

Cum Liborio nihil de equis remittendis agi potuit.

Eadem sollicitatio apud Atrebatensem intermissa, nec Nassavius ante meridiem conveniri potuit, eo quod archiepiscopus Coloniensis et ipse de resarcienda concordia filiorum Otthonis de Rethberg agerent. Otthoni autem duo supersunt filii, natu major Ottho et ipse nomine, natus matre e stirpe comitum de Seyn, et Joannes filius sororis dominorum Frisiorum, quos Juncker Omekens scæne Casparum Balthasarum et Simonem nominant.

Petrus a Denstad Joanni Friderico duci electori etc. hic ærumnarum suarum socius et a dapibus ferendis est.

Lanius, a quo nostri carnes esculentas comparabant, scripto ut vocabant supplicationis comites a Waldeck rogavit, ut pro fratre ipsius, nescio ob quod commissum apud consules Augustæ intercederent; negotium hoc Joanni Hako et Josto Colmachero injunctum est.

Dominus de Brabantzon heri ex Brabantia advenisse dicitur, qui intra quinque dies a Brusella Brabantiæ Augustam adequitasse creditur. Eadem Carolus a Stocken nobiscum pransus est.

O domine Jesu, quia immotus sermo veritatis tuæ permanet, quem discipulis tuis locutus es, dicens: «Sine me nihil potestis facere,» quare jam tum in monte oliveti cœlos ascensurus ex divina tua præsentia eos cavere jussisti, ne ab Hierosolymis discederent, antequam virtute ex alto induerentur, agnoscimus cogitationes nostras futes et evanidas, emarcida quoque et quæ stultitia humanæ vanitatis nobis somniamus opera. Te igitur, mitissime rex et salvator, jam post assumptam humanitatem deum verum et hominem ad dexteram Dei patris sedentem et regnantem deprecamur, ut spiritu tuo bono nobis adesse, qui nusquam non es, velis et corda nostra virtute ex alto induere, ut te digna et facere et cogitare valeamus, idque per tuammetipsam bonitatem, qui vivis et regnas cum Deo patre et sacro pneumate deus trinus est unus. Amen.

Quoniam vana spes ab homine, fortissime Christe Schilo tu nostram causam age.

Eadem inter tertiam et quartam pomeridianam horas Cæsar per



caduceatores suos electores, cardinales, archiepiscopos, principes et quicquid statuum imperii Augustæ aderat, in palatio ipsius adesse debere edixit. Adfuere eodem tempore et milites armati pro statione stantes. Fuit autem fama interimens illud interim publicitus ibidem legi debere. Sed videamus, postera quid portet lux.

Eubulus apud dominam nostram principem cœnavit, ubi principis consiliarii Georgius a Beumelburg, ll. doctor, Melchior a Horstal præfectus Calcidis, Georgius a Molsburg satrapas in Lyciluco seu mavis Vulffhagen Hassiæ quoque aderant. A cœna domina Christina in familiari colloquio Volrado retulit, dominam Catharinam socrum Eubuli et ipsam Christinam sanguine junctas esse, excidit autem modo quo in gradu. Certum est autem ex brandenburgensi domo hanc sanguinis earum junctionem esse.

Eadem plagiarius quidam advectus est, qui quosdam mercatores in ditione marchionis Alberti spoliatur, licet Norici cives in suo territorio id factum dicerent ac prædonem comprehendissent. Mature autem Cæsar interveniens hominem huc Augustam ad plectendum advehi jussit.

Domine Jesu, dum fabricatores impii fabricant interim, tu veni interea et nos serva ab intricato interim nosque verbo tuo pasce.

Catechismi frequentatio hęc per menses aliquot ob improbitatem vulgi Iberorum intermissa est.

Eadem a nonnullis nobis dictum est, Coloniensem se obtulisse, si comites Waldeciani ipsum affatu dignarentur, apud Cæsarem pro iis intercedere se velle.

Chunradus a Beumelburg eques sex millia peditum ad merenda stipendia jussu Cæsaris conduxit. Argentoratensis ager pedetentim ab Iberis peti dicitur.

xvj Maji ante quintam mercator quidam venit, volens gradarium meum emere, verum nihil inter nos conventum est.

Quod interim fit, fere præter ordinem fit. Igitur et heri nihil de interim illo factum est. Hęc autem accepimus a Carolo a Stockeim, heri apud electores et status imperii Cæsarem in præsentia fratris sui Ferdinandi, Romanorum, Hungariæ et Bohemiæ regis, per archiducem Maximilianum exposuisse, quomodo et quas ob causas et quod concordiæ gratia et paterno in patriam Germaniam affectu interim hoc conscribi jusserit, maxime vero cum id sic fieri unanimi consensu ab electoribus, principibus et statibus imperii petitum sit. Exigere igitur Cæsaream majestatem ab electoribus ecclesiasticis et secularibus principi-

bus et cæteris statibus imperii, ut eo animo hoc, quo Cæsar illud describi statuerit, suscipiant et juxta interim illius præscripta, quæ religionem concernunt, observent et ad hujus normam suos vivere procurent usque ad futurum concilium proxime indicandum. Electores habito consilio gratias imperatori pro sua clementia egerunt, laudantes amorem ipsius in communem patriam, et ut communibus ordinibus imperii hoc impartiretur rogarunt. Erit autem hujus historiæ actus alibi describendus.

Eadem Wolfgangus Musculus loco et tempore consueto concionatus est ex cap. 15 Joannis evangelistæ, nimirum de his verbis domini: «Manete in me et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere» etc. Duplex est, inquit, adunio sive conjunctio, una est, qua conglutinantur magistratus et subditi. Magistratus potest dicere subdito: Mane sub me; magister discipulo: Mane sub me; maritus ad uxorem, mane penes me vel apud me. Prior autem conglutinatio non est perpetua, quia discipulus non habet opus semper apud magistrum permanere, sed saltem donec literas addiderit. Item mechanicam addiscens artem non semper eodem opifici adhærere cogitur, sed potest et aliquando ipse artis suæ experimentum facere. Altera autem adunio spiritualis est et interna, et de hac Christus hic loquitur: Manete in me, et ego in vobis. Sic non loquitur papa, sed: Manete sub me etc. Et sic pontificiam tyrannidem nonnihil detegens ejusmodi sermone aliquamdiu immoratus est. Ajebat autem, præter hanc unicum nulla est concordia via, scilicet ut maneamus in Christo et ille in nobis. Et profecto supervacaneus est labor, ut in cæremoniis et adiaphoris conveniamus, causam justificationis interim floccipientes. Hæc, inquami, foret ad concordiam via, si ecclesiastæ idonei constituerentur, qui populum docerent, quomodo in Christo uniremur, et tum cogitaretur de hominibus ad id aptis, qui nos invicem reconciliarent etc. Quod Christus dixit: Manete in me, exhortationis sermo erat, quo illis in mentem veniret, quæ prius ad eos dixerat. Quod autem ait: Et ego in vobis, promissio erat. Allegavit vero Musculus aliquot Augustini locos de libero arbitrio ad hunc sensum facientes. Opportune autem palmites in vite manere, aliàs, si extra vitam luxuriarint, eos amputari, colligi et concremandos in ignem projici. In me, inquit, Christus, scilicet uno me, nam divisus non est,

adducens Paulum corripientem Corinthios, quod se alius Pauli, alius Cephæ, alius Apollinis discipuli gloriarentur esse. Nec interim negligens papistas et monachos diversi ordinis et similes, qui non in Christo sed sub suis patronis sunt. Item taxans ex nostris, qui verbo tantum et oretenus Christiani sunt. Nec enim sufficere ait, vitis succum attraxisse, sed oportere ut uvas et botros feramus. Sed dices forte: Qui scire possum, quando in Christo maneam? Respondit: Cum spiritus, qui est in homine, sciat, quid sit in homine, facile resciveris, num ex corde bene erga Christum affectus sis, an secus. Quia autem palmes non fert fructum extra vitem, manendum tibi in Christo est et hic rogandus est, ut juxta promissionem suam in te maneat. Et præterea multas salutare paræneses ex hoc textu d. Musculus produxit. Det Christus dominus, ut in eo permaneamus, et ipse in nobis manere velit, juxta ipsiusmet, qui ipsa est veritas, promissionem. In obsecrationibus inter cætera orare pro imperatore, rege, electoribus et omnibus magistratibus, ut deus illorum animos instillare dignaretur agnoscere quâ sit differentia inter magistratum turcicum et christianum, jussit.

Eadem quidam certe affirmabat intra duos menses comitia absoluta fore. Sed vanus hic extitit augur.

Postquam Atrebatensis a septima ad octavam a nobis expectatus esset, tandem hoc dedit responsi, se nondum nostri potuisse apud imperatorem mentionem facere. Rogatus ut vel adhuc faceret, faciam, ait, sed oportet vos expectare tempus ad id commodum. Aderat et Malvenda.

Marchio elector brandenburgensis et uxor ejus, comes Joannes a Waldeck et Schombergius protospatrius Cæsaris apud dominam principem Hassiæ pransi sunt. A prandio elector uxorem suam et landtgraviam in hortos Herbroti vernatum duxit, ubi dominam landtgraviam et ipsi allocuti sumus, eam ad hospitium ducentes.

Allata est fama, in Noviomarchia urbe Palatini electoris interdum claro jam sole templum facibus ardentibus undique completum, ita ut hominibus in foro deambulantibus proximo visum sit intus conflagrare, et nescio qui tumultus intra templum auditi sint. Omen haud dubie; quid autem portendat, novit dominus, qui propitius cuncta mala avertat. Relatu Adriani a Zertzen et Eichstatis episcopi.

Marchio elector brandenburgensis apud cæsaream majestatem se pro Waldecianis comitibus intercessurum pollicitus est.

Adrianus a Zertzen cum Coloniense Eubuli ergo egisse gloriaba-

tur, ut non solum ipsum excusatum habere, sed amicitiae quæque officia præstare illi vellet. Sed quis credidit, ait propheta, auditui nostro?

Eadem gradarium, quem a Viermunden emeram, pro 12 thaleris vendidi.

xvij Maji Leonardus in templo Minorum populo confessionem publicam primo prælegit, et deinde hæc verba ex cap. Actorum 1. «Cumque essent defixis in cælum oculis, eunte illo, ecce viri duo astiterunt illis, amicti vestibus albis, qui et dixerunt: Viri Galilæi, quid statis intuentes in cælum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, et quidem vidistis eum euntem in cælum» etc., recitavit. His lectis ait: Scitis, quid in enarratione historiæ ascensionis dominicæ heri adhuc ad dicendum reliquum fuerit, nimirum de hoc, quod dominus noster Jesus Christus sedeat ad dexteram Dei patris. Sedet, inquit, non ut papa Romæ omnia præcipere otiosus, sed sedet illic verus deus et homo, regnans cum patre æquali potentia imperitans celestibus, exaltatus super Cherubim et Seraphim, dominationis et potestatis, rex quoque terrarum et immundorum inferiorum spirituum. Administrat autem regnum suum dupliciter. Devastat omnes impios, nec est quod quisquam ei resistere valeat, etiamsi undique flammis suis et undis tyranni sæviant. Nam quo durius premitur, hoc latius prædicatur evangelium et evulgatur. Allegans hic orationem d. Petri in conventu Hierosolymitani senatus, Actorum 5. et detestans enorme facinus concilii Constantiensis in Joannem Huss, qui prophetaverat post centum annos Deo et sibi hujus maleficii rationem reddendam. Regnat quoque Christus in suis, eos in misericordia corripiens, confortans et in periculis sustentans. Item, ex scripturis testimonia adduxit, quod in symbolo dicitur, ascendentem ad cælos, sedentem ad dexteram patris, et quod Actorum 7 Stephanus protomartyr ait: Ecce, video cælos apertos et filium hominis stantem a dextris Dei. Item de utraque dixit sententia, quam dominus Jesus iudex vivorum et mortuorum laturus esset super hircos et hædos, impios et electos. Quoniam vero ob temporis penuriam ultra progredi non poterat, id quod prælegerat in crastinum tractandum reliquit. Deinde collecta, dominica oratione et benedictione clausit concionem et ecclesiam dimisit.

Eadem Vulphilæ Brabantino disputata colloquii Ratisbonæ per Bucerum descripta ad Nellium perferenda dedimus et Catharinæ Schildern precum librum transmisimus, et Hermanno injunximus, ut familiam amiciri curaret. Eadem balneis usi sumus.

xix Maji, quæ erat d. Potentiæ dies, virginis illius sanctissimæ, non ejus, quæ Interim illud sua potentia pavidis Christi oviculis obtrudit, quæque cum suis asseclis arrogantia et philantia fere sola regnat, cui se principes pontificii et nostri fere omnes nunc se addixerunt, quam et venerantur, admirantur et adorant, existimantes, cum Christus dixerit: Regnum meum non est de hoc mundo, illis conducere, si hoc rege a tergo relicto potentiam illam amplectantur. Sit autem summo patri cum dilecto filio suo et spiritu sancto laus, quia non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel. Sed rex ille cœlestium, terrestrium et inferorum, Jesus Christus veniens veniet judicare atheos hos et seculum per ignem. Ille nobis ne in conspectu ipsius, cum angelis suis apparuerit, pudefiamus, donet.

Eadem d. Joannes Henricus ex cap. 12 ad Romanos: »Proinde patrantes honesta in conspectu omnium hominum, si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viventes, non vosmet ipsos ulciscentes« etc., usque ad finem capitis enarravit. Hic rursus adduxit exemplum patrisfamilias, qui liberis suis vetuit, ne quem lædant, aut vel percutientem ipsos repercutiant, sed si quis illis injuriam inferat, id apud patrem familias quererentur. Is pro paterno affectu multo melius injuriam filiis illatam depulsabit, quam pueri, qui molles adhuc ætate sunt etc. Item etsi facies benigni patris filiis in ipsos austera esse videatur, et verberaret etiam ob commissum aliquod, tamen semper æqua patris erga filios mens est. Demonstravit quoque per scripturas, quam serio Deus vindictam sui prohibuerit. Christianus omnem injuriam sibi illatam patienter ferat; Deus qui sibi reservat vindictam, novit ultionis tempus. Nos autem inimicis beneficiamus et pro eis oremus. Dandus est enim locus iræ Dei, quod et oratio dominica nos docet. Oramus enim quotidie: »Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.« Monuit autem quorum intersit, vindicare et quatenus etc.

Allium in crusta concisum et per noctem vino sublimato maceratum et concisim deglubatum contra calculi cruciatus facit.

Dum inter confabulandum in convivio de iniquitate et avaritia jurisperitorum et dorophagorum illorum aulicorum, qui non servata regula οὔτε πάντα οὔτε παντί οὔτε παρὰ πάντων, avari marsupium habent ab omnibus æque dona rapientes, quidam ejusmodi fabulam narravit. Dum duo nec ii parvis de rebus judicio contenderent, prior jurisconsulto, a quo consilium petierat, bovem justæ magnitudinis donavit,

putans hoc munere jurisperitum sibi totum devinxisse, ac deinde cum re ipsa suo malo experiretur, eundem et ab adversario suo in consilium adhibitum esse, exostulans cum jurisperito ait: Non potui in hac causa meum bovem mugientem audire. Vera dicis, respondit jurisperitus, nam caput habebat tunica holoserica ex martium pellibus obducta obvolutum, indicans magis ipsum ad preciositatem vestis, quam ad prioris munus aut jus animum vertisse.

Eadem a consiliariis imperialibus facta est mentio Wulffilæ ex omni parte Wulffii quid non esculentorum gratia lurcones non agent, ex hoc patuit, quod capos et perdices e Mechlinia Brabantiae Augustam apportare curarunt. Florus ad hunc usque diem miserrime et calculo et ilienteria laborat.

Eadem Carolus a Stockem et ego doctorem Marquardum adivimus, cujus consilium erat ad dies aliquot moram nectere, deinde liberius pro dimissione instare. Quod autem de dimissione apud Marquardum mentionem feceramus, hæc causa suberat, quod nobis persuasum erat, nonnullis qui una nobiscum Augustam citati fuerant, domum remeandi certum temporis spatium datum, quod ipsum tamen postea non veri dissimile fuisse compertum est.

Atrebatensem allocuti sumus, qui pro more suo respondit, nihil adhuc Cæsari super nostro negotio relatum esse, nec illum latere, causam Philippi comitis a Nassau et nostram fere eandem esse. Rogatus igitur (quoniam ad imperatoris palatium accessurus jam nobis videretur), nostri mentionem habere vellet. Respondit: Profecto tot sunt publica negotia, ut hactenus de privatis agi nihil potuerit, et intra duos dies ad imperatorem accessus mihi non concedetur. Sed tamen faciam, faciam imperator de his informetur. Carolus igitur et Eubulus priorem petitionem repetunt, cum significatione, quod maximo regionis et rerum nostrarum dispendio istic tempus tereremus. Quamobrem d. suæ consilium rogaremus, num ipsi consultum videretur a cæsarea majestate cum gratia dimissionem mensium aliquot petere, reversuri ut primum id jussi fuerimus, at Atrebatensis ait: Certe Cæsar hoc non patietur.

Fratres nostri interim Maximilianum ducem adiere, qui pro humanitate sua eos audiens clementer omnia promisit, forte Titi imperatoris dictum, neminem oportere a facie principis tristem abire, mente recolens.

Eubulus ædes Nicolai Maier petit, ejus consilium auditorus. Voluisset quidem hic omnia nobis ex votis cedere; sed qui lupum auribus

tenet, credo cantionum amatoriarum non meminit. De scripto tamen supplicationis inter nos conventum est. Volebamus et palatium archiducis adire, verum ubi fratres illic fuisse cognovimus, supervacaneum nobis visum est.

Georgius a Molsburg in dominico Augustano nos reperiens nonnulla de responsis nostram principem concernentibus detexit, sed omnia fere amphibolica erant.

Eadem Franciscus Monasteriensis præsul ad Joannem et Eubulum comites literas dedit, certior fieri cupiens de statu rerum nostrarum, et quam conditionem nostram doleret, significans; interim se offerens, si qua via ipse nos juvare posset. Otto comes a Rethberg nobiscum pransus est.

A prandio Joannes frater noster et Adrianus a Zertzen electorem Mauritium adeunt, rogantes ut nos apud cæsaream majestatem commendatos habere vellet, et intercedere, ut ira Cæsaris in nos mitigaretur, sicut ipse Mauritius antea se facturum receperat, cum idem a nobis peteretur. Is, ut hi duo nobis retulerunt, se facilem præbuit. Verum post longas verborum ambages jussit, ut omne negotium chartis committeremus. Nam hodie ad vespertinas preces, vel crastino saltem una cum archiduce Austriæ et electore Brandenburgense nostri causa apud Cæsarem institurum.

In vigilia pentecostes in dominico canonici more suo reboarunt, sed vix viginti homines frugi eorum festivitates frequentarunt. Eadem in porticu dominici vidimus depictum simulacrum ambitionis. Erat autem fere ejusmodi pictura. Virgo buccas inflatas et rubeas habens, veste violacei coloris induta, capite nuda, cæsarie flava et crispante in cervicem retorta, oculis undique circumspicientibus et ipsis limis, subter arborem sedens, tibias et pedetenus nuda, super caput scriptum habebat gloriam et honorem, e regione autem sui verbum Ambio. Erat autem mitra episcopalis a longe posita. Videbatur autem hoc simulacrum id denotare hujus temporis ut vocant spirituales nihil ambire præter gloriam et honorem mundi et episcopales opes, non opera.

Eadem conjugii hospitis Magistri Flori Marcellinos sex dedimus, quo diligentius ejus curam haberet. Nam et puer quoque Liborii morbum nescio quem inciderat.

Eadem principes fere omnes cæsarianis et regiis vesperis interfuere, magis adulationis quam devotionis ergo.

Eadem supplicatio (ut vocant) nostra concilio imperiali oblata est.

Inter quartam et quintam horas pomeridianas Henselinus Venator venit ad fratres nostros a noverca missus. Nobis quoque literas dominæ socrus uxoris et doctoris Melchioris ab Ossa commendatitias pro Eubulo ad doctorem Joannem Strombergium et doctorem Udalricum Mord-eisen, consiliarios Mauritiæ ducis, et ad Philippum Selden vicecancellarium Cæsaris nec non Nicolaum a Konritz cæsareum commissarium adferens. Eadem Joannes a Reichenbach medicinæ doctor nobiscum cœnavit.

Redditæ nobis eadem sunt literæ spectatissimi equitis Balthasaris a Guldlingen. Faxit dominus utriusque votum foelicem sortiatur effectum.

Ambrosius Amman, quæ de Interim oboleverat, nobiscum communicavit. Volkmarshenses et Canstein egregie comitum absentia abuti dicuntur.

Eadem Madrutius Tridentinus episcopus et cardinalis Augustæ obiit. Carolum a Stockhem de seriis cum eo acturi ad cœnam vocavimus, sed nescio qua molestia remoratus est.

Eadem cognovimus consules Augustanos fratrum et nostri rogatu lanionis nostri fratrem in gratiam recepisse.

Veni creator spiritus, mentes tuorum visita, imple superna gratia, quæ tu creasti pectora. Pene enim in omnibus nobis ignis amoris tui extinctus est. Tu e favillis flammam excita, quo corda nostra calefacta, ea quæ nobis juxta promissum domini et salvatoris nostri Jesu Christi suggeris, medullitis nos afficiant et ad animæ receptaculum fide pura ea transmittamus, teque rectore omnia nostra ad Dei gloriam, ipsius audiente filio, dirigamus, qui vivis et regnas cum eodem patre et filio in trinitate perfecta Deus trinus et unus. Amen.

xx Maji, quæ erat ipsa dies pentecostes, sub sextam horam ante meridiem ad d. Mauritium piæ aliquot cantiones decantatæ sunt. Deinde lector ex cap. 15 Matthæi aliquot paragraphos legit ac cæteras monitiones pro solito fecit. Post hæc d. Musculus, invocato cœlestis numinis præsidio, historiam diei festi hujus ex cap. 2 Actorum legit usque ad hanc sententiam: >Et loquebantur variis linguis, prout spiritus dabat loqui eis< etc. Aiebat autem oportere animadvertere, qua animi intentione beatus Lucas evangelista et librum suum priorem et hunc, cui Acta apostolorum titulum fecit, scripserit. Videtur autem, inquit, d. Lucæ hoc fuisse institutum, ut sicut in priore de humanitate, passione et resurrectione Christi, similiter et de gestis ac miraculis domini sermocinatus est, ita in hoc secundo scribere voluit qualis regni Christi successus et status post ejus resurrectionem et ascensionem fuerit, et hic evangelistæ ordo observandus est. Simili modo



quoque historiam missi spiritus sancti literis mandavit. Liquere autem ait ex hac donatione spiritus sancti, quam firmus et ex omni parte sibi constans sit dominus noster Jesus Christus in promissionibus suis, utique qui jam ad dextram Dei patris sedens tamen promissum toties paracletum mittere non neglexerit, allegans multos locos ex Evangelistis de promisso S. spiritu. Item quanta vanitas sit promissionum humanarum et quam proclivis beneficiorum oblivio, adducens exemplum pincernæ regis Pharaonis erga Joseph libro genes. Cap. 41. Item quod spiritus sanctus in divinitate æqualis cum patre et filio sit, hic quoque nonnullorum hæreticorum errorem corripiens. Item quod interdum donum spiritus sancti pro ipso spiritu accipiatur. Item quid sibi velit evangelista, cum ait: Et factus est repente sonus sicut venti vehementis; et quam hic evangelicus sonus passim orbem terrarum commoverit, potissimum in Germania, in qua his temporibus pessimis Evangelium prædicari cœpit. Item quod spiritus hic non Petro soli datus sit, sed quod, sicut Evangelista indicat, super omnes reliquos linguæ dispartitæ visæ sunt. Præterea multa observabilia Musculus, nucleum e cortice scripturarum eruens, docuit. Verum ob temporis penuriam et numerum copiosiorum, qui ad sacram synaxin accessuri erant, sermo defalcandus erat. A concione vero d. Musculus pulcherrimam et christiano doctore dignam ad altare coram communicandis paraclesin in monendo habuit. Multa de hujus sacrosancti mysterii et cœnæ dominicæ institutione de ejus usu ac ad hanc percipiendam cum fructu præparatione disserens. Inquies inter cætera: Avocamus et interdiciamus sibi cavere ab hac mensa omnes, quotquot d. Paulus ab hac arceri jussit, nimirum scortatores, adulteros, ebriosos, molles, avaros etc. Qui ejusmodi sunt nec eorum vitiorum metancœa ducuntur, procul hinc arcet ecclesia et apostolus, modo in hoc proposito permanere secum statuerit. Sin autem male actæ vitæ ex corde pœniteat, veniam a Deo postulent, cum fiducia huc accedant. Et posteaquam adhortationem finierat, alta voce exclamavit: Accedat huc omnis, cujuscunque cor dominus ad hoc vocat, quod Deus pater nobis per Jesum Christum filium suum bene fortunet. Accedente igitur populo Musculus panem, symmistæ ipsius calicem porrigunt. Qui manum porrigebat e populo, huic eucharistia in manum dabatur, qui reverenter patulo ore accedebat, huic in os panem minister immisit. Interea ecclesia psalmos canebat et passionem Christi in rhythmos digestam. Post communionem rursus Musculus habita oratione Christo domino pro acceptis beneficiis gratias egit et cum benedictione eccle-

siam dimisit. Erat autem templum refertissimam utriusque sexus hominibus, ita ut nihil ponderis vel Interim illud nec papisticæ minæ hic habere videantur. Deus suos et adaugeat et confirmet.

Nota autem hic morem esse, ut, quod superest de pane et vino, reservetur et, ut dicitur, ædituis in usus domesticos cedit, non sine maximo simplicium offendiculo. Possunt tamen hujus (ut ipsis videtur) rationem reddere concionatores. Nullæ huic negotio vestes sacræ adhibentur, nec cerei ardentes vel quippiam consuetarum cærimoniarum, sed populus Dei in silentio et spe et lætitia cordis omnia peragebat. Romanensis autem populus, imperator, rex, purpurati, crucibus albis, nigris, rubeis, viridibus signati patres cum episcopis, principibus et proceribus auro phaleratis asturconibus et mulis vecti cum terribili taratantara tubarum et tympanarum strepitu manu armata non exigua stipati dominicum Augustæ petunt, ubi archiepiscopus Coloniensis officium (ut vocant) missæ celebrat, ibi concentus et modulationes variæ et clamor it cœlum; tumultuantium voces multæ, spiritus perparum.

Reverendus (sed suis tantum) dominus Michael Moguntinensis suffraganeus inter alia suæ prædicationis præclara dicta Deo gratias agi jubet, quod eo res devenissent, ut rursus pro veteri ecclesiæ romanæ orthodoxæ et catholicæ ritu sacramentum populo sub una specie præbere liceat. Sed sit suus scrophæ foetus. Christus ipse suam defendat gloriam.

Domine Jesu, dominator domine et rex regum, qui nobis de bonitate tua magna hodie memoriam præstitæ tuæ promissionis de mittendo spiritu tuo paracleto benigniter innovasti, te humiliter deprecamur, ut qui eundem tuum spiritum apostolis tuis unanimiter congregatis juxta veritatem tuam misisti, da et nobis in hoc spiritu unum et eadem, et sicut ecclesia tua jam multo tempore ad te clamat, recta sapere. Da igne amoris ejus corda nostra accendantur, ne in nobis vel fraterna charitas refrigescat, vel fides deficiat. Dat et in prosperis et adversis hujus paracleti suggestionem experiri et de ejus consolatione gaudere. Is spiritus tuus bonus nos in omnem veritatem, sicut promisisti, o veracissime Jesu, deducat regatque, ut boni et recti corde efficiamur, et ne a te declinantes ad avia et crepundia mundi hujus ne a te cum impiis judicemur. Sed sit nobis in te pax super Israel, pax cordis, pax conscientiæ, pax temporis. Hoc, inquam, benigniter præstare digneris tu, Jesu Christe, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra, quique venturus es judicare vivos et mortuos et seculum per ignem.

Hac die primo hic præstantissimum virum d. Jacobum Sturm, proconsulem Argentoratensem vidimus. Verum is nostri oblitus erat, nec dum temporis vel ipsi vel nobis vacabat ipsum inter sacra molestare.

Pransus est nobiscum Carolus a Stockhem. A prandio hortos Jacobi Adler et Viti Wittich adonideis hortis non multo dissimiles vidimus.

Ad tertiam pomeridianum d. Musculus, quod reliquum erat concionis, absolvit. Sed (proh dolor) nos toti non aderamus. Urgebat autem hoc de unanimiter congregatis dicens: Non omnes, qui in aliqua re consentiunt et ejusdem animi sunt, recipiunt spiritum sanctum. Nam et pharisæi et pontifices potiorque pars populi Judaici unanimes erant et multi alii, quibus forte idem animus in sua causa erat, in urbe Hierusalem; verum ad exiguum illum gregem in Christo unanimiter congregatum venit spiritus sanctus. Non enim omnis unio Deo placet, sed ea tantum, quæ consistit et est in unanimitate in Christo Jesu, nec quicquam facit ad hoc alias somniare uniones.

Eadem duci Mauritio oblata est nostro nomine supplicatio. Verum is ait præstare ut archiduci offeratur scriptum, qui se facilem præbere velit. Mauritii operam nobis non defuturam. Sed manet pervulgata sententia: Vana est salus ab homine. Tu nostri recordare, altissime!

Nota de discordia Milchlingii et Lindii. Liborius ægrotat, alter morsus alit, Deus novit eventum.

Eadem venit secretarius Monasteriensis afferens eas, quæ interceptæ videbantur, literas, quæ incuria scribarum jam fere septimanas quinque suppressæ fuerant. Injunxi ergo secretario, ut præsuli rescriberet, mihi non videri ex re fore, ut in hoc negotio per me quicquam ageretur, idque potissimum duabus de causis, una quod tempus diutinum intercessisset et me lateat, num interea temporis huc aliud per scriptum sit in causa hac, an secus; altera quod sciret nos nondum in gratiam ab imperatore receptos. Sin vero iterato episcopus aliud jubeat, me ad omnia paratum.

Sub noctem rumor subortus est in ædibus landtgravix, Joannem fratrem vulneratum esse, sed mox Joannem comitem a Rethberg a pedibus nonnullus et brachio et manu vulneratum, compertum est.

Exigitur nummus ab imperio, et dicitur ab aliquibus contra interim illud protestatum esse.

xxj in templo Mauritii d. Joannes Henricus concionatus est, repetens ea, quæ ex cap. xij epistolæ ad Romanos docuerat, ac prælegit

initium capituli 13 ejusdem epistolæ scilicet: Omnis anima potestatibus superioribus sit subdita. «Non est enim potestas, nisi a Deo, quæ vero sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt» etc. Hic primo quam late se præceptum illud extendat, et quam nemo hic excipiatur, sive propheta, sive episcopus, sive Evangelista etc., imo nec sacerdos nec monachus ex d. Chrysostomo et aliis classicis sacræ theologiæ doctoribus edocuit. Item quæ causa apostolorum ad hæc tam serio agenda adegerit. Nimirum quod exorti essent, qui christiana libertate ad libertatem carnis abuti conabantur. Diserte et hic, quæ vera sit christiana libertas ostendit, scilicet nos meminisse per Christum ab elementis mundi hujus, a Sathana, mundo et inferis liberatos, et quod in Christo manentibus peccata nocitura non sint, ac agnoscere, nos habere Christum regem liberatorem, et eundem esse dominum cœlestium, terrestrium et inferorum, sedentem ad dexteram patris. Hanc autem esse libertatem spiritus, et igitur maxime ob Christum vel quod Christiani sumus, superioribus nos obedire debere etc. Locutus est et de iis, qui se ipsos immunes a jussibus sublimium potestatum fecerunt, scilicet papa cum suis episcopis et quicquid squamarum est hujus purpurei draconis, magno reipublicæ christianæ scandalo. Et postremo quatenus magistratui sit obediendum. In omnibus videlicet eis esse præstandam obedientiam, præter in his, quæ contra honorem Christi præcipiunt, id ipsum multis scripturarum testimoniis confirmans. Docuit et quisnam sit, qui habet transferre regna et auferre spiritus principum; item ut quæ Dei Deo, quæ cæsaris cæsari daremus juxta præscriptum domini nostri Jesu Christi, cui cum patre et s. spiritu omnis sit honos et gloria.

A concione litteras d. Melchioris ab Ossa, d. Udalrico Mordeisen ipsimet detulimus, rogantes ut et eadem doctori Joanni Strombergio legendas daret. Udalricus se nobis humanum exhibuit; contulimus cum eo de nonnullis, ea tamen lege discessum est, ut ambo doctores die opportuno nos inviserent. Hoc tamen expiscati sumus, irritam fore intercessionem ducis sui Mauritii, qui novem septimanas in propria sua causa responsum nancisci non potuerit, vere ipsi ut rite Mauritio dici posset: Medice, te ipsum cura.

Eadem per dominicum transeuntes Michaellem illum de confirmatione papistica sua sermocinantem et audivimus et vidimus. Rari autem auditores aderant. Inde Liborium invisimus, qui, Deo gratiæ, melius habere cœpit.

Fratres nostri, Wendelinus et Lindius a Volckmariensibus illis

in absentia ipsorum illatas injurias comiti a Nassaw conquerulatum abiere.

Florus librum, in quo herbarum figuræ suis coloribus ad vivum depictæ erant et alium in re medica revendidit.

Carolus a Stockem quia sæpius invitavimus ne morosis murmuribus ansa daretur, pro expensis ipsius œconomio Josto Colbachero florenum aureum dedimus.

Eadem Milchlingum ad duces Ernestum pro literis etc. misimus, sed frustra. Eadem famulus licentiati Nicolai Maier scriptum supplicationis adferens Atrebatensi nostri nomine offerendum. Famulo batzi sex dati sunt.

Maxima Dei patris ira et nostra (proh dolor) impœnitentia effectus est, ut videre esset hoc ipso die, cardinalem Augustanum a Truckses sacramentum (ut ipsi loquuntur) confirmationis administrare, et tanta sanctitas per se id facere dignata est, cum vix unum jota sacræ scripturæ pro suggestu fari audeat. Curatum autem ab eo est, ut si forte Augustani huic vesaniæ non statim subscriberent, rustici Bavari cum suis liberis adforent, quod et factum est. Ferebatur quoque nonnullos ære esse conductos, ut hanc cærimoniam susciperent. Reperti sunt et inter cives Augustanos, qui ob hoc dominicum frequentarent signum confirmationis suæ perfidiæ in Christum a cardinale excipientes.

A prandio vero Michael ille fictitius Moguntiae præsul hujus fabulæ coryphæum egit.

Domine, usque quo, num in perpetuum ira tua desæviet? Exurge et judica terram! Nos quidem confusio decet, impii autem, o domine, nomen tuum blasphemabunt, dicentes: Non est illis spes in Deo ipsorum. Omnibus per Christum ignosce et nominis tui gloriam assere. Id te rogamus ob Christum dominum nostrum. Amen.

Constantienses cæteris urbibus animo constantiore <sup>1</sup> interim illud esse dicuntur. Deus illis constantiam fidei se dignam impartiri dignetur.

xxij Maji Joannes frater et ego concioni sacræ Wolfgangi Musculi interfueramus, qui ex cap. 15 Joannis hæc verba: «Si quis in me non manserit, ejectus est foras sicut palmes et exaruit, et colligant eos et in ignem conjiciunt et ardent» etc. explanavit, docens quomodo Christus prioribus verbis apostolos amice adhortatus sit in similitudine vitis, et ut in ipso manerent ac fructum in eo ferrent, ac quæ emolumenta

\*

1 contra interim?

ipsi ex hoc consecuturi essent. Quod autem addiderit de putatione, abjectione et colligatione infrugiferi palmitis igne comburendi, comminationem esse cum justa antithesi. Duobus autem modis nos in Christo non manere dixit; primo cum verbum ejus audimus, sed corde Christo non adhæremus; secundo dum verbum quidem ejus arripimus, id ipsum in corde nobis quoque dulcescit, sed tamen per hujus mundi illecebras vel tentationes repedamus retro, sicut et Christus dominus in parabola seminantis de semine cadente inter spinas monuit etc. Dominus autem quatuor hic comminatus est, scilicet foras ejicietur, arescet, colligetur et projicietur in ignem. Nam palmitis qui a vite rescinditur quis usus est? Nullum enim odorem habet, nec sapit, nec aptus est ad opus fabri lignarii, nec foco calefaciendo prodest. Dicit quoque arescet, quod quantumcunque speciosa videantur opera, si in Christo non permanserimus, tandem exarescentes et exiccati reddemur. Sed impiorum hoc sit ingenium, ut parvifaciant esse in Christo, quin et mundus id non admodum appetit. Mallent enim nonnulli, si ex ipsorum voto cederet, suis voluptatibus in hoc mundo frui et cælum Christo in perpetuum relinquere. Quo autem agnoscant, si in vite manere nolint, id eos non impune laturos, Christus addit, colligentur, hoc est, cum nolint in Christo permanere, verbo ligantur et tanquam aridi palmitis in ignem conjiciuntur, atque hæc demum vera est excommunicatio. Adduxit et ex Ezechiele locum de parabola vitis et de inutilitate ejusdem arescentis etc. cap. 17. Et projicientur in ignem, hic erit postremus hujus convivii missus, si in vite non permanserint, arescentes postea et sibi relictis projicientur in ignem, ignem, inquam, æternum, ubi erit fletus et stridor dentium et nulla redemptio. Hic diserte de hæreticis aliquot, aliis infernum negantibus, aliis hunc ignem extenuantibus, quibusdam etiam neminem in gehennam conjicii affirmantibus, docuit, atque horum argumenta proposuit moxque confutationem eorum ex libris d. Aurelii Augustini adduxit, hos ultimos misericordes appellari ait. Nos autem verbo domini fidem habere jussit, certi quod electi in vitam æternam, maledicti et impii in ignem æternum post hanc vitam concessuri sint: consulens igitur ut memores essemus verborum Christi et Deum oraremus ut in vera vite palmitis fructum ferentes efficeremur, ne harum minarum participes fieremus.

Comes a Nassaw et Adrianus a Zertzen rogatu fratrum nostrorum, quæ mater eorum huc de vi et injuriis Volckmariensium per literas con-  
 quæta erat, archiepiscopo Coloniensi obtulerunt. Verum episcopus ipsi

eum accedere volentibus obviam factus ait: Quid? num vos querelas adfertis? Jam animo statueram ipse ego vobis scripta exhibere, quantis injuriis subditi nostri a comitibus afficiantur; et quod me male habet, uxor præterea comitis Wolradi contumacius ad meos consiliarios perscripsit. Sed modo, inquit, de his latius dicere non vacat, posthac omnia vobis legenda exhibebo. Nam erat nescio quo abiturus. Jussit igitur comes a Nassau per Lindium comites a Waldeck ad prandium ipsius venire, audituri, quid responsi a Coloniense acceperint, quod et factum est. Irritatus est autem Adrianus a Zertzen ob contemptum, ut ipse ajebat, uxoris filii sui Hermanni.

Comes Wilhelmus a Nassau jam agit ætatis suæ annum sexagesimum secundum et fuit annorum decem, dum in aulam Ludovici Palatini electoris deveniret.

Centum libras cupri sex thaleris venire eadem a mercatoribus ejus metalli accepimus. Peditatus cæsarianus civitati Ulmæ magna incommoda inferre dicitur. Civitates Ulma et Augusta cum cardinale Augustano in hoc convenerunt, ut circumforaneos et passim cursitantes milites agricoliarum sanguinem exuentes, ni principi alicui addicti sint stipendia meritori, et in suis dominiis expoliari et cædi ubique admittant.

Atrebatensi scriptum supplicationis, prout statueramus, nondum obiatum est. Comes Samuel in rus abierat, quare nobiscum apud comitem ab Anaxone non est pransus.

Eadem Iberos pro eorum more pilæ lusu se exercitare vidimus. Sunt autem pilæ eorum diversæ a nostris, nam globi coriacei sunt justæ magnitudinis tantum per fistulam vento inflato tumentes.

Ferdinandus rex statibus imperii nonnulla in domo senatoria proposuit, scilicet, quia in terminis et confinibus Turcarum regnorum suorum ut in Vienna, Pannoniæ et aliis locis ad tuendam nationem germanicam et Turcas a christiano orbe ex hac parte arcendos munitiones extrui magno suorum dispendio, quorum sumptus quatuor miriades auri excederent, curaverit. Item hæreditaria regna et ducatus ipsius adeo continuis Turcarum excursibus et enunciationibus exagitari, ut vix unquam illis respirare detur. Ad hæc inducias quinquennales inter Turcicum imperatorem et Cæsarem ac Ferdinandum intercessisse, cujus temporis tres jam pene anni elapsi sint. Vix igitur in reliquis duobus annis apparatus belli recuperari posse. Rogare igitur majestatem suam quo ad resarcienda hæc incommoda et præveniendam Turcarum truculentiam status imperii summa aliqua pecuniaria, quæ tamen in nervos belli fa-

cere aliquid possit, illi subvenire velint. Præterea quæ ad hunc usque diem inferior Pannonia a Turcis perpessa sit, ea esse hujusmodi, ut nisi a natione germanica suppetias habeat, posthac sustineri nequeant. Sed Austrios ipsos crastino causam suam apud status imperii exposituros.

Interim illud ab archiepiscopo Moguntino, videlicet cancellario per Germaniam, evulgandum dicitur.

Dux Mauritius elector in domo Marquardi a Stein præpositi Augustani, Moguntini et Bambergensis hospitatur.

Sub concionem fiebat delectus peditum, qui quo propius templo Mauriti accedebant (istuc enim illis prætereundum erat volentibus per forum Cæsaris palatium adire), eo fortius tympanas incutiebant.

A concione volebamus Atrebatensem alloqui, verum ostiarius eum heri sub nonam noctis vocatum, ut hoc mane tempestivius Cæsarem adiret, aiebat, jamque ipsum abiisse. Post hoc palatium archiducis petitum. Illuc autem adhuc silebant omnia, et archidux plumis hærebat. Statuimus dein Viglium Zuichenum invisere, ad cujus habitaculum cum perveniremus, doctor Fisch cum ipso super negotiis suis colloquebatur. Hujus igitur abitum præstolantes ac confestim, ubi hic abiret, Viglium in hibernaculo suo convenimus, illi exponentes quæ ad causam nostram facerent, qui omnia quidem patienter audivit. Verum ait causam nostram in concilio quidem imperiali tractatam esse et eo deventum, ut Atrebatensis de his cæsareæ majestati relationem facere sit jussus. Id autem hactenus ab Atrebatense ob negocia imperii Hispanica, et quod de protectione archiducis jam solliciti sint, et nescio quas negociorum moles procurarent, fieri non potuisse. Facta est et a nobis mentio, num possemus ad tempus aliquod cum gratia dimitti, sed id omnino non fore respondit. Dixit quoque archiducem sibi serio injunxisse, quo ipse Viglius apud Atrebatensem instaret, ut Cæsari causa nostra referretur, ac Atrebatensem ipsi Zuicheno schedulam ostendisse in qua multæ privatæ causæ signatæ essent cæsareæ majestati referendæ, nondum autem opportunitatem obtigisse, ut de his cum Cæsare agi posset. Nam, ait Viglius, Cæsar non est ita otiosus, ut stet et audiât privatarum rerum relationem. Rogatus igitur, ut nobis suum consilium, qui posthæc res aggrendiendæ essent, impartiretur, dixit se nihil certi scire, omnia enim se fecisse, consulere autem ut exigui temporis mora hic non fatigaremur. Spem esse intra paucos dies causam nostram peragi. Se vero certo scire, Atrebatensem hoc meridiano tempore nihil referre potuisse. Rogavimus inde, ut ipse apud Atrebatensem pro nobis agere dignaretur.



Respondit Atrebatensem ipsi hodie per puerum demandasse, quod modo non vacet eum audire. Opportune autem pueri duo alter alterum cursu prævenire contententes Viglium ad missam Atrebatensis vocarunt. Itaque petitionem nostram iteravimus.

Wendelinus apud doctorem Hasen fuit. Sed vox est, et præterea nihil.

Eadem Carolus a Stockem cum comitibus a Waldeck ad comitem Wilhelmum a Nassau pransum abiit.

Annus quadragessimus supra sesquimillesimum agitur, quod primum inter Cattorum principes et comites a Nassau super comitatu Catlineliboco agi cœptum est.

Abbas a Kemptem ait, se plus mille rusticorum habere, qui unquam panibus ex siligine vel tritico usi sint, et habuit non unum hujus rei fide dignum testem, cum nobis cæteris vix credibile videretur. Adjectum vero ipse inter hos nonnullos esse, quorum annui proventus ad nongentos aut mille aureos extenderentur.

Eadem dux Ernestus petitas litteras nobis misit.

Joachimus Brandenburgensis elector Michaellem illum personatum Sidoniensem episcopum multorum mendaciorum et quod zonam agiliter transilierit convicit, nec archiepiscopus Coloniensis Michaeli præsidio in omnibus esse voluit.

Coloniensis de scripto uxoreculæ apud Anaxonem conquestus est.

Eadem Christophorus dux a Wirtenberg et comes Montispelliacardi quadraginta equitibus concomitatus huc advenisse dicebatur.

Stephanus medicus ex Breda cum ab Adriano a Zertzen interrogaretur, cujusnam fidei esset, respondit: Cras tibi respondebo, notans interrogantem in re minus seria jocare.

xxij Maji in templo minorum d. Leonardus ex cap. Joannis 3: >Hæc est autem condemnatio, quod lux venit in mundum et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui mala agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ut conspicua fiant facta ipsius, quod per Deum sint facta< etc., populo concionatus est, repetens primo, quæ heri docuerat, nimirum quod credens non judicetur, incredulus autem judicatus sit. Quam autem hæc sententia Christi mundo non arrideat, ex hoc patere, quod etiam tenebras amplecti malint. Nam Judæi Joannem, austerioris vitæ virum, audire noluerint, Christum hominibus conversantem tanquam lucem rejicerent etc. Item quod directissimum sit compendium vitæ æternæ consequendæ,

credere Christo et eam, quam is nobis revelavit, patris voluntatem facere, et quod nulla sit invocatio Dei, nec ullibi exaudiamur, nisi et in et per Christum. Ergo et Judæum frustra clamare orando, Deus coeli et terræ, Deus Abraham, Isaac et Jacob, si non innitatur Christo. Ubi vero ad locum de operibus devenisset, ait: Si operibus gaudes, Deus in duabus tabulis non quidem permagnis opera quæ faceres tibi præscripsit, nimirum ut ipsum solum adores, colas nec Deum præter hunc scias etc. Crede in Christum, Deum dilige et proximum sicut te ipsum, etiamsi omnes animi nervos huc intenderis, plus satis tamen operum reperies, et tum, si tibi vacat, opera, quæ papa jubet, facito.

Domine Jesu, in te credere nobis dona, ne cum mundo despicientes lucem judicemur, sicque opera nostra bona luceant, ne cum lucifugis vesperilionibus te lucem æternam abominemur. Te, inquam, lucem illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum, cui cum patre et s. spiritu sit laus et gloria in perpetuum. Amen.

Eadem Philippus et Eubulus (nam Joannes in rus concesserat) Atrebatensem compellere volebamus, verum extemplo ut nos vidit ait: Jam nihil vobis possum respondere, alio tempore revertimini. Hocque erat unius diei pensum absolvisse. Inter sollicitantes erant dominus de Celtingen et legatus ducis Ferrariæ, homo in speciem magni ingenii.

Eadem Carolus a Stockem nobiscum pransus est.

Dum ante cubiculum Atrebatensis deambulamus, Celtingen nobis de aulico quodam dixit, qui cum a Cæsare stipendia exigeret ac Cæsar respondisset: Il fault avoir patience, aulicus dixit: Gil aye ouy patience et passion par la passion de dieu. Cæsar obticens jussit illi numerare quingentos florenos. Sed non omnibus æque feliciter cessit leonibus colluisse.

Eadem adferebatur rumor Hispanos aliquot Argenterati in exorto tumultu occisos esse. Eadem socrui et uxori per Joannem nobis a pedibus scripsimus. Eadem doctor Carolus Harst per Samuelem nepotem nostrum nonnulla nobis nunciavit.

A cœna Philippus et Eubulus theatrum illud Hispanis, quo pilæ se in hoc exercerent, sumptibus urbis Augustæ pavementum lapide coctili stratum, habens in longitudinem circiter centum septuaginta pedes, in latitudinem decem et octo, tribus parietibus clausum, sed ab oriente patens, vidimus. Vidimus et cujusdam Augustani splendidas ædes, qui hoc disticho largitori opum suarum Deo coeli et terræ in saxo super portam domus depingi curaverat:

Aedificat nostras dominus defendit et ædes,  
In vanum vigilans ergo laborat homo.

Cæsar pecunias a Germanis exigit, ut si forte rursus in Germania tumultus exorirentur, pecunia hæc in nervos belli habeatur.

O potentissime Deus, potentes potenter corripe ut quod ipsemet tu sis, qui hæreditatem suam regat et extollat, agnoscant. Ignosce peccatis nostris et pusillum filii tui gregem a persequentium manu eripe.

xxiiij Joannem nobis a pedibus in comitatum nostrum remisimus, dantes illi in viaticum florenos aureos duos.

Domine, in cujus manu vita nostra omnis consistit et cujus sunt exitus mortis, conserva et nos et hos incolumes, ob Jesum filium tuum, regens nos spiritu s. tuo.

Eadem d. Joannes Henricus in æde Mauritio sacra ex cap. 13 epistolæ ad Romanos, scilicet de his verbis: »Non enim est potestas, nisi a Deo, quæ vero sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt. Itaque quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit« etc., concionatus est. Dixit autem inter cætera, particulam universalem omnino neminem excipere, et singulos ordinationi potestatis obedire debere, dempto tamen hoc uno, si quid contra Christi honorem, doctrinam sacram et justum sacramentorum usum constituerit. Nam cum Christus a Deo patre omnium rex constitutus sit, illi optimo jure et merito propria et unica obedientia præstanda est, in cæteris omnibus mos gerendus magistratibus. In hoc autem, ut dictum est, vita, uxor et liberi Christo posthabenda sunt, maxime cum Christus dominus salutis causa omnia parvipenderit. Confirmavit autem hoc ipsum hic concionator testimoniis scripturarum non paucis. Coarguit quoque eos, qui Christianos magistratum non decere somniant, quin e scriptura contrarium approbans, non solum <sup>1</sup> licere christianum magistratum gerere, sed intimis votis omnibus optandum esse, ut personæ qui præsent, christianissimi essent. Hac enim via fieri posse, quo abusus et in religione et in cæteris reipublicæ negociis tolli ac res ad justam normam redigi queant. Item per exempla Datham et Abiron Moisi resistentium et Absalonis contra Davidem patrem exurgentis etc., ostendit, quam male cedat, fovere seditiones, et quænam merces futura sit eorum, qui potestati resistunt. Ubi enim, ait, nullus ordo, ibi confusio. Magistratus etiam sui nominis et officii rationem habere monuit etc., pollicitus in crastinum se plura de his dicturum. Do-

\*

<sup>1</sup> Hs. non solum non l.

minus ille omnium pater dignetur donare, ut in domino cum sollicitudine magistratus præsint, subditi obedientiam debitam præstent ad divini sui nominis honorem et populi profectum. Amen.

Usi sumus et d. Caroli consilio. Eadem Otto comes a Schomberg, archipræsulis Coloniensis germanus frater advenisse dicebatur. Marchalcus Schomberg et dominus a Zeltingen operas suas nobis polliciti sunt, sed Nasonis more: Pollicitis dives quilibet esse potest. Et grave est vulpi leonis malam gratiam inire.

Eadem Wilhelmus comes a Nassau per Lindium nobis dici curavit, archiepiscopum coloniensem de multis injuriis, quibus et ipse et subditi sui a nobis affecti essent, conquestum esse, et. nisi comites a Waldeck apud suos curarent, ut iis rebus supersederetur, Coloniensem vel crastino velle executionem mandati et juris a Cæsare petere.

Eadem Nicolaus Maier licentiatuſ per schedulam significavit, quæ Balthasari a Gultingen suo nomine perscribenda essent.

Mota est seditio inter institores et pedites, sed uno et altero ex peditibus læso res mox consopita est.

Eadem Carolus a Stockem, comites Joannes et Eubulus fratres rus petiere.

Christophorus dux a Wirtenberg equites aliquot Augusta ablegavit, quo nobis cæteris hic moram nectentibus, ut dici solet, solatio esset. Qui respicis, Deus, causam afflicti et inopis, ne tuorum obliviscaris in finem!

In mansione Viglii Zweichem parieti ascriptum legimus: Dieu mon espoir et confort.

Jam quasi per continuos aliquot dies principes concilia frequentarunt!

xxv Maji dominus Joannes Henricus loco et hora consuetis textum epistolæ Pauli ad Romanos ex cap. 13 prosecutus est: «Qui autem patri restiterint, sibi ipsis judicium accipient. Nam principes non terrori sunt bene agentibus, sed male. Vis autem non timere potestatem? Quod bonum est facito, et feres laudem ab illa. Dei enim minister tibi in bonum. Quod si feceris id quod malum est, time. Non enim frustra gladium gestat. Nam Dei minister est, ultor ad iram ei qui, quod malum est, fecerit. Quapropter oportet esse subditos, non solum propter iram, verum etiam propter conscientiam.» Fecit autem brevem heri dictorum recapitulationem. Deinde de utilitate potestatis, potissimum cum sit ordinatio Dei bona nobis in bonum. Deus enim, inquit, nihil

male ordinavit unquam, et est magistratus æque ordinatio Dei, ac status matrimonii etc. Deinde officium boni et frugi civis obiter depinxit, innuens quam is nihil a potestate sibi timere debeat etc. Ait autem d. Paulum hic duo ponere, scilicet magistratum a Deo ordinatum esse ministrum Dei, bonis in bonum, malis in malum atque terrorem. Esse igitur magistratum protectorem et refugium bonorum, malorum vero destructorem et depulsores malitiæ. Magistratum quoque serio sui muneris rationem habere monuit, utpote quos Deus divini sui nominis participes fecerit, et quos d. Paulus hic ordinationem Dei et ipsius ministros appellet, et quo scire possint, quænam sui officii sint, eos id (l. ut) addiscerent, ad Psalmum 82 remisit. (Habet autem hic Psalmus inscriptionem Oda Asaph et versus octo.) Quare non pigeat te ipsum legere. Item jussit inspicere primum Esaiæ caput et Moisen dicentem «Justi quod justum est judicate.»<sup>1</sup> Item quod defensores et propugnatores veræ religionis ac verbi Dei ministrorum et in verbo domini præscripti divini cultus custodes sint. Et e contra eorum, in quos gladium suum stringi debeat, catalogum ex Paulo ad Corinth. adduxit, nimirum in adulteros, in veneficos, idolatras, adulatores, cynædos etc. De abusu quoque gladii disseruit. Exemplum Pilati, qui sciens Christum innoxium damnavit, cum tamen Christus nullius criminis reus ulli unquam malum intulerit, sed insuper omnibus benefecerit, adducens, a quo suo antesignano non multum absint, qui hisce temporibus innocuos concionatores et alios contra conscientiam mille modis excruciant. Jussit igitur ita vitam nos instruere, ne magistratus nobis terrori sit, et cogitare, quod non frustra gladium portet.

A concione, dum obsecrationes fieri jubet, pro potestate ecclesiastica, nimirum pro dispensatoribus verbi divini, orate, inquit, dominum, ut operarios in mercedem suam extrudat. Multi enim sunt, qui nomen potestatis appetunt, opimis beneficiis gaudent, sed oves Christi pascere recusant, laborem subterfugiunt, sicut et innumeri, qui principes et domini vocari ambiunt, reperiuntur, omnino autem officii et vocationis suæ rationem habere contemnunt.

Domine Deus, misericors, juste et magne, quia nulla potestas est, nisi a te ordinata, qui et me indignissimum quoque in vocatione hac esse voluisti, cumque nullus unquam fuerit tam sanctus, doctus aut ea prudentia præditus, quo munus illud sanctum potestatis ex omni parte

\*

<sup>1</sup> Exod. 18. Deut. 16.

explere possit, te, benignissime pater, ut mihi misero et complicibus meis spiritum illum tuum principalem, pro quo ad te tantis gemitibus David clamavit et Salomon filius ejus oravit, ut possim verus patriæ pater, protector tibi placitorum et vindex malorum existere, utque ego et quos mihi subdidisti possimus in obedientia tua et verbo filii tui benedicti vivere, quo nominis tui sacrosancti gloria, subditorum profectus, mea et uxoris et filiolæ, quam dedisti, et liberorum, quos de bonitate tua donare potis es, salus hinc eveniat, clementer largiri digneris deprecor. Idque te, pater cœlestis, per eum rogo, cui potestatem in cœlo et in terra contradidisti, dominum et liberatorem nostrum Jesum Christum, cum quo tibi et s. spiritu sit laus, honos et jubilatio in perpetuum. Amen.

Post concionem Joannes frater et ego, dubii quid in negotio nostro ageretur, quod aliquot vicibus Atrebatensis in respondendo ambibologia usus sit, cum tamen res apertissima tropis opus non haberet. Visum autem est nobis, ut Viglius conveniretur. Is nobis heri primum Atrebatensem nostram et alias privatorum, ut ipsi nominant, causas cæsari in præsentia Viglii et ceterorum consiliariorum cum expositione et excusatione singulorum retulisse, ajebat. Habuisse quoque super hoc consilium, sed nondum cæsarem se resolvisse. Ait quoque nostrum negocium in his cardinibus versari, quod si imperator capitulationem inter suam majestatem et Cattorum principem, quantum nos concernat, ratam habere velit, nos eximi imperio. Sin autem totam reprobaverit, landtgravio in possessione sua injuriam fieri. Cum Eubulus diceret: Domine doctor, utcunque se res habeat, tamen vocati a commissariis cæsareæ majestatis iisdem obedientiam præstitimus. Et recte, inquit Viglius. Nam nisi id a vobis factum fuisset, jam maximis in periculis et vos et res vestræ forent. Sed, inquit, brevi imperator de capitulatione et aliis articulis se resoluturus est. Interrogatus autem, num illi consultum videretur, hodie apud Atrebatensem sollicitare, suadeo, inquit, hoc die id ipsum intermitteri. Non enim tam cito resolutio fiet, indicans præterea brevi omnia absoluta iri.

Venit Carolus a Stöckem eadem fere a doctoribus Hasen et Marquardo se accepisse inquires.

Mauritius elector hodie post secundam noctis, licet multos magnates ad jentaculum invitasset, surreptitæ cum paucis abiit, cum tamen in multam diem aulici et supellex subsecuti sint.

Eadem Coloniensis archiepiscopus comiti a Nassau querelas civium

Volckmariensium misit. Quas idem per Lindium Waldecianis comitibus exhiberi jussit. Episcopus autem de Eubulo duo conquestus est, unum quod Galacteus plaustra aliquot materie ferri ex mineris am Teuffels Path avexerit, et quod de homine, qui bigæ casu non procul inde mortuus est, uxorcula nostra litteras (ut teneris episcopalibus auriculis videbatur) contumaciores perscripserit. Addidit præterea et Coloniensis minas, ni de molestandis suis a nostris supersederetur, se vel crastino tractatus tanto labore inter nos habitos irritos facturum et mandati illius executionem petiturum. Fratres tamen nostri ab ipso iitteras Volckmariensibus civibus transmittendas obtinuerunt, quibus, ut dicebatur, vim rusticis inferre prohibebatur. Floro injunctum, ut Eubuli nomine comiti a Nassau responderet.

Post coenam ante palatium Cæsaris deambulabamus, ubi sub octavam pomeridianam magistri ordinum pedites ad vigiliis noctis constituerunt. Hoc autem Germanis et dolori et dedecori est et erit, quod cum Germani pedites ad custodiendum cæsaris palatium ordine starentur, ocyus Iberi quoque timpano incusso ad hospitium Joannis Friederici optimi principis veniunt, ibidem excubias agentes.

Domine liberator, qui das captivis indulgentiam, aliquando et hujus servi tui in bonum memento.

xxvj Maji d. Joan. Henricus (nam Musculus ravi laborabat) in sæde Mauritiæ eundem quem heri explanavit textum repetens, concionatus est, summa diligentia magistratus reverentiam ob Dei præceptum inculcare conatus per s. scripturæ historias ostendens, quam referat reipublicæ personas in hoc statu constitutas esse, viros bonos timentes Deum, justitiæ et æqui amantes etc., et quod ejusmodi personarum regimen non parvum et subditis et terris profectum conferat. Nimirum quod verus Dei cultus et justitiæ leges per tales viros conserventur et idolatria ac omnis externa impietas, quantum id fieri queat, tollantur. Adducens in hujus rei evidens exemplum legislatoris Moisis, strenui Josuæ, optimi civis Danielis, Ezechiæ et Josiæ piissimorum regum etc. Indicans quæ horum pietas, dexteritas et zelus erga Deum et in transgressores austera animadversio fuerit, quæ item bonis sub his fuerit quies etc. Deinde omnium horum antithesin, quo albnm juxta nigrum positum magis elucesceret, posuit, quam turbulenta omnia sint, quamque optimi quique sub hypocriticis et malis principibus (ut interim taceam omnem religionem et mores rectos) sub talibus pessum eant. Hujus farinæ principes fuerunt Saul Davidem persequens, quem ab eo

justius fuisset ob honorem victoriæ et præmia et laudem reportare. Item quam cruentus et immanis in Abimelecum et ejus symmistas ac omnem civitatem Nobe fuerit. Nec hæc oblitus est adulatorum sub nomine Doeg Idumæi, qui truculentissimus adulator cum milites a latere regis illud abnuerent, in gratiam Saul ipse totam domum Abimelech et viros portantes Ephod octuaginta quinque interfecit, ut legere est Samuelis 22. Sauli non dissimilis Ahab fuerit, qui sub uxoris imperio et sub peccatum venundatus in sacra scriptura dicitur, et quam homines pii et frugi iniquissime sub hujus regis regimine habiti sint, testatur probitas Abdiæ economi regis, qui abscondit 50 prophetas in una et 50 in altera spelunea, pascens eos insuper pane et aqua, quo immunes a trucidatione essent etc. Rogare denique jussit dominum, ut patres patriæ bonos nobis impartire dignaretur.

A concione Joannes frater et ego Atrebatensem adire volebamus, qui tamen ad patrem abierat, ilico autem revertens et conspectis comitibus Waldecianis ait, nondum habeo adhuc responsum a sua majestate. Hoc responso hic dies terendus erat.

Sub casis mercatoris Carolum a Stockem reperimus eundem hoc Atrebatensis responso solantes.

Dum in eodem itinere de libro Bibliandri de ratione communi omnium linguarum ac litterarum mercaremur, Dido a Kniphausen supervenit, indicans, qui esset status cognatorum nostrorum de Hoia, sed causam eorum contra Franciscum a Hall duci Juliacensi ut commissario a cæsarea majestate commissam esse.

Eadem episcopus Trevirensis per Wilhelmum juniorem comitem a Witgenstein nos secum prandere jussit. Eadem ad Gultlingen pro licentiatu Maier per scripsimus. Subortæ sunt eadem rixæ nonnullæ inter Wendelinum et Florum.

Trevirensis archiepiscopi mensæ Ernestus comes a Solms, Henricus comes a Liningen, Philippus, Samuel et Eubulus comites a Waldeck, nobilis de Schomberg marschalcus cæsaris etc. Wilhelmus comes a Witgenstein aderant.

Inter Trevirensis et Eubulum conventum est, ut si Eubulus Muntoburum plaustrum cerevisia Corbachensi onustum mittat, archiepiscopus illud vino onustum remittat, idem factururus etiamsi cerevisia non detur. Pollicitus est et Trevirensis se omnia nostri ergo et apud cæsarem et apud Atrebatensem subiturum. De ejus voluntate non dubitabamus, sed obest illi dexteritas papistica, hoc est, quod cæsari non



mox in omnibus contra canones istos etc. consentire velit, Schomberg quoque marschalcus pollicitationes nobis fecit, sed vanas reor; facile enim quicquid aulici promittunt.

Ajunt cæsarem, cum fertilitatem agri Saxonici et regio more extractas arces vidisset, dixisse: Dux Joannes Fridericus robusto est corpore et habet fortissima crurum robora, tamen tibiæ ipsius tanta comoda æqua mente ferre nequibant. Omnes autem, qui sperant in domino, non confundentur. Potentiora enim et regna suas quoque periodos habent.

Wolff quoque comes in Öttingen adest.

Eadem landtgraviæ unus et alter equus mortuus est. Ericum nothum a Zertzen cum fur zonam ejus evacuasset aureo donavimus.

Consolatio afflicti et divini auxilii expectantis M. Lutheri: Lang ist nicht Ewig, der elender leidt woll, aber nicht allwege. So soll auch sein hoffenn nicht umbsonst seyn.

Eadem comitem ab Eckmunda et comitem Brabanzon, alterum hollandum, alterum Brabantinum, vidimus.

xxvij Maji in æde d. Mauritio sacra prælector legit caput 16 Matthæi ac solitas adhortationes et preces fecit. Deinde Musculus spiritum Dei bonum ut nobis verbi divini incrementum daret, invocavit et ex cap. 15 Joannis id quod per aliquot septimanas tractavit, repetiit. Hoc autem die hæc verba legit: «In hoc glorificatus est pater meus, ut fructum copiosum afferatis et efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me pater, ita et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea etc.» Hic per ordinem de comparatione Christi et suorum ad vitem et palmites dixit, jubens nos eo niti debere, ut in hac ipsa vite maneremus et in ea fructum feramus. Item quomodo dominus amica et blanda oratione suos allexerit. E contra quod in ipsa vite non manentibus aridis et infrugiferis palmitibus sit comminatus. Nunc autem hisce verbis Christus docet patrem in hoc glorificari, si fructum multum in Christo adferamus. Hic adstruens Christum non voluisse suos ociosam et reprobam vitam ducere, sed in ea quam ipse jubet fructum ferre. Ait autem Musculus: Christus dominus a Mahometanis, Judæis vel aliis, qui non sunt in ipso, sed palmites a stipite evulsi et extra vitem luxuriantes, etiamsi perditissime vixerint, non deonestatur. Sed si nos, qui ejus nomine superbimus et palmites in vite succrescentes in dedecus divini nominis vitam institueremus, id dolet patri, in hoc gloria ejus, quantum ad nos, commaculatur. Nam oretenus solummodo Christianum agere, quid attinet, aut

alios quærere præter eos quos Deus jusserit cultus, si pastorem nostrum et vitem veram Christum non agnoverimus, si non juxta hujus præceptoris regulam juste et pie vivere voluerimus? Non enim, inquit, religio christiana in cereis ardentibus et nescio quibus, ut nunc digladiantur, ceremoniis, unctionibus et ejus ceræ futilibus et nullius usus rebus, aut aris bysso et purpura distinctis ac vasis aureis, argenteis et deauratis sita est. Nam si hæc ad religionem facerent, habuerunt Judæi multo plura de his rebus, quam nostri, et Mahometani longe auro, bysso, purpura, argento, unionibus et gemmis in suo mahometico cultu nos superant. Nec hujusmodi næniæ vel ad veritatem christianam vel ad religionis negotium quidquam fatiunt. Verum si ad Deum invocandum fidem indubitam et charitatem erga Deum et proximum adferamus facientes fructum bonum, quo patris voluntas, quæ per Christum nobis patefacta est, peragatur, ut Deo in nobis per Christum sua gloria obtingat, ut, inquit dominus, efficiamini discipuli mei. Quid, inquit Musculus, hæc sibi verba volunt? Numquid, ad quos dominus hæc verba loquebatur, ejus erant discipuli? Erant profecto. Nam de his dixit: «Ego vos elegi, vos autem me non elegistis.» Item: «Vos vocatis me magistrum et dominum, et recte dicitis, sum etenim» etc. Certo, si sic se res habet, omnes discipuli Christi erant. Erat quoque Judas Ischariotes discipulus domini etc. Sed si alia est ratio, quod ait, discipuli mei efficiamini, hoc est, palmites in vite permanete, fructum fertæ etc. Et multis hic de discrimine discipulorum docuit, de iis scilicet, qui in pura doctrina Christi permanent et veritatem evangelicam amant ac opere implere conantur, et de iis, qui optime quidem de Evangelio fabulantur, sed impiissime viciant. Item de Papistis et adversariis verbi, item de variis respectibus in Christum, et quomodo alii aliud in Christo quærant, alii sua commoda, alii honores, alii autoritatem et suæ sycophantiæ operculum, et postremo dixit: Et quid dicam? Non est in universis sanctitas. Utrinque ex omni parte quotidie nobis ipsi pejores evadimus. Quapropter vitam emendemus et rogemus dominum, ut propitius nos convertat, quo in vite vera fructus uberes ferre possimus. Item quod textus habet: Sicut dilexit me pater etc., id tametsi videatur in præterito dictum, tamen præsentis modi hic accipi debere, atque hoc de hebraismo et phrasi hebraica disseruit, innuens Deum patrem semper filium diligere, sic et Christum suos, si in dilectione sua permanserint, semper amare etc.

Eadem landtgraviam, quæ perendie hinc profectura erat, invis-

mus. Curaverat autem domina princeps verbum domini sibi et familiæ per ecclesiasten urbis Augustanæ annunciari, qui ex cap. 3 Joannis eum textum, qui die Trinitatis prælegi solet ecclesiæ, christianissime exposuit, inquiens inter cetera: Verbum domini quotidie audimus et id per multum jam tempus, sed nihil præterea cogitamus de renouatione vitæ et aspiratione hujus venti. Mutemus igitur aliquando institutum vitæ. Nam sicut, inquit, facies tua modo pallescit, nunc rubicundior fit, si vento affletur, ita mens nostra subito si ab hoc s. spiritu afflemur, innovatur etc. Jussit quoque vim orationis piorum considerare, adducens exemplum Eliæ, cujus unius precibus cælum clausum est et rursus pluvia descendit, ut in libris regum videre est.

Apud landtgraviam aderant Wilhelmus a Nassau, Otto a Schomberg archiepiscopi Coloniensis frater, Conradus a Boneburg eques et Waldeciani quatuor. Comes Wilhelmus dixit nos in crastinum a Coloniensi invitatos iri, quod nec metuo, nec opto.

Experti sumus in hoc ipso convivio, quam probe domina princeps a nonnullis fuerit instructa, ut fere Coloniensi subscriberet.

Eadem d. princeps Joannem fratrem nostrum ad duces Fridericum electorem misit, ut eam excusaret, quod hactenus illum non fuerit allocuta, prætendens quod nesciverit an ob cæsaris promerendam gratiam ad ipsum aditus an secus incommodior fuisset etc. Elector respondit, nihil referre; scire clementiam suam, in quo statu res suæ sint etc. Cum multi quererentur nimium cunctando per aulicos cæsaris molestari. Inventus est qui ante menses decem cæsaris consensum super nonnullis donationibus Noribergæ assecutus erat, sed in hunc usque diem subscriptionem habere non potuit.

Baro de Blaw, quem mater legitimum esse negabat, ad diem Veneris aut sabbati elapsum huc captivus adductus est, et timetur illi a supplicio capitis.

Eadem a prandio Philippus vonn der Brucke Livonii magistratus legatus Interim mentis illius nobis copiam fecit.

xxviiij Maji d. principem inter 4 et 5 horas mane ejus diei convenimus ac eam Deo nos suæ gratiæ pro more commendantes ac eam ubi valedixeramus ad vehiculum perduximus. Corroboret dominus cor ipsius et Christinæ suæ mentem christianam impartiat iterque suum bene fortunet. Conradus a Beyneberg eques auratus ipsam Ulmam deduxit.

Deinde in templo Mauritii d. Joannes Heinricus ex cap. 13 ad

Romanos concionatus est. Heri enim a meridie idem argumenti tractabat. Legit autem nunc temporis de eo loco: Nemini quicquam debeatis, nisi hoc, ut invicem vos diligatis. Nam qui diligit alterum, legem implevit, siquidem illa: Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces et si quod aliud præceptum, in hoc sermone summatim comprehenditur. Nempe diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximo malum non operatur, consummatio itaque legis est dilectio etc. Pro studio autem inculcandi ea quæ per dies aliquot docuerat ea verba non attigit. Sed repetiit singula hujus capituli, admonens magistratum rursus sui officii et dilectionis in subditos. Item subditos, ut magistratui in omnibus, præter si quid contra verbum Dei statueret, obedientes se præstarent, tributum, vectigal, contributiones denique et omnia ejusmodi ex charitate offerant. Nam officium defendendi bonos et malos coercendi sine magnis sumptibus exequi nequit, ait hic ecclesiastes. Item magistratum summam et primam curam esse debere, ut subditis de fidelibus verbi ministris provideatur, et populus ab eisdem fideliter in sana doctrina instituatur. Item ut cultus divinus quibus coli se velle unicus ille Deus, præter quem non est alius, per filium suum docuit juxta scripturæ præscripta peragatur. Non, inquit, cæremonialem illum papisticum, qui non nisi pro ludo puerili pupporum more puppis ludentium existimandus est. Magistratus quoque operam det, ut et ipse scripturæ s. non omni ex parte ignarus sit, ne semper ab ore detorquentium scripturas et alieno cerebro pendere cogantur. Adducens de hoc præceptum legislatoris Moseos ex Deut. cap. 17. Hæc autem fere sunt verba. Cum sederit in solio regni sui, describat sibi exemplar hujus legis in libro coram sacerdotibus levitici generis, eritque illud penes eum, ut legat in eo cunctis diebus vitæ suæ, ut scilicet discat timere dominum Deum suum et servare omnia verba legis hujus ac statuta ista, ut faciat ea, et ne extollat cor suum supra fratres suos, neque recedat a præcepto nec ad dexteram nec ad sinistram, ut proroget dies in regno suo ipse et filii ejus in medio Israelis. Item exemplum Josiæ regis, qui reperto libro legis cultum Dei redintegrari præceperat etc.

A concione dum Joannes, Philippus et Samuel comites adhuc in deducenda domina principe abessent, Eubulus et Wendelinus comitante eos Carolo a Stockeim, satrapa in Weilburg et Usingen, Atrebatensem adiere, qui viso Eubulo gallico more exclamavit Mon seigneur conte etc., innuens se crastino circiter octavam posse arbitrare resolutionem

accipere, et ut id temporis adessemus jussit. Idem jussus est et Carolus.

Prandio nostro Carolus a Stocken et Barleven interfuerunt. Emimus eadem scriptum prioris in Rhedorff, quo pinguis aqualiculus et Erasmus Roterodam. carpit et divum Paulum uxorem non habuisse adstruere conatur.

Eadem Fredericus Perger Georgii filius a Ratisbona nos invisit, indicans inter cetera de controversia Luxani præfecti regii ac Georgii Pergeri, et quomodo Wulff Haller Pergerum in tutelam acceperit. Orta autem est hæc rixa ob non hospitatum bohemicum aulicum, cum tamen Cattorum legatos hospitio excepisset. Interrogavit quoque nos de valetudine Pistorii, item an mihi ex uxore liberi sint. Aiebat parentes et fratres suos bona esse valetudine. Invitatus est a nobis ad cœnam, verum gravioribus occupatus venire non potuit.

Quoniam tua voluntas est, domine, ut pro benefactoribus oremus, benefac eis, qui nobis bene voluerunt, propter nomen sanctum tuum.

xxix Maji in templo observantum d. Leonardus ex cap. Joannis 3 de mysterio sacrosanctæ triadis concionatus est, indicans, quam homini ex propriis viribus divinitatem agnoscere impossibile sit. Proferens in medium notum illud de puello vola manus mare exhaurire conante et d. Augustino etc. Item de distinctis personis in eadem trinitate et hujus rei testimonia scripturæ adduxit. Item quomodo, dum baptizaretur Christus in Jordane, patris vox (hæc scilicet: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est, hunc audite) audita est. Filius erat ipse, qui baptizabatur, et s. spiritus in specie columbæ super Jesu apparuit. Item quod filius solum assumpserit corpus. Item quod spiritus s. de patre et filio sit procedens, item quam inepte Judæi et cæteri infideles nos Christianos tres deos adorare, cum in unum tantum credamus, effutiant; quod Deus sit spiritus non habens corpus nostris corporibus simile; quod autem s. scriptura Deo oculos, vultum, manus etc. attribuit, id fieri, quod scriptura pro captu humano divinitatem circumscribens loquatur. Quæ alibi a nullis mortalium capi posset. Huc multa testimonia ex psalmis et aliis Bibliæ locis adferens. Item quare s. spiritus nominetur ventus, item de vi et potentia ventorum, euri scilicet, qui cuncta perflet et concutiat, et favonii, qui suo flatu omnia exhilaret. Sic et spiritus s. afflatui nemo resistere potest, sicut propalam visum est in die pentecostes, frustra repugnantibus Pharisæis et scribis etc. Et huic ad hunc usque diem totus mundus resistere conatur, et tamen hic spiritus

flatu suo omnem terrarum orbem etiam hodie permovet etc. Quæ ad hoc argumenti faciunt, fideliter docuit etc. Hoc epiphonemate sermonem claudens: Sicut nihil viventium in hoc terrarum orbe sine spiratione et vento agere potest, ita et nos in spiritali vita ne momentum quidem vel ad oculi ictum sine hujus sacrosancti spiritus afflatu perstare possumus; jubens itaque Deum patrem per Christum orare, ut nobis hunc spiritum paracletum impartire dignetur, qui nos vivificet et regat. Id nobis præsta, o pater, ob filium tuum dilectum, cui nihil negas, regnantem tecum cum eodem s. spiritu tuo. Amen.

Domine Deus, magne, terribilis et fortis, idem quoque benignus, clemens patiens et multæ misericordiæ, ecce coram te cum tota tua ecclesia non aliter ac olim populus tuus ac gens tua Israel corda nostra et manus nostras expandimus, ore et imis penetralibus cordis clamantes Respice, domine, et miserere nostri, pauperes enim et despecti sumus nimis. Invenerunt enim nos ingrattitudines et iniquitates nostræ, dominantur nostri domini absque te, impleta est in nobis comminatio tua, gens, cujus catalectum non agnoscimus, possidet nos nostraque, nec satis dominari nostri habet, sed et sancta conculcat tua et præter omne dedecus in tua Germanica. O domine, vix antea cogitatum quod quotidie committit noctu diuque cogitat, qui nobis verbum tuum eripere possit, confians traditionum humanarum centonas, obtrudens pro pane cinerem. Domine Deus nos quidem longa majora his commeriti sumus. Sed quid honor tuus et verbum tuum innoxium a populo non sancto blasphemari meruit præeligente (et) præferente Christo caput novum ecclesiæ tuæ, meretricem ad aquas Babylonis sedentem. Memento domine promissionis tuæ antiquæ, quam mystici tui Davidis populo pollicitus es: Si peccaverint filii ejus in me, corrigam eos in iudicio. Misericordiam autem meam ab eis non auferam. Quanquam autem paucissimi inter nos hæc attendant, tu tamen ne obdures corda nostra, sed de furore iræ tuæ justissimo quidem remittens in faciem Christi tui respice. Voluisti enim hunc pro nobis et totius mundi peccatis victimam esse, mediatorem unicum et pontificem. Recordare quoque in hoc filio tuo dilecto domino nostro Jesu Christo remissionem peccatorum pro miseris cupimus domine, sed da reverti ad te confisi quoque de bonitate tua magna speramus nos de eorum esse numero, de quibus filius tuus benedictus ait ad te clamans: Pater, pro eis oro, et non tantum pro eis, sed pro his qui per verba eorum in me credituri sunt etc. Aspiret nobis spiritus sancti gratia et nobis fidem adaugeat, ne opera manuum despicias, oves enim

pascuæ tuæ sumus. O pater, da ut amantem te redamemus et te timeamus. Da ut juxta nomen tuum sancti simus, adveniat et renovetur in nobis regnum tuum. Tua voluntas in misericordia fiat, ne panem verbi tui, quo Germaniam in hisce postremis temporibus tam largiter refecisti, auferas. Da ne penuria affligamur, nec saturati recalcitemus. Nosti enim quid opus habeamus. Dimitte nobis debita nostra, ne simul perdas nos cum iniquitatibus nostris, siquidem et nos (quod concede ut ex corde fiat) debitoribus et persequentibus nostris remittimus. Ne nos in tentationem inducas, quarum nunc omnes terrarum anguli referti sunt, sed libera nos a malo cum animæ, corporis et dierum malorum horum. Quoniam tuum est regnum, postliminio nos tibi assere o domine, tua est virtus, sustenta nos, tuus est honor, da te solum honoremus et gloriam tuam da a nobis et omnibus promoveri in perpetuum. Da domine ne respiciam vultus potentis, sed da in os quid loquar, et labiis meis custodiam pone, in nomine enim tuo ejicio rete.

Eadem ad octavam in mansionem cancellarii cæsaris Antonii Atrebatensis episcopi per Leonardum illi a cubiculis intra cubiculum vocati sumus, ubi e regione nostri stetit Atrebatensis præsul et illi a sinistris d. Philippus Seldt vicecancellarius. Is orsus est dicere, Reverendissimus et clementissimus dominus meus Atrebatensis mihi generositatibus vestris dicere injunxit, Romanam cæsaream majestatem per reverendissimum Atrebatensem accepisse vos ad citationem huc advenisse, item excusationes vestras, quas protenderetis. Verum sua majestas etsi has excusationes audierit, non tamen suæ majestati his satisfactum dicit. Nam quanquam protenderitis vos subditos Cattorum principis esse et sub capitulatione comprehensos, tamen vos et comites imperii non decuisse, ut obliti honoris, dignitatis et nominis vestri huic principi contra cæsarem pugnanti auxilio essetis. Licet insuper sacra cæsarea majestas ex prothocollis judicii cameræ perceperit comites et landtgravium de hac quæstione, subditi ejusne sint an secus, egisse. Verum utcunque hæc res se habeat, nunc de his sua majestas disputationem non instituet, sed in medio relinquit, ea tamen lege, ut fisco et suæ majestati nihil juris derogatum velit. Item quod ad absolutionem per comitem Reinhardum a Solms attinet, id non latius tendere, quam quod commissarii jussi sint super hac ulterius cæsarem quærere etc. Horum ergo cum vobis consciis sitis et constet, omnem dignitatem, honorem et jus vestri comitatus a nemine præterquam ab imperatore derivari, quamobrem cæsarea majestas optimo suo jure et actione læsæ ma-

jestatis in honores, corpora et facultates vestras serius<sup>1</sup> quid statuere posset. Attamen sua majestas ex innata sua clementia mitiori via contra vos progredi cogitat. Sed discriminatim, scilicet ut hi duo juniores comites Philippus et Joannes actionem, quam mater ipsorum in cæsaris majestatem ex quibusdam pollicitis habere se autumat, remittant, maxime cum cæsarea majestas nihil sibi de hoc conscia sit, nisi forte de generalibus promissis (hæc enim ipsissima ipsius Seldi erant verba), ad hæc ut Cæsari quinque mille florenos numeretis, vos vero, Eubule, qui ante et sub hoc bellum hoc præ ceteris comitibus et opera et verbis cæsareæ majestati vos infestiores ostendistis, cæsari dabitis octo millia florenorum, aut si mavultis, cæsarea majestas jure vobiscum agat et processus contra vos instituat. Præterea omnes comites una articulos eos, quos reverendissimus dominus meus Atrebatensis nomine cæsareæ majestatis vobis expositurus est, et suscipietis et ea servare pollicebimini. Dum autem staremus animis consternati, Atrebatensis non rogatus deliberationem nobis in crastinam permissam iri ait. Causabatur et de motione armorum in Coloniensem, qua vel totum imperium ad tumultus excitari potuisset. Et cum Eubulus apud Atrebatensem quereretur impossibile fore, ut eam summam ex suis facultatibus vel a subditis corradere possit, obtestatusque persancte, se ab intentatis vel hoste teste absolui posse, multa præsul objiciens ait, mihi a Cæsare quatuordecim millia ipsi numeranda imposita esse, sed vel solius Atrebatensis opera eo deventum esse, ut octo dem millia, et hic nihil superesse, nisi ut ea pecunia numeretur, aut optionem haberem, si cæsareæ majestati juri stare velim. Profecto, ait, quod hactenus responsionem distuli, in causa fuit, quod tam strenuam operam vestra ergo apud cæsaream majestatem gnaverim, sed summo labore apud suam majestatem, ut octo millibus contentus esset, obtinui. Sed quid opus est singula annotasse?

Philippum comitem a Nassau cæsar gratis absolvit, sed non absque marsupii sui vulnere.

A prandio rursus Atrebatensem adire volebamus, sed quam primum me conspexit, properanter ait, domine comes, non vacat modo, nam confestim mihi exeundum est foras.

Volebamus et Staculum a Schleben alloqui, verum is inveniri non potuit. Marschalckus vero Luderitz petita nostra ad Marchionem electorem perferre se velle recepit.

\*

1 l. severius.



Obviam quoque facti sumus d. Philippo Seldo, rogantes, ut apud Atrebatensem pro nobis intercederet, quo pecuniæ summa diminueretur ac de ceteris, quæ ad negocium facere videbantur, cum eo sermonem contuli. Is respondit, se quidem in aliis libentissime morem gessurum at in hoc negotio ipsemet, inquit, aut parum aut nihil agere possum. Nam aulicus sum, quæ cæsar et Atrebatensis jubent, id mihi faciendum est.

Eadem litteras d. Melchioris de Ossa Seldo per Liborium misi. Egit et Liborius multa cum eodem, sed oleum et opera perdebatur.

Vidimus hac die Daniele Stieber, qui cum Eichstatensi episcopo Ratisbonæ erat. Pransus nobiscum est Fridericus Perger; huic aliqua patri referenda injunximus.

Ante dominicum Augustanum casu magistrum Glaserum inveni, qui hic vices Hennebergensium agit. Item d. Udalricum Mordteisen convenimus; ab eo ducem Mauritium nihil consiliariis de causa nostra commisisse accepimus. Insuper et consiliarios paucos post dies hinc abituos.

A cœna Marschalcus Luderitz nobis retulit, marchionem pollicentem esse, se et nostri mentionem apud cæsarem fieri procurasse et ut idem fieret jubere velle.

Fratres apud Anaxonem et Carolum Harst parum consilii invenere.

Eadem ad litteras Monasteriensis responsum est.

Dicuntur electores ac ceteri principes apud cæsaream majestatem institisse, ne comitibus, qui coacti suis principibus servire fuissent, molestior sit, verum hæc petitio aut parvum aut nullum sortita est locum.

xxx Maji in æde Mauritio sacra Wolfgangus Musculus concionatus est prædicationem ex cap. 15 Joannis: »Manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego patris mei præcepta servavi et maneo in ejus dilectione« etc. Hic quæ heri docuerat per epilogum recensuit. Deinde ait: Audistis, qualis sit dilectio patris erga filios et maxime patris illius, qui cœlum et terram creavit et omnia ex se ipso fovet etc. Manete in dilectione mea. Sed quis inquires hic fructus? Nimirum is, quod pater sic dilexit mundum, ut daret filium suum unigenitum in mundum, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam etc. Item Christum optimum præceptorem fuisse docuit utique qui, quod verbo docuerit, id et opere quoque impleverit, atque hoc archetypon magistratum imitari debere,

utque ea quæ statuerent ipsi prius observent ac juxta Claudianum dis-  
cant pati quam tulerint legem. At vide quomodo Christus obediverit  
patri. Factus est enim obediens usque ad mortem, mortem autem cru-  
cis. Idque factum esse ob eam quam erga patrem et nos dilectionem  
habuit. Verum præceptio et executio mandatorum non est causa salutis,  
sed potius custodia quædam charitatis, quia Deus nos in filio suo Jesu  
et antequam nasceremur dilexit. Quod autem dominus jusserit manere  
in dilectione sua, non præter rem dictum, quia videmus quam difficile  
sit, si in hoc mundo in alicujus amicitiam asciti simus, eam integram  
servare et ne excidamus cavere, tale adducens exemplum. En, inquit,  
si quis paterfamilias puerum in plateis errantem, laceris vestibus, fame  
maceratum, scabie quoque forsitan laborantem, qui nullius frugi videat-  
ur, conspectus fuerit et hunc in domum suam adducens secum filii  
loco sedulo enutrirî curarit, unice hunc amet Talis puer, quanquam a  
paterfamilias diligatur, numquid tamen dabit operam, ut in ea qua di-  
ligitur dilectione permaneat, an se lurconem, ardelionem immorigerum  
præbebit, quo is qui eum in filium adoptaverit ejus tædio afficietur etc.  
Pater, inquit, tenere amat liberos et unde hoc? Nonne ex natura? et  
tamen filius in patrem contumacior, omnes facultates dilapidans ad hæc  
nullam admonitionem admittat. Numquid storgia illa paterna retrogre-  
ditur et pater vultum avertat nec eam qua prius eum complexus dilec-  
tionem erga ipsum servabit. Sic et nobis accidet, si non pro præcepto  
Christi in dilectione ejus permanserimus. Sed dices forte: Christus erat  
Deus et homo erat perfectus in omnibus sine omni peccato etc. Huic  
facile erat patris præceptis per omnia inservire. Ego autem miser ho-  
muncio peccator sum undique vitiis scatens, qui impleam ipsemet præ-  
ceptum Christi? Exigui operis erit, si recta voluntas et cordis sedu-  
litas adsit, hoc est, ut ex corde puro et sincero Christi præcepta præ-  
stare cupias et quotidie te in iis exerceas. Quid enim sibi vult, quod  
David ait? omnia statuta tua servavi, quippe qui adulterium commi-  
serit, Uriam servum suum fidelissimum interfici jusserit etc., sed uti-  
que servavit. Nam etsi lapsus erat, tamen avidam voluntatem servan-  
dorum mandatorum domini retinuit. Sic et nos, si ex puro corde man-  
data Dei servare studeamus et sic in dilectione permanserimus. Pro-  
fecto etiamsi alicubi labamur et postea ad cor revertentes non innitentes  
nostris operibus, Deus nobis respectu filii sui omnia condonabit. Novit  
enim dominus nobis compati non secus ac si quis paterfamilias servum  
habeat sibi morigerum non ad oculum servientem et recta erga ipsum

voluntate affectum. Is si pro ignorantia aut ob ruditatem non omnia, quæ præceperit herus, ad amussim exequatur, tamen hunc non statim herus domo ejiciens profligaturus est, aut concitator in eum erit, nimirum sciens quod non studium, sed scientia illi defuerit, multa condonat et eum suffert etc. Invigilemus igitur ut in recepta dilectione permaneamus et nos in custodia præceptorum exerceamus, quod nobis faveat Deus pater per Christum filium. Amen.

Ante concionem intra 5 et 4 venit magister Glaserus, qui in comitiis Augustanis vices principum, comitum et dominorum Hennebergensium gerebat, cui quo in cardine res nostræ versarentur exposuimus, eundem rogantes ut Staculum a Schleben adiret expiscaturus quidnam in causa nostra per electorem Brandenburgensem factum fuisset. Qui sub prandium revertens ait humaniter se a Staculo acceptum huncque dedisse fidem, se sedulo apud electorem suum instare velle, ut una cum consiliariis ducis Mauricii Brandenburgenses pro nobis intercederent, vel si dux Mauricius consiliariis suis Augustæ relictis nihil de hac re injunxerit, se daturum operam ut marchio elector solus intercederet.

Pransi sunt nobiscum idem magister Sebastianus et Kniephausen.

Eadem ante nonam antemeridianam fratres et ego, Liborius, Colbacherus, Lyndius etc. intra cubiculum Atrebatensis vocati, ubi in præsentia doctorum Seldi et Viglii magister Florus responsiones et petitiones nostras præsuli exposuit, sed cum multum diuque hinc et inde verbis altricatum esset (sed omnia q. precario agentes) tales tandem abivimus, quales venimus, nam de diis periculosum est fari etc.

Eadem Galacteam ad licentiatum Nicolaum Maier misimus pro consilio, qui quoque responsum reportavit.

Intereant omnes, qui interim illud ex corde amplectuntur.

Ad secundam pomeridianam verbi ministri et consules urbis Augustæ congregati sunt. Domine bene prosperare et ne des locum superbis et impiis.

Eadem Carolum a Stockeim satrapam in Weilburg et Usingen ad comitem suum heri abiisse comperimus.

Eadem Liborius ob valetudinem ut missus aliquot a culina nostra illi mitterentur, quo medicum et pharmacopolam, quorum opera usus erat, convivio excipere posset, rogavit.

Consilium Joannis fratris nostri erat, ut opera domini de Lyre et Busce, qui non extremas apud imperatorem tenere dicuntur, alter enim

a consiliis et exercitu, alter hippodromo et imperatoriis equis præest, uterer. Sed magnates magni suas operas locant hi etsi essent viri boni qui parum eos afficere hac in re putarunt institutum meum mutavi.

Eadem instigatoribus papisticis civibus per lixas indictum est per crastinum feriari, quod ea esset dies, ut vocant, corpori Christi sacra. Per lixas autem factum est, quia concionatores pro suggestu denunciare nolebant, eo quod intra annos decem et octo hæc cerimonia Augustæ servata non fuerat. Hæc sunt initia dolorum, hic fructus interimici sequetur Antiochi illustris et Heliodori petulantia. Exurge domine, quare dormis?

Nobiscum cœnati sunt Kniephausen, doctor quidam Holsatius et Mohss Wormaciensis adolescens omnium horarum homo, et quanquam juxta proverbium damna risum prohibeant, tamen jocolator quidam Italus quoque venit artem suam exercens.

xxxj Maji quæ est ultima ejusdem d. Joannes Henricus ex cap. 13 ad Romanos concionatus est, summatim referens quæ Paulus in hoc capite docuerit. Ubi ad eum locum, «charitas est impletio legis», pervenit, multis docuit, quomodo invicem mutuam charitatem fratribus nostris in Christo debeamus, et quid christianos erga se ipsos facere deceat. Dixit quoque, de qua charitate hoc loco locutus sit; non, inquit, de eo amore, quem nonnulli obsœenis sermonibus sibi conciliare conantur, aut de eo, qui per malas artes contrahitur, sed de charitate, quam Christus præcepit et quam in ipso erga nos quotidie experimur, nec tantum Deus pater per Christum nobis mutuam dilectionem tum primum præcepit, verum longe ante hæc tempora in monte Synai in lapideis tabulis et scriptum et præceptum est, diligere proximum. Adduxit ex Paulo ad Corinthios locum, quam necessaria res sit caritas, et quod fides et charitas individuae sorores sint, ita tamen, ut charitas e fidei fonte scaturiginem suam habeat. Item docuit, qui Christus Jesus in extrema cum discipulis cœna mandatum de charitate renovaverit, dicens: «Mandatum novum do vobis, ut diligatis vos invicem. Ex hoc enim agnoscent homines, quod discipuli mei estis, si dilexeritis vos invicem» etc. Item quomodo Christus suos per symbolum charitatis agnosci velit. Item quod dominus noster Jesus ex immensa sua erga nos bonitate et charitate ex testamento corpus et sanguinem suum nobis in cibum donarit, ac paulo post hæc pro nobis semet ipsum victimam sanctam in ara crucis Deo patri obtulerit, et quod in memoriam sui nos panem hunc sumere et calicem bibere jusserit, quo hæc tanta mysteria in penetralibus

cordis nostri summa fide et pietate asservarentur, juxta illud: «An nescitis, quod templum Dei estis vos?» etc. Et de his prolixius disseruit ob papisticam idololatriam, quæ, proh dolor, hoc die rursus vires hic recipere cœpit. Coarguens istam circumlationem hostiæ, de qua ne jota quidem in tota scriptura s. reperitur, cum palam constet purum hominem Deum ex fide agnoscentem aedem auream ipsius esse, qualem puritatem et charitatem nobis largire dignetur omnis dilectionis fons Christus Jesus.

A concione Staculum a Schleben convenire volebamus, verum is domo abierat. Marquardum doctorem obviam habuimus, qui salutatus et rogatus omnia felicem exitum habitura ominatur. Sed facilius est bona polliceri quam præstare.

De pompa et cerealibus festis hodie habitis non est dignum scribere.

Eadem Conradus Milchling e comitatu nostro venit fasciculos aliquot litterarum afferens.

Benedictus Deus qui me meosque et hic et in patria in hunc usque diem incolumes servavit.

Nota de libris græcis e Corcyra insula adductis. Sunt autem volumina 45 in membranis, et sunt scripta Chrysostomi, Gregorii Nizeni, Basilii magni et aliorum classicorum authorum. Res autem de his libris sic se habere fertur. Mercator quidam cum Corcyra insula a Turcis caperetur, navigio elapsus est. Is cum ad oram maris navigaret, intra carecta et juncos marinos naviculam palo alligatam reperit, in qua nihil nisi volumina hæc exportata erant. Mercator itaque ea volumina in navem suam transferens Venetias secum adduxit. Ubi autem rumor hujus thesauri sparsus est, d. Musculus cum magistratu Augustano egit, ut hæc volumina sibi compararent. Qui tanti viri consilium non aspernantes hos libros pro mille fere aureis emi curarunt et Augustam adferri. Vidimus igitur hoc die in Musculi ædibus horum catalogum una et libros aliquot, qui tamen magna ex parte ab eodem Musculo latinitate donati sunt. Wolfgangus Musculus a Dhusa Lothoringiæ oppidulo oriundus est, cujus ingenium quam felix sit, et hinc æstimari potest, quod litteras arabicas sine ullo præceptorum adminiculo et legere et intelligere didicerit.

Eadem dum Staculum a Schleben quæritamus, re ipsa illum hesternæ die in Marchiam ablegatum cognovimus.

Nota de Justo Sophi et Walpurgi.

Nota [de] baronibus de Beuren et Patbergicis vicinis nostris, quorum technæ jam primum sub Octobrem detectæ sunt. Sed auspice Christo devolvebantur in eam quam nobis paraverunt foveam.

Julius ille, cui ab aratro nomen est, dicitur et ipse exarasse interim.

Augustani vigesies quatuor centenos florenos Perenottis, Obernburger et suis asseclis pro litteris pacificationis cum Cæsare dedisse dicuntur.

Justinus Goblerus et Justus Hamerus legum doctores eadem ad nos litteras dedere.

Nota de rumoribus pessimis de comitibus apud nostrates sparsis.

Dieta, quæ nobis in Weimaria contra Guntherum comitem indicta erat, ulterius prorogata est.

Consensum est in sexies centena millia nummum in usus Ferdinandi regis ad munitiones urbium in confinibus Turcarum et in sumptus bellicos.

Ernestus dux a Grobbehagen reversus dicitur.

j Junii Musculus Dhusanus in templo Mauritii rursus ex cap. 15 Joannis hæc verba legit et eadem ecclesiæ inculcare cœpit, scilicet: «Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis maneat et gaudium vestrum impleatur» etc. Hic primum ea in memoriam revocavit, quæ a principio capituli a Christo dicta sunt. Item quo animo Christus hæc dixerit. Non, inquit, sicut ego et mei similes aliqua in medium proferimus, nullam operam dantes, ut ea, quæ audiuntur, ad cor audientium penetrent, sed nobis plus satis est tantum dixisse et tanquam pensum alsolvisse etc. At domino nostro Jesu Christo non satisfaciebat si vel semel aut bis allocutus fuerit discipulos, sed subinde eadem ruminauit et illis inculcabat, quo animos illorum emolliret, attraheret et sibi devinciret. Locutus est autem eis quomodo ipse sit vitis vera, illi palmites etc. Item de palmitate ferente fructum et non ferente, item de utriusque palmitis profectu et commodis, item de præmiis fructum ferentis et præmiis arescentis palmitis, item de dilectione patris in Christum et dilectione Christi in ipsos, nec non de dilectione reciproca discipulorum erga dominum, et quæ utilitates nobis ex hac dilectione contigerint, scilicet redemptio salutis et vita æterna. Monuit autem omnes magistratus et principes, concionatores, patresfamilias, præceptores denique et omnes qui aliis imperare, jubere aut præesse habent, ut Christi domini exemplum in hoc imitarentur, ut, quæ subditis dicerent, aut

quæ docuerint, eo animo et dicant et edoceant, ut potius animi subditorum vel discipulorum alliciantur, quam vel cogantur, vel vi adigantur. Christus enim nihil suis sermonibus quæsit, quod ipsi in lucrum cederet aut per quod suæ ambitioni satisfaceret etc. Sic superiores procurrent, ut, quæ populo dicuntur, ad hæc destinata sint, ut populus ipse cognoscere queat, hæc animo erga illos benigno et non sua quærentis dicta et populi profectum quæri etc. Nam nobile quoddam est de homine, mavult humanus animus persuasione recti potius duci quam trahi. Nec enim animus erga se præsentis subditorum suorum tyranni habere possunt, qui sine omni humanitate quicquid, quod ipsis solis lucro cedit ac contra æquum et probitatem facit, populo imponunt et vi solum, minis et gladio illum ad talia cogunt. Nam ut surculus seu virgultum ein Wieddeklang etsi vi quo tu voles retortus a te fuerit, si sibi permittatur, rursus in rectum abit, sic quicquid repugnantibus animis fit, tandem in idem revertitur. Repetiit quoque quæ xxx Maji de dilectione monuerat, scilicet, quod pusillanimes dicere possent: Christus in omnibus fuit perfectus, facilis fuit huic dilectio; at mihi omni ex parte malo et peccatori quomodo erit perfecta dilectio? Audis, inquit? Nos miseri in hoc seculo nihil ad perfectum perducere et prorsus nihil, præter velle cupere et optasse Christi præcepta implere, consequi possumus. Huc igitur animum advertite, ut ex corde bono et conscientia munda cupias et optes præcepta Christi implere, deum diligere et proximum, et quisquis pro suo dono, quantum Deus illi concesserit, hæc implere studeat; si qua labaris, ne cursum intermittas. Deinde docuit quomodo gaudium Christi in nobis permaneat et gaudium nostrum in eo compleatur. Voluit autem ut operam darent discipuli, quo acceptum per eum gaudium, scilicet patris misericordia, fide et conscientia puritate conservarent. Sic Paulus jubet Philippenses implere suum gaudium. Sic, ait Musculus, et nos, qui hactenus vobis hic Augustæ in verbo domini præfuimus, dicere possemus. Scitis enim cum primum evangelica veritas apud vos elucescere cœpit, quam alacres verbo audiendo fueritis, vobiscum in templa psalteriola aut librum aliquem sacrarum cantionum deferentes novi testamenti codicem in ecclesia inspiciebatis, domi sacra biblia volvebatis, si quando concionis hora instabat, ea frequentia in hac sacra æde eratis, ut vix alicui tardius venienti locus esset. Nunc, nescio qui fiat, vos video negligentiores, in decantandis psalmis remissiores, et rarus est qui novum testamentum secum portet, et dum durior auræ flatus aspirat, multi a veritate rela-

buntur. Rogo igitur et obtestor vos in domino, charissimi, ut ad priorem sedulitatem vestram revertamini, ne nos, qui ad hunc usque diem vobis in verbo domini multo sudore et diligentia præfuimus, inertiam vestram animo recolentes mærore et tristitia marcescamus et gaudium nostrum in vobis completum fiat. Dixit præterea multa sæpius ruminanda et asscribenda, sed (proh dolor) moles negociorum nostrorum memoriam nostram obruit. Da, domine, ut verbum tuum ad medullas cordis mei penetret, foveat illud et in fide ac patientia conservet. Amen.

Eadem a concione palatium Atrebatensis petimus, Leonardum præsuli a cubiculis alloquimur. At præsul dum ad patrem abiret me præteriens intuitus ait: Ego cæsareæ majestati nihil locutus sum de rebus vestris.

Invisimus Nicolaum Maier ac de communi negotio cum eo contulimus. Idem nos donavit libello Isocratis de regno illi a Georgio Neageorgio dato.

Eadem Adolphus Coloniensis archiepiscopus per œconomum suum comites a Waldeck ad cœnam electoriam adesse jussit. Quid ageremus? Mos gerendus est potentioribus, ne crabrones irritatiores reddantur.

Conserva me, domine, qui Danielelem in medio Babylonis ab immunditiis Aegypti custodivisti.

Fratres a prandio Atrebatensem adeunt, qui per Viglium hoc illis responsum dedit, se comitum Waldecensium apud cæsaream majestatem diligentem commendationem habuisse cæsaremque admittere quo unus juniorum comitum ad matrem abeat, ea tamen lege, ut intra mensem aut ipse revertatur aut, quid mater consentiat nec ne, scripto huc significet. Interrogavit autem fratres, num Eubulus quoque jam adesset. Responderunt fratres: Non, nam in hospitio remansit. Tum ait episcopus: Rogo ut illi meo nomine dicatis, me ejus quoque mentionem apud cæsaream majestatem fecisse. At cæsar in proposito suo perseverat nec quicquam hic immutari sinet. Eligendum igitur illi esse, num eam pecuniam pendere velit, an alia via, ut nostis, illi aggredienda est. Si pecuniariam summam dare vult, ad me veniat, et ipsi capitulatio prælegetur.

Eadem Joannes ille Noricus, qui per Pinsingerum apud Atrebatensem agere debebat, nobiscum erat.

Wilhelmus comes a Nassau cum nihil variis sollicitationibus nos proficere animadverteret, consilium dedit, ut patrem Atrebatensis scilicet et dominum a Grandvela rogarem, si is qua apud cæsaream ma-



jestatem pro nobis intercedere vellet, qui ceteris diis opitulatores Jovi proximior esse videatur. Requisite est a nobis et Luderitz, qui omnia pollicitus. Reversus est et Noricus ille, sed nondum opportunitatem nactus est.

Apud Coloniensem ubi primum ipsas aedes accessimus a comite Ottone a Schomberg fratre germano episcopi excepti sumus et in magnum hybernaculum deducti, ubi Ernestus a Solms cum fratre Eberhardo ac filius Gothardi Ketteler equitis, Ernestus quoque a Schomberg et comes Lippiae junior aderant. Archipræsul tandem et ipse veniens summam prae se humanitatem prætulit, optans Eubulo prosperos initi matrimonii successus, qui Eubulus et archipræsuli suam dignitatem felicem esse imprecatus est, addens ut possit fieri quo hæc rerum gubernatio esset ad salutem animæ episcopi. Inter cœnandum lecti erant sermones.

A cœna de variis cum Eubulo contulit mire vulpeculam tegens. Tandem rogatus ab Eubulo, ut pro ipso apud cæsaream majestatem intercederet, composito vultu se sponte id facturum recepit. Nam ad diem dominicam, inquit, inter alios convivas dominus a Grandevela una cum uxore et liberis nobiscum pransurus est, aderit et Atrebatensis. Cum autem temporis comes a Nassau ob valetudinem cœnæ archiepiscopi non intererat.

ij Junii ecclesiastes quidam in templo Minorum ex cap. 14 Joannis concionatus est, nimirum de his verbis Christi: «Et ego rogabo patrem, et alium consolatorem dabit vobis ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec novit eum, vos autem cognovistis eum, quia apud vos manet et vobis erit. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.» Hic ait se posterna die prolixius de his rebus concionatum esse. Paracletum autem spiritum, præter quod consolator sit, etiam illud munus habere, scilicet quod patronus et advocatus sit et is qui interpellet pro aliis. Quamdiu enim Christus in terris conversabatur, ipsemet Christus discipulorum suorum consolator fuit, qui et ipsissimus ac solus mediator inter Deum et hominem; ad cœlos autem ascendens hunc, de quo nunc sermo est, remisit paracletum spiritum illum veritatis. Is nobis nihil præter veritatem loquitur. Adfert et aperit in scriptis apostolicis veritatem quam evangelicam, omne verum ac bonum nos docet ac afflatu suo nos inspirat. Est et alius spiritus de quo Christus Joannis 8 loquitur, vocatus eum latronem ab initio, qui in veritate non permansit. Nam

non erat in eo veritas. Qui cum mendacium loquitur, ex proprio loquitur, quin et ipse ipsum et mendacium est et pater ejus etc. Is spiritus nequam et Sathan quotidie satagit doctrinam illius spiritus veritatis subvertere et omnia, ut nunc in prospectu est, conturbans ac regnans in filiis diffidentiae. Dicitur idem spiritus s. unctio, eo quod hoc spiritu sanctificationis et in reges et in sacerdotes unguimur: Sacerdotes, ut Deo quotidie nos ipsos in Christo sacerdoti summo et regi unico offeramus, mortificantes in hoc spiritu veteris nostri Adami concupiscentias, et opera nec non et preces sanctas Deo offerimus, hoc spiritu s. gemitus nostros adjuvante: Reges, quia in Christo regnamus in libertate spiritus et conscientiae de mundo, carne et diabolo per regem et sacerdotem nostrum Jesum Christum devictis victoriam reportantes. Dicitur et digitus Dei, eo quod Deus pater per hunc spiritum operetur, sicut in Exodo magi Aegyptiaci ulceribus undique infecti exclamarent: Digitus Dei hic est etc. Dicitur et pignus, quod nobis promissus et datus sit, contestans Christum nobis omnia, quae promisit, praestiturum, docens ut certi simus de misericordia Dei et salute nobis per Christum data etc. Est et arrabo conscientiae, quo consignati sumus in filios adoptionis et coheredes Christi. Christus Jesus filius est naturalis Dei patris, nos non natura sed adoptione et consignatione hujus arrabonis sumus facti filii et coheredes, ut liceat nobis in hoc spiritu clamare, Abba pater, eodem spiritu gemitus nostros adjuvante; vocatur et dator munerum, quod tam speciosa dona nobis largiatur, ut est prophetiae donum, donum sanationis, donum constantiae, fidei etc. Non tamen omnibus haec dona largitur, sed singulis prout vult dividit. Hic autem coarguit doctrinam, qua papistae de benignitate Dei homines dubitare jubent, et eam, ait, ex patre mendaciorum diabolo esse. Item quod hoc sacrum pneuma cum patre et filio in una et eadem deitate adorandum sit. Cui semper sit laus et honor et gloria. Clausit autem concionem collecta et orans pro more Mith denn Ehehaltenn. Veni ergo o creator spiritus, consolator mærentium, illustra et rege mentes nostras in his tenebris et perturbationibus, ut Christum Jesum vere agnoscere et in ejus cognitione undique modo instantibus periculis permanere valeamus. Adjuva gemitus nostros ut cum fiducia clamemus Abba pater, conscientias nostras fide et patientia, ne succumbamus coram rugiente leone, corrobora et causam nostram ad nominis Dei gloriam, subjectorum profectum et animae nostrae salutem dispone, qui vivis et regnas cum Deo patre Deoque filio Deus vivus et unus. Amen.

Eadem Liborio injunctum est, ut petitionem apud Atrebatensem renovaret.

Eadem Joannes frater noster Erasmum a Rumhardt in comitatum præmisit, cui ad Schonstadium et Hermannum Nellen litteras dedimus.

Philippus von der Bruggen per famulum »interim« illud repetiit, quod et illi remissum est. Eadem comitem Wilhelmum invisimus, cum quo et pransi sumus.

Vidimus habitationem magistri Glaseri ac illi indicavimus, quæ seniori comiti Hennebergensi perscribenda essent.

Eadem doctor Simon de Mundtbuer in hospitium nostrum venit, qui ajebat, se nos ante annos viginti in libello legentes illi obviam factos. Is nunc Joanni ab Eisenburg archiepiscopo Trevirensi a medicinis est.

Apud comitem a Nassau comitem de Dengen vidimus, qui Budingæ conversari solet. Eadem vidimus histriones cothurnatos sex et petasatos tantæ agilitatis se in gyros et saltationes flectentes, ut antehac unquam viderim, cum pro majori corporis parte nudi essent.

Florus Atrebatensem ante meridiem alloqui non potuit. A prandio autem multis cum eo egit. Verum post petitiones, altricationes et excusationes hoc tandem responsi tulit, Atrebatensem omnia, quæ suarum virium fuerint, diligentissime apud imperatorem egisse, adeo ut pene iram Cæsaris mei ergo incurreret, nec tamen Cæsarem flecti potuisse denuo. Si ipse de alia via cogitare possem, eum libentissime mihi præsidio futurum. Nec quicquam xeniorum aut munerum se ambire dixit. Insuper, inquit, intime illi compatiar. Cum Liborius illi importunitatem suam condonari precaretur, respondet: Non eris mihi molestus, audiam quoties veneris.

Adjutor in opportunitate et spes afflictorum Deus, ne nos deseras. Memento promissionis tuæ, qui per os prophetæ tui dixisti: «In die tribulationis invoca me et ego eruam te.» Tibi peccavimus, ne autem des veritatem tuam ob nostras transgressiones dedecore ab impiis affici. Quis autem ego sum, si non reflexeris in faciem Christi, inspector cordis et scrutator renum, domine? Tu, inquam, nosti, quæ sit afflictio mea. Exaudi me per eum, qui nobis nihil non passus est, dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitata spiritus s. in secula Deus.

Da, domine, ne adversus te caro gloriari possit, me potius in brachio viri quam in tua bonitate sperasse. Scio quidem, pater mi, quod

Aegyptus sit homo et non Deus, sed tu nos sub homines dejecisti. Da patientiam ac fidem ac causam hanc dirige secundum bonitatem tuam magnam. Jussisti enim super te cogitatum nostrum jactare, quare non diffido quin et facies.

Joannes frater noster comes apud Joannem Fridericum electorem cœnatus est, qui in suis periculis (ut est piissimus princeps) etiam aliorum sortem deplorat.

Domine Deus, cui inter innumeras laudes et hoc encomii proprie ascribitur, quod erigis elisos et solvis compeditos, aliquando et hunc tuum famulum I. F. libera, ut confiteatur nomen tuum et magnificentiam tuam celebret. Id enim per totam Germaniam supplex tua ecclesia per eum, cui nihil negaturus es, Jesum Christum dilectum filium tuum, orat.

Funff Augspurger Centner und dreissig ũ hatt der Graff vonn Dengenn gewigenn.

ij Junii in templo Mauriti d. Musculus ex cap. 15 Joannis hunc textum prosecutus est: >Hoc est præceptum meum, ut diligatis vos invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis< etc. Hic multis de charitate docuit et quomodo Christus non solum docuerit, sed et re ipsa præstiterit, et hinc exemplum nos sumere debere. Non enim doctrinam fidei scire sufficere, si non et alteram partem, hoc est, quæ dominus præceperit, et suscipere et doctrinam crucis subire velimus, sicut et ipse dominus dixerit: >Ite prædicantes evangelium docentes eos servare omnia, quæ præcepi vobis.< Item quam enormiter hi, qui unam tantum partem arripiunt, peccent. Item quod Christus non tam præceperit quam exemplo allegerit et quam frustraneum sit homines ad dilectionem sui cogere et quod prius dictum potius magistratum deceat, nimirum animos suorum allicere et cogere et exemplo Christi aliena non sua quærere. Ostendit præterea rem odiosam esse sua solius commoda quærere. Hæc autem doctissime in duas classes digessit, licet nos ea tumultuarie scripserimus. At ait quoque animadvertendum esse, quo tempore Christus hæc dixerit, scilicet sub id temporis cum carnem suam sub pane et sanguinem sub vino in novissima cœna inter discipulos distribuerit, jubens id quoties facerent in memoriam sui fieri, ac postridie id quod dixerat expleturus erat. Atque hic quemque secum expendere jussit hujus immensi beneficii energiam, quidnam sit vitam, rem utpote dulcissimam, pro amico reliquisse. Item quid anima in scripturis dicatur, indicavit. Eos quoque coarguebat, qui somniarunt, hoc loco Christum solis apostolis de dilec-

tionē prædicasse. Perinde ac illud mandatum fuit Christum sacramentum solis apostolis sub utraque specie præbuisse, ceteris non item. Cum Paulus, qui prius persecutor Christi et suorum et postea non ex numero duodecim apostolorum fuit, tamen sacramentum hoc sub utraque specie distribui iussit, contestatus se sic accepisse a domino. Item cum dilectio nobis insit a natura Christum dominum hic magis moderationem dilectionis quam præceptum statuisset. Dilectioni enim hos statuit limites, ut sic se invicem charitate prosequerentur, sicut Christus persecutus est eos. Item quanta hujus dilectionis profunditas esset, quam nemo mortalium verbis eloqui queat. Persentiri tamen eam a nobis aliquo modo posse etc. Deus, qui charitas est, nobis et hanc charitatem donare et in ea perseverare dignetur. Amen.

Eadem Liborium ad comitem a Nassau misimus, ipsi nos comitem a Schomberg convenimus, rogantes ut fratrem suum archipræsulem eorum, quæ nobis pollicitus erat, memor esse vellet, hortaretur.

Eadem Wilhelmus comes a Witgenstein nobiscum pransus est et confestim a prandio Joannes frater noster cum Wendelino Colbehero iter in patriam arripuit, quem Samuel et Eubulus ad stadia aliquot extra Augustam deduxerunt. Pernoctaturus autem erat comes Joannes ad Werdam Danubii, quam incolæ Schwebisch Werdt nominant.

Nota Wendelinus antequam abiret Floro omnium comitum nomine (me tamen inconsulto) edixit, comites posthac expensas pro illo non exposituros. Sed idem Lindio quod Floro.

Venit Henricus Winter, Weneri filius, qui apud Franciscum nobis ex patre fratrem in Anglia annos aliquot fuerat. Nunc autem nudius tertius Augustam cum domino de Habyt Britanniae et Anglorum regis legato advenerat.

Mos ab Anglis servatur ob nescio quas conventiones inter cæsarem et reges, ut Angliæ legatus integro triennio aulam cæsaris subsequatur ac semper præsto sit nec interim nisi magnis de causis ipsi patriam repetere liceat. Finito autem triennio alter mittitur huic succedens, idque sic singulis trienniis legatorum mutatio fit.

Comes Philippus frater noster cum Joanne Friderico electore captivo cœnavit. Cœnæ nostræ Joachimus Hagk intererat. A cœna Joannes comes a Rethberg nos invisit.

Coloniensis in hortis Grandevelam, ejus uxorem et liberos, dominum de Buistri et ejus conjugem, dominum de Lyra, dominum de Aigmont, baronem de Brabantzon et cui primæ debentur Wil-

helmum comitem de Nassau et nescio quos alios sibaritice instructis mensis excepit.

Quia igitur Coloniensis pollicitus erat apud Atrebatensem se pro Eubulo intercessurum et nemo esset, qui monitor apud Wilhelmum comitem existeret, ipse cogebat me his deliciis immiscere ac hortos lynceos perlustrare. Quam primum autem in conspectum Wilhelmi comitis veni, recte se res habent, inquit, nam jam tum feci mentionem tui. Post repotia Atrebatensis me a longe stantem videns detecto capite annuit, ac mox Coloniensis Atrebatensem, Aigmondam et dominum de Lyra seorsim abduxit. Quid factum sit expecto. Qui omnia, ut illi placitum est, disponit, is et hæc negotia misericorditer moderari dignetur. Amen.

iiij Junii in æde Mauritio sacra Joannes Henricus ex capite 3 epistolæ ad Romanos populo prælegit hunc textum: »Præsertim cum sciamus tempus, quod tempestivum sit, nos a somno expergisci. Nunc enim propius adest nobis salus, quam tum, cum credebamus< etc. usque ad finem capituli. Eundem textum christianissime explanans, docens quam prorsus nullam hujus acceptabilis temporis rationem habeamus, adducens huc loca aliqua scripturarum. Item quomodo jam per diutinum tempus in nocte a pseudodoctoribus detenti simus et quid per noctem significaretur, scilicet tempus illud, in quo per omne nefas ambulantes diabolo obedientiam præstitimus necdum agnita luce evangelica nec non agnitione Christi carentes fuimus. Item de extremo hoc tenebrarum tempore et quod hora instet. Producens exemplum de decem virginibus, monens ne stultas imitemur dormientes in adventu sponsi. Item ut jam agnita veritate juxta d. Pauli præscriptum opera tenebrarum deponeremus et arma lucis indueremus. Item cum de vitiis horum temporum dissereret, quomodo ex ebrietate tanquam ex fonte rivi cetera vitia deriventur. Ne autem Christianos vitam cynicam ducere velle existimaretur, inquit, non quod convenire amicos aut honesta symposia agere peccatum sit, non quod bibere et comedere pro delicto habeatur, nam his carere nequimus, sed quod ita potationi operam damus, ita ingluvie et mero ventrem oneramus, ut mox orefes sequantur ac gemitus. Deinde quærantur cubilia juxta proverbium »in vino luxuria,< nec honestis conjugibus nec inuptis virginibus vel parcitur vel suus habetur honos. Qua enim ætate magis ab helluonibus et spurcissimis hominibus virgines vitiatæ sunt, adulteria aut stupra vel majora vel plura commissa quam hac ipsa nostra ætate sunt. Adde quod ejusmodi quam minima pœna

plectuntur, cum maxime intersit eorum, qui ad gubernacula sedent, puniri hæc scelera. Sed quid dicam? ait; res eunt ut possunt (nolebat enim camerinam illam Iberorum et Germanorum quoque acrius movere), absterrens quoque apposita antithesi de ira et contentione, potissimum, cum simus filii pacis et concordiae, ne frena carni nostrae relaxemus, commonefaciens. Nam si illi blandiemur, certe discurret in omne præruptum et præceps vitiorum. Sed Jesum Christum imitemur, quod nobis per eundem dilectum filium suum pater coelestis largiri et in spiritu s. suo regere corda nostra dignetur. Amen.

Eadem Chunrado a Schonstadt litteras ad dominam socrum, charam conjugem et nostros domi relictos dedimus. Glaserus quoque ad Hennebergenses principes perscripsit. Liborium ad comitem Wilhelmum misimus.

Venit Samuel nepos noster illi a nuncio Cattorum principis jam tum in platea præsentibus comite Wilhelmo a Nassau et Joanne Rhetbergio dictum esse, dominam principem ad maritum landtgravium nondum admissam, sed non procul in oppidulo juxta Heilbrun eam adhuc mansitare, huncque nuntium misisse ad impetrandum, quo liber ipsi ad maritum esset aditus, secumque constituisse ex his oris non excederet ni videndi copia ei fieret.

O Fortuna, Fortuna, ut nos pro pila habes. Respice, domine, et miserere; tandem tempus surgendi, veni, domine, et judica terram!

Philippus princeps cum videat se undique delusum ex impatientia et morbo phrænesi laborare metuitur. Spes afflictorum Deus et illi et nobis adesto.

Mauritius dux Saxoniae et gener Cattorum principis simulator maximus consiliarios suos sensim a domina principe amovit.

Eadem licentiatum Nicolaum Maier invisimus.

Comes a Nassau hoc die cum proceribus aliquot aulicis, quos convivio excepturus erat, de negotio nostro agere voluit. Sed postea experti sumus neminem inter cæsareanos esse, qui super contritione Joseph affligeretur.

Eadem Chunradum a Schonstad domum amandavimus.

Joannes a Schonstad Luderitium convenit et idem nobis obviam factus. Permisimus igitur voluntati marchionis electoris, si intercedere pro nobis vellet an secus.

Cæsar per archiducem Maximilianum a senatu Augustano petiit, ut is qui ex concionatoribus de interim illo sinistre locutus esset, casti-

garetur, aut si id a senatu negligeretur, cæsarem hujusmodi ecclesiam coerciturum. Verum nullam in homine causam invenire potuerunt. Ast quid aquilis cum exiguo Musculo?

Batzenhoven pagus est ab Augusta uno aut altero miliari dissidens. Ubi cum bene nummatus aliquis rusticus filiolo suo nuptias faceret, ab eo et Joannes Gessen hospes noster vocatus. Cum autem (ut apud eos Bavaros, quibus Wilhelmus dux præest) sponsa circa altare duceretur et sacrificulus adhuc missitans altari astaret, ipso facto papisticam religionem deridens hospiti nostro et aliis civibus e calice præbuit et eosdem ex ipso calice ad æquales haustus bibere permisit, ut testis est Joannes Gessen et alii Augustani cives fide digni.

Samuel apud Joannem comitem a Retberg cœnavit, nobiscum vero Otto argentarius.

Eadem Wilhelmus senior princeps comes et dominus ab Henneberg responsum Alberti marchionis de Brandenburg supra causa Francisci de Dalwig nobis transmisit.

Juliacenses, Treverenses et nonnulli alii protestati sunt coram statibus imperii de nimia exactione cæsaris. Sed quia durum illis contra stimulum calcitrare, repulsam passi sunt.

v Junii Musculus ex cap. Joann. 15 repetiit: »Præceptum novum do vobis, ut diligatis vos invicem, sicut dilexi vos« etc. Indicans quam boni præceptoris officio Christus dominus functus fuerit, qui nihil præceperit, quod non idem quoque opere impleverit, et quomodo hoc præcepto nostros profectus et nostram salutem quæsierit. Item docuit, quia Christus nos prius dilexerit, nullius vel nostri meriti aut boni operis ergo, sed ex mera sua et gratuita misericordia etiam antequam nati essemus, nos decere, ut dilectionem erga omnes habeamus, etiamsi qui nos vel læserint vel nihil unquam de nobis bene meriti fuerint. Nam bene merentibus benefacere ethnicorum quoque est et nihil (teste ipso domino) magni est. Insuper ostendit quam facile caro nostra superbia titilletur. Exempli gratia. Si cui major honos contigit, si quis ceteris opulentior aut aliis sapientia et eruditione præstat; deus bone quam nauci faciat proximum, cum tamen Christus deus atque rex cœli et terræ sapientia, virtus, mens et imago nec non filius unigenitus dei patris, nos terreos vermiculos omnibus vitiis et putredine scaturientes sua dilectione dignatus sit, adeo ut non solum pro nobis vitam ponere, sed despectissimam mortem crucis pati voluerit. Jussit item ut et ipsius domini exemplo si qua dilectio aut fratris necessitas id exigeret, pericula



non detrectaremus. Dixit quoque, sicut et alios docuit, hanc charitatem, qua Deus nos diligit in dilecto, et qua Christus nos dilexit ac suos invicem se diligere jusserit, esse tam immensam, tam ineffabilem ac nulla non animi admiratione dignam, ut a nulla creatura effari posset. Esse tamen aliqua in hac charitate, quæ utcunque a nobis circumscribi possint, cujusmodi essent, quæ superius dicta sunt. Et post multa Deum ardentibus votis orare jussit, quo nobis hanc dilectionem consequi et in ea permanere contingat. Quod nobis donet dulcis Jesus. Amen.

A concione Eubulus assumpto Floro comitem Wilhelmum adiit, cum quo et jentaculum una cum Ottone et Ernesto de Schomberg et aliis sumptum. Deinde comitis Wilhelmi consilium in negotio nostro petimus, qui, ut virum prudentem et probum decet, ex animo dixit id quod res erat. Visum tamen est illi, non incommodare posse, ut nos rursus Atrebatensis conspectui exhiberemus. Dum autem in curia Atrebatensis cum Floro colloquimur, præsul properanter ad Grandevelam patrem transit. Subsecuti igitur eum usque ad atrium ante cubiculum patris, ubi præstolabamur. Edocti autem a servo præsulem in curia sua in hortis pransurum, abitum ejus expectantes, qui cum prodiret foras ac recta me peteret, dicens: Domine, quid petis? respondi d. v. facile divinare, quid velim, potest, cum omnis mea spes adhuc de gratia d. v. pendeat. Ad hæc ille: Profecto, mi domine comes, ego nihil ulterius possum facere. Nam multo labore eo rem perduxim, ut de quatuordecim milibus ad octo millia descensum sit. Et habeas mihi fidem, non mentior, ego a te jam rogatus altera vice imperatorem adii, conatus, si qua possem animum suæ majestatis erga te emollire. Verum imperator mihi quasi subiratus respondit: Quid, num satis clementiæ me illi exhibuisse putat? quod cum quatuordecim millia exegerim ad octo millia florenorum redigi passus sum? Dicit illi, me semel me ipsum resolvisse (nescio enim quo grammatico repertum sit, resolvere in aula cæsareana usurpari pro eo, quod docti dicunt, hoc mecum decrevi, vel sic animo statui etc., ut novos homines exoticus sermo sequitur), ac sic conclusum penes me esse. Si volet oblatam gratiam acceptare, bene est, si non, aliam, quam illi proponi feci, viam acceptet. Nec enim præter jus me quicquam in eum decreturum certo comperturus est. Cum autem Wolradus iterum atque iterum apud præsulem instaret, quo vel adhuc semel periculum facere dignaretur, si qua apud cæsaream majestatem obtinere posset, summum prædictam minui, respondit: Certe, domine, nihil proficies, sed magis irritabis cæsaream majestatem, et te ipsum longe post-

pones. Veritatem, inquit, dico. Possem obliquis sermonibus te diutius detinere, sed quid? Tu interim et tempus teres et oleum et operam faciendo sumptibus perdes. Cogitandum igitur tibi, ut quamprimum imperatorem reconcilies. Ego autem tertio quod antehac petii urgebam, præsuli per evidentia argumenta demonstrans nec ditionem nec res domesticas ad talem summam congerendam mihi sufficere, quin insuper mihi magis religio foret, si cæsari eam summam daturum me reciperem, cum non esset virium mearum, majorem cæsaris iram in me concitare, quia solvendo non sim etc. Sed his auditis præsul ait: Jam pridem tibi dixi, ut se res habent, nihil possum amplius. Videns igitur Eubulus conclamatum esse, Nequit igitur aliter fieri? dixit Atrebatensis: Profecto, nequit. Tum Eubulus: Ergo Deo omnis causa committenda. Ast ego destructus sum et quasi ad mendicitatem redigor. Condoleo, inquit, tibi præsul ex animo. Et si quid præterea potuissem, prompta voluntas erga te mea non defuit. Ipse enim quam tibi propensus fuerim, vidisti; omnia namque, quæ nunc a me ipse tu audivisti, eadem et his similia heri nobili isti (existimans Liborium ex isto hominum genere esse) retuli. Interroganti igitur ipsum, quid de capitulatione futurum sit, ait, conscribe mihi obligationem et ocyus tibi capitulationem tradam. Sed cum dicerem me modum conscribendarum harum nescire, ipse præsul formam quandam ejus scripti referebat. Rogavi igitur, ut per secretarium suum eam mihi conscribi permitteret. Negavit id fieri posse. Cum vero mensem Julium terminum ad dimidium summæ pendendum nominaret, et ego dicerem id per impossibilitatem fieri non posse, dixit: Des primo quatuor millia. Et posteaquam hinc atque hinc sermones contulissemus, tandem inquit, de terminis si quid boni agere possum, operam meam tibi pollicitor. Et hæc ejus fabulæ catastrophe erat, licet res minime fabulosa sit. Episcopo igitur gratias egi me ipsi ad officia offerens.

Reversus ad hospitium comitis Wilhelmi, narraturus quæ evenissent, contendi, verum is domo aberat. Glasero autem, qui fere in eadem platea mansitabat, injunximus, ut ad seniore[m] de Henneberg, quo in statu res nostræ essent, perscriberet.

Comitem Wilhelmum apud Coloniensem reperiens, huic rem omnem narravimus, rogantes ut audiret a Coloniense, num pro nobis apud Atrebatensem intercedere vellet nec ne. Quod ut comes fecisset, episcopus respondit, inter dies novem aut decem de his nihil fieri posse.

Pransi sumus cum episcopo, ubi aderant comes Wilhelmus a Nassau, Wilhelmus a Witgenstein, Otto a Schomberg, doctor Henricus Hase etc.

A prandio inter famulitium cum episcopo in rus obequitabamus, sed nihil cum eo de his rebus, nescio quo genio repugnante, locuti sumus.

Eadem in loco quodam paludinoso ad oram Lyci fluminis Joannes a Schonstad et ego fere submersi eramus, nisi nos propitium Dei numen (cui laus et gratiarum actio) servasset.

Volebamus Joannem illum Noricum convenire, verum is aliis occupatus erat.

Eadem Hermanno Nello herbarium, item librum Bibliandri et Bullingeri per nunciū a Naumburg transmisimus. Joannes comes a Retberg nobiscum cœnatus est.

vj Junii in templo Minorum concionator quidam sermonem populo fecit ex 2 cap. Joann. apostoli epistolæ 1. »Filioli mei, hæc scribo vobis, ne peccetis, et si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et per hoc scimus, quod cognovimus eum, si jussa illius observamus.« Hic concionator docuit, quid d. Joannes singulis scripserit. His autem verbis illum omnes christianos alloqui ait, jubens nos a peccatis cavere. Posteaquam autem id, quamdiu carnem et sanguinem in hoc mundo circumferimus, fieri nequit, quin alicubi peccemus, hoc d. Joannes remedii ostendit, scilicet quod habeamus apud Deum advocatum unicum, non dicit multos, et ex hoc loco concionator ille eos, qui alios aut plures advocatos implorant aut implorandos putant, severissime corripiebat evidentibus scripturæ testimoniis. Hunc, de quo hic Joannes loquitur, unicum esse mediatorem inter Deum et homines etc. Et ne quis sibi de alio mediatore somniet, Joannes evangelista et apostolus eum ex nomine vocat et exprimit Jesum Christum justum. Item dicebat verbi Dei ministrum bono œconomio similem esse oportere (aut ut suo utar verbis) einem Spietallmeister. Is enim necesse habet, ne ægrotis eosdem quos valentibus cibos apponere procuret, alia quoque fercula infantibus, alia adultis præbet. Ita ecclesiastes refractione legis mentes peccantium remordet et pœnitentiam inculcat, infirmis lac præponit et evangelium lætum nunciū prædicat, sicut Christus pseudodoctores fures et latrones appellat, et prophetæ olim asperioribus verbis in impios invecti sunt. Pœnitentiæ enim doctrina lætitiæ evangelii annexa est, quod et Christus in parabola de eo, qui in latrones inciderat, cui pandochæus vinum et oleum in vulnera infudit, docuit. Primo enim vinum mordacius, hoc est

acerta monitio, deinde dicens, id est salubris evangelii consolatio adhibenda est. Sic et d. Joannes primo monet, ne peccemus, si vero aliquando labi nobis contingit, remedium demonstrat. Addidit et alias optimas hic concionator parzeneses. A concione autem idem predicator hic quod heri d. Musculus culpabat, scilicet populum mox finita concione discedere nec expectare donec ecclesia Deo laudem et gratiarum cationes pro dato verbo decantaret, contempta benedictione ministrorum verbi. Licet enim, ait, homunciones miselli et vobis similes simus, tamen servi dei summi et maximi sumus, et illis nomine necnon ex ipsiusmet verbis vobis benedicimus. Concionatus est hodie et Musculus, cujus concioni Philippus et Joannes fratres nostri una cum Galacteo interfuere.

Hac ipsa die Joannes Hagk et scribae fratrum commissionem Liborii et Melchioris amplius locum habere volebant, in me creditur faba ista sumptuum cadetur.

Misimus Liborium ad Atrebatensem pro capitulatione ac forma obligationis.

Joannes ille Noricus ait, hactenus Pinzingero non obtigisse oportunitatem, verum hac die ipsum aliquid tentaturum, ac spem illi esse bonam.

Domine Jesu, qui nos ab initio dilexisti et ipsa es veritas, ex qua omnis dilectio processit, da nobis vere ex toto corde et te et proximum diligere. Amen.

Insignia Grandevela ejusmodi erant. Clypeus seu scutum superius aquilam glavam <sup>1</sup> alas expandentem habens inferius quasi transversum positas lineas latas bivaricatas albo et nigro colore. Super galeam caput est apri cum pede ejusdem cruentato. Cum igitur d. de Grandevela sibi ipsi quod a caesarea majestate his armis et ornatus et nobilitate donatus sit, congratuletur ac propterea auleis suis passim subter arma hoc symbolum intexterit, scilicet >sic visum est superis,< homo quidam non insulsus addidit >aquilas subjicere porcis,< indicans maximos orbis terrae principes ab humillimis homuncionibus regi.

Verebatur segetes grandine concussas in ea Germaniae parte, quam vulgo das Riesz vocant.

Ernestus comes a Schomberg et m. Sebastianus Glaserus nobiscum pransi sunt. A prandio frater noster Philippus et ego amoenitatem horum Lyacii perspeximus.

\*

<sup>1</sup> glaucam?

Eadem Florus rursus a prandio Atrebatensem convenit. Sed surdo fabula canebatur. Pinsingerus quidem bene volebat, verum occasio et nescio quis malus genius illi obstitit.

Marchio Joannes, Joachimi electoris frater, qui Francisci Luneburgensis ducis ditiones, quas cæsar rebellionis ergo ad se pertinere putat, sibi comparasse dicitur, admodum exiguo satellitio hinc multis insalutatis abiisse dicitur.

vij Junii d. Joannes Henricus in æde Mauriti caput 14 epistolæ ad Romanos explanare cœpit, legens hæc verba: »Porro eum, qui infirmatur, fide assumite non ad dijudicationes disceptationum. Alius quidem credit vescendum esse quibuslibet, alius autem, qui infirmus est, holeribus vescitur. Qui vescitur non vescentem ne despiciat, et qui non vescitur, vescentem ne judicet. Deus enim illum assumpsit« etc. Hic ostendit hanc epistolam d. Paulum ad Romanos, hoc est Romanensem ecclesiam scripsisse, et quia hæc ex gentibus et Judæis congregata erat, gentes evangelica libertate utentes quibuslibet cibus vescebantur, qui autem ex Judaismo erant, judaicarum cærimoniarum assueti ab iis, quæ in lege prohibita erant, abstinebant nec tam illico libertati evangelicæ subscribere potuerunt. Orta igitur inter hos duos populos contentione et altero alium contemnente vel se ipsum aliis præferente, d. Paulus coactus est singulare caput in hac epistola de hisce rebus conscribere, docens quomodo utraque gens se in hoc gereret ac se ipsum Paulus conciliatorem ac doctorem in medio interposuit, docens quoque quo pacto infirmus in fide sustentandus sit etc. Quod autem omnia munda sint mundis, ecclesiastes ex verbis Christi: »Non quod intrat in os coinquinat hominem« etc. probavit. Adducens in hoc ipsum et alios aliquot scripturarum locos. Ita tamen de suscipiendis infirmis docuit, ne refractis et obstinatis petulantia locus pateret. Item conducibile videri ajebat, et nostro hoc ævo Paulum aliquem exurgere, qui controversiam religionis ea qua Paulus probitate componeret. Deus optimus maximus, ut quotidie in fide et puritate fidei robustiores facti infirmos quoque suscipiamus, donet, ac ut nulli alienius scandali ansa sed exemplum in ædificationem simus. Idque per Jesum Christum dominum nostrum, qui cum eodem patre et sancto spiritu benedictus in secula.

Joannes marchio nec tegumentum illud, quod vulgo cœlum vocant, in die corporis Christi gestare, nec Interim illi subscribere voluisse dicitur.

Da, domine, quod fit, ut juxta voluntatem tuam fiat.

D. Viglius comitatus Waldeck octo esse oppidula et quæ ex hisce quisque comitum teneret, novit. Interrogavit quoque Eubulum, qui fieret ut modo in arce Waldeck commorationem suam non haberet, item quisnam hac ætate eam comitatus partem obtineret, quam olim comes Otto obtinuit. Non quidem de fratre nostro germano piæ memoriæ, sed de eo Ottone, qui in Wetterburga habitabat, loquebatur, qui musculum heredem non reliquerat. Et cum respondissem Waldeckæ ob oppignortos redditus per novercam non esse tantam proventuum, quo perpetuam habitationem istic habere possem. De derelicta hæreditate Ottonis cum latius non interrogaret, et ipse obticui.

Jam tertio res immutata. Nam Seldo jam et recognitionem et capitulationem describi curare injunctum est.

Dum modo hæc modo illa mihi, quæ in cæsarem commiserim, imputarentur, tandem erat qui ex aulicis magnatibus rimarum plenus effutiret, disputationem me quondam cum comite Friderico a Furstenberg Ratisbonæ in colloquio habuisse; eam non minimam nunc esse partem, quod malam gratiam imperatoris inciderim. Hæc autem concertatio sic se habet. Cum anno salutiferæ redemptionis nostræ 1546 jussu Philippi Cattorum principis et ab aliquot ordinibus imperii ad colloquium de controversiis in religione me invito et repugnante animo in auditorem destinatus essem, ac dum in tractatione rerum in dõmo senatoriæ in penitiori hybernaculo, ubi Mauritius ab Hutten episcopus Eichstatisensis et Fridericus comes a Furstenberg dominus in Helgenberg et landtgravius in Bar cæsareæ majestatis nomine præsedissent, ac verbalis ventatio inter d. Martinum Bucerum ex nostris collocutoribus et dominum Petrum a Malvenda, antesignanum papisticorum sive (ut ipsi vocari malebant) cæsareorum collocutorum incidisset, Petrus a Malvenda sic fere loqui exorsus est: Ego vobis perspicue et evidentissimis argumentis vestram fidem, quam vos somniatis, non haberi in scriptura nec unquam a patribus cogitatum, sed esse vanam persuasionem nec quidem esse in rerum natura, demonstrabo. His atrocissimis blasphemis Eubulus commotus nec linguam nec animum continere potuit, sed »Si, inquit, tanto principum et statuum nostrorum impendio hic de una persuasionem agitur, male adsumus. Ac mox ad Fridericum comitem, quem sibi quia et ipse comes esset ad hoc Germanus, cui res Germaniæ plus episcopis et exteris hominibus cordi esse (licet in hoc falsus sit) putabat, sermonem convertens, eo quod idem Fridericus non ex omni parte linguæ latinæ gnarus existeret, germanice conveniens ait: Schwager vünd herr Graff

Friderich, sitzen wir hir, vnnd redenn von schlechtem wohnn Inu sollichenn sachenn: So seint wir wahrlich schwerlich hie. Ad hæc Fridericus torve Eubulum intuens et autoritate sua (si diis placet) usus respondit: Her Grave, wir haben von der Rom. Key. Majestat austrucklich bevelich, das die Colloquentenn sollenn Redenn vnnd nicht die auditornn. Hoc oraculo Eubulus percussus, quasi ex tripode Apollinis profecto, obticit. Labia igitur premit, licet Bucerus, Zog, Schnepfius, Gultlingen nostri collegæ strenue Eubulo calcar addere satagebant, ut apertius cum comite Friderico in harenam descenderet, verum et loco et tempori cessit. Ne tamen Fridericum vel timere, vel mihi ipsi de iis, quæ illi dixeram, male conscius viderer, vel illi non habita dignitatis meæ ratione, maxime in re tam seria palmam tribuere inculparer, post solum consessum recta ipsum adii, licet voluerit declinare viam, dicens: Domine Friderice, certe male me habet, quod hispanus nebulo tam frivole et ridicule de re tam sancta, fide nostra christiana, loquitur. At Fridericus, ut astutam sub pectore vulpem tegit, sermonem nostrum interrumpens, Profecto, ait, mi domine comes, rogo ut mihi hoc condones. Quod enim dixi, ex ratione officii mihi incumberebat dicere, potissimum quia sacra cæsarea majestas serio huc perscripsit, ne auditores in colloquio loqui permitteremus. Sed si cui ex auditoribus cum præsidentibus res sit, is præsidentes ad partem (ut ipse loquebatur, nam et hæc vox modo latina, modo germanica est) alloquatur. Brevibus ergo Eubulus respondit: Mi domine Friderice, rogo et mihi veniam des. Nam res de prora et puppi religionis nostræ et negocium domini nostri Jesu Christi et salutis nostræ agitur, et persancte contestor, ego jam hic ago partes principis hominis, si quis hujus in hoc colloquio minus honestam mentionem faceret, non possem bono stomacho devorare, quo magis nefarii illius Hispani verba animum meum male afficiant. Verum Fridericus nescio quid pro more aulico secum mussitans honorem exhibens dextramque præbens, atque ita ex loco colloquii abitum est. Sed testis mihi καρδιογνώστης ille dominus in die illa magna domini nostri Jesu Christi, quo animo Ratisbonæ hæc gesta sint, qui dubio procul omnibus ostendet, quæ vel perperam, vel insidiosè ab utrisque dicta sunt.

Christophorus et Philippus Seldi patre cive Augustano, qui aurifabrum gessit, et matre ex ejusdem opificii parente procreata nati sunt. Ob felicitatem vero ingenii a Raiemundo Fuggero unice adamati sunt, ejus quoque opera et impensis, posteaquam Augustæ prima elementa litterarum addidicerant, Lugduni Franciæ in doctoratus honorem pro-

vecti sunt, eo dignitatis modo eveci, ut alter, nimirum Philippus, cæsaris vicecancellarium, alter, Christophorus, urbis Augustanæ cancellarium agat.

Ajunt Atrebatensem, doctores et Viglium omnem movisse lapidem, verum cæsarem emolliri non posse, ut summa nobis imposita minuere-tur. Ast hæc superi norunt, non novum est aulicis fumum vendere.

Dominus de Blawe dicitur ad custodiam Marschalci de Schomberg translatus esse, quod remissioris quoddam animi cæsareani signum esse dicitur. Eadem duces duo peditatus militie hac captivi adducti sunt.

Cæsar valetudine affectus dicebatur.

Ferdinandus præter quatuor centies millia alia centena millia a statibus imperii in promptu sibi deponi exigit.

Eadem Dido a Kniephusen nobiscum agere, ut tutelam cognatorum nostrorum comitum de Hoja suscipere vellemus, conabatur, verum cum audiret consilium comitis Wilhelmi et quæ nos negotiorum moles premeret, tandem his supersedit.

Nota quicquid comitum a Waldeck querelas vel privilegia concernit, nunc ex archivis cameræ imperii exquiritur.

Eadem Nicolaum Maier invisimus.

Wilhelmus comes a Witgenstein, Ernestus comes a Schaumberg, Philippus et Eubulus nec non Dido a Kniephausen apud comitem Wilhelmum ab Anaxone pransi sunt.

Viglius apud Coloniensem pransus est.

Eadem electores cæsarem adire, veniam petituri domum abeundi et ad suos remeandi.

vij Junii Wolfgangus Musculus ex cap. 15 Joannis hunc textum >Vos amici mei estis, si feceritis quæcunque ego præcipio vobis. Non posthac vos dico servos, quia servus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, qui omnia, quæ audivi a patre meo, nota feci vobis, enarravit. Dixit itaque Christum dominum duo hæc discipulis proposuisse, scilicet ut mandatum de dilectione observarent et simul quod re ipsa quanta dilectione suos diligeret, utique pro quibus dulcissimam vitam ponere paratus sit, ostenderet. Deinde ut si eum amarent, præcepta ejus servarent, in vera enim amicitia duo hæc convenire debere, primum ut is, qui amat, ejus, quem amat, profectum quærat, et in omnibus eidem bene velit; alterum ut is, qui diligitur, adamantem redamet et mutua gratitudine erga ipsum affectus sit. Nam, inquit, ista



amicitia, quæ lucrum tantum aut solum secundæ fortunæ auram sequitur (prout mundi mos est) ad veram amicitiam nihil facit. Nam et poeta quidam dicere novit: Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur, vulgus amicitias utilitate probat. Ubi vero rerum facies tristior apparuerit, nemo est, qui amicum cognoscat, sicut idem Naso canit: Donec eris felix multos numerabis amicos, tempora si fuerint nubila, solus eris. Talis igitur amicitia, ut dixi, nullius precii est. Christus autem ut remoto omni fæco vere diligit, ita vera dilectione se quoque a nobis prosequi vult. Ex observatione autem eorum, quæ Christus præcepit, non reddimur amici Christi. Nam observatio hæc signum est, quod Christum redamemus, qui nos ex mera charitate et gratuita misericordia etiam tum, cum adhuc alieni ab ipso et peccatores essemus, dilexit etc. Nam filiusfamilias non redditur filius ex observantia erga patrem, sed jam tum filius est et pater eum pro filio ducit. Filius autem hac observantia se patrem diligere ostendit etc. Quod quoque ex illo patet, quod Christus dicit »estis«, non »eritis«. Nam si vera dilectione Christum amaverimus, profecto hæc dilectio non erit mortua, sed voci Christi obedire sataget. Quod vero dixit, posthac vos non dico servos etc., est immensæ bonitatis Christi erga nos miseros vermiculos indicium, cum nos Deus et rex cæli et terræ amicos vocat, qui ne servi quidem tanti principis esse mereamur. Simile est et hoc, quod idem dominus dicit, servum non scire voluntatem domini, at se discipulis voluntatem et omnia, quæ a patre acceperit, annunciasse. Hic Musculus docuit verbi divini auditus quam necessarius sit. Item quam salutare sit, hanc patris voluntatem didicisse, et quod hæc voluntas minime aut ex parietibus pictis aut anilibus fabulis, sed ex auditu evangelii et bibliis sacris quærenda sit. Item quod non sufficiat hanc cognovisse et scire, sed ut eam opere implere conemur, juxta illud, »servus sciens voluntatem domini et non faciens plagis multis vapulabit.« Item quod si quis per incuriam verbi præcones audire nollet, et tamen ignorantiam prætere vellet, hanc ignorantiam non excusare. Hic autem seriam admonitionem ad oves suæ curæ commissas Musculus habuit, dicens: Majores nostri zelum habuerunt ea faciendi, quæ ipsi edocti erant, cum tamen hæc voluntas Dei illis non adeo dilucide ac nobis jam coruscante evangelii luce, Deo laus contigit, indicata fuerit. Sed nos proh dolor tam languidi et tepidi sumus, tementes tantam benignitatem Dei nec ullo zelo vel Dei gloriæ aut nostræ salutis tangimur, patribus declaratio voluntatis Dei, nobis zelus Dei deest. Quapropter pro Christi amore et gloria nos obsecramus meliorem

quam hactenus contigit harum rerum rationem habere velitis. Consolatus est et hic rursus pusillanimes, qui dicere possent: At ego miser homuncio, qui possit præceptorum Christi a me observatio præstari? Cupias, inquit, ex toto corde implere et ora Deum, ut eam voluntatem tibi confirmet, et opere rem aggredi studeto. Et Deus voluntatem, ut dici solet, pro opere acceptabit, et si septies in die lapsus fueris, resurgere conare, Deus enim voluntatem pro opere acceptavit. Nos autem nobis ipsis isto modo non satisfaciamus, sed ex toto corde et omnibus viribus quotidie præcepta Christi implere studeamus. Qui vero nos amasti, Domine, da te redamare, mentem quoque et voluntatem erga te rectam, quo ea, quæ præcepisti, opere implere valeamus, ut Mundus agnoscere possit, quod ex dilectione tui mandata tua observamus, quos de immensa bonitate tua amicos vocare dignatus es, ac nobis spiritum tuum s. et bonum per Christum Jesum dominum nostrum impartiri velis.

Eadem Coloniensis ad arcem suam Velberg abiit. Hunc nepos noster Samuel eo subsecutus est.

Eadem comes Wilhelmus litteras Alberti marchionis a Brandenburg Franciscum a Dalwig concernentes nobis transmisit, cui per Liborium easdem litteras addentes comitis Wilhelmi ab Henneberg remisimus, insuper Liborio, quid nostro nomine a comite Wilhelmo peteret, injungentes etc.

Florus et Philippus frater in rus abiere.

Eadem per Moseon Wormaciensem nobis exhibitæ sunt nœniæ conciliabuli Tridentini. Venimus et eadem ad fontem, qui est in fossa urbis Augustæ non procul a porta sanctæ crucis exeuntibus ad dextram, quem Maximilianus cæsar, ita ut aliquoties ex eo bibere solitus sit, in deliciis habuit, ut testatur inscriptio, quæ habetur in saxo ad parietem fontis.

Sub noctem Liborius notulam illam recognitionis et capitulationis inter cæsarem et me obtulit. Et quanquam per se jam tum nobis gravissima visa sit, tamen doctor Seldus protestatus est, si vel cæsar ipse vel Atrebatensis aliqua in ea mutaturi sint, quæ mihi acerbius viderentur, ne de hoc Seldum incusare velim.

Domine Jesu, angor a dextris et coarctor a sinistris, da resistere et tibi soli fidere, anni enim tui non deficient, ceteri omnes quantumvis potentes ut vestimentum mutabuntur. O rex regum et dominator domine, destrue omnem constructorem et ædificantem non fundatum super

lapidem factum in caput anguli. Et quod modo facere cogor, rogo te, ne mihi in peccatum statuas, sed intercede pro me apud patrem tibi nihil negaturum, ut mandatis eius <sup>1</sup> adhærere possim, et me spiritu tuo sancto fove, qui vivis et regnas cum eodem Deo patre et s. spiritu Deus trinus et unus a principio et nunc et semper.

ix Junii in templo Minorum d. Joannes Henricus ex cap. 1 Joannis 2 hæc verba legit: «Et per hoc scimus quod cognovimus eum, si jussa illius observamus; qui dicit, novi eum et præcepta ejus non servat, mendax est et in eo veritas non est» etc. Hæc, inquit, verba maximi sunt ponderis, quæ licet ob temporis brevitate, vix enim quarta pars horu[m] nobis superest, commode explanare non possimus, tamen paucis excutiemus. Est enim quasi summa totius rei christianæ, quam hic apostolus et evangelista Joannes tribus, ut ajunt, verbis complexus est. Ait enim, in hoc cognoscimur etc. Facile enim est, ut ajunt, dicere se christianum, sed qui fidem in Christum Jesum solam collocare et mandata ejus observare velint paucissimi, in hoc peccant tam qui evangelio adhærere videri volant, quam papistæ hominum genus omnia traditionibus humanis confundentes. Ait autem s. apostolus, si præcepta ejus servaverimus, non cujuslibet præcepta, sed ejus, cujusnam? Domini scilicet liberatoris et servatoris nostri Jesu Christi. Si quis autem præcepta alicujus servare debeat, is necesse habet, ut prius ea et audiat et addiscat. Qui enim servus præceptum domini exequetur, ni prius edoctus fuerit, quale sit præceptum, quod herus eum servare velit. Ut hæc autem perdiscamus, auditu evangelii et frequentatione verbi nobis opus est. Præcepit autem Christus, ut diligeremus eum, sicut ipse dilexit nos, et in dilectione ejus permaneremus, non ad biduum, triduum vel ad semestre tempus, sed usque ad finem perseveraremus; ait quoque amicum in necessitate et morte cognosci juxta vetus Germanorum dictum: Freundt in der Noht, Freundt inn dem Todt, Freundt hinder Rucke, das ist einn feste Brucke, adducens exemplum Hiob, quem omnes amici in necessitate reliquerunt, cum alias domi divitiis afflueret undique stipatus amicis foret. Et quid, inquit, nos experti sumus hoc ævo et anno? Numquid? dum res nobis coruscante evangelii luce ex votis cederent, omnes nobis passim congratulabantur. Deus bone, quantis tripudiis gloriabantur de confederatione foederis evangelici de civitatibus et principibus, qui soli sustentare doctrinam veritatis

\*

1 ejus ?

videbantur. Nunc autem, dum peccato nostro et merito submissiones facti simus et crux adsit, quotus est qui non a nobis resiliat? Quam rarus est, qui vel concionatorem affatu dignetur? Sed hæc fiunt, ut palam fiat, num vere et ex animo nostra nomina veritati dederimus, amici Christi simus et præcepta ejus serio servare voluerimus, aut simulators vel hypocritæ simus, de quibus ait d. Tobias: «Non contemplatur vultum tuum omnis hypocrita.» Et hoc est quod evangelista dicit: «Qui dicit se agnoscere Christum, et præcepta ejus non servat, mendax est et non est in eo veritas.» Hic quoque quam d. Musculus subinde movere solet quæstionem, hanc scilicet movit: Et qui ego miser et peccator possum servare præcepta Christi? Respondit hic idem quod Musculus: Præpara cor tuum domino, velis et cupias ex animo illi in omnibus obedire, et conari pro posse est. Deus per et propter Christum tibi hoc ad impletionem reputabit, quod ex intimis visceribus et velle cupere nobis dulcis ille Jesus largiri dignetur. Amen.

Eadem dum nobiscum statuimus comiti a Nassau capitulationem illam ad legendum exhibere, opportune Massgrel nos ad comitem venire jubens nobis fit obviam. Venientes autem ad comitem a Nassau Wilhelmum comitem a Witgenstein ibidem reperiebamus. Consultum igitur comiti a Nassau visum est jentaculum sumere et Coloniensem in arce Velberck adire, periculum facturi, an jam tertio apud Atrebatensem agere velit, si numerus minui posset. Paruimus igitur ipsius consilio ac circa decimam antemeridianam eo venientes archiepiscopum in ædicula quadam ante pontem arcis sedentem invenimus, qui conspecto comite Wilhelmo illi obviam processit nobis quoque dextram porrigens. Erant in comitatu Wilhelmi comitis Vitus a Veldtburg satrapas in Vian-den et Stephanus medicus a Bredaa, Wilhelmus a Witgenstein et Wolradus apud archiepiscopum præter reliquos aulicos Otto comes a Schaumburg, germanus episcopi frater, Ernestus et Eberhardus comites a Solms, Simon a Lippia comes ac doctor Simon de Montebur, qui Treverensi episcopo a medicinis est, erant. Mox igitur mensa apparatus et opipare pransum est, archiepiscopus se ibidem longe alium, quam Augustæ fuerat, præbuit. Rogavit quoque ut Wilhelmus comes et nos ceteri cœnam quoque cum ipso sumeremus, in quo illi morem nos gessuros polliciti sumus.

A prandio archiepiscopus extra arcem nos ceteris ipsum comitantibus in pontem, deinde in pomœrium vernatum ibat, ubi pueri episcopales saltationibus et palæstra se exercere jussi sunt. Episcopus quo-

que fritillo tempus cum Velbergk et Stephano fefellit, nihil tamen potatum, sed honestissime lusum est.

Instante hora cœnæ rursus laute viximus nec quisquam mensæ archiepiscopi præter eos, qui in comitatu Wilhelmi fuerant, assederunt. Potatum quidem est largius, ita tamen ut modus adhiberetur.

A cœna archiepiscopus Wilhelmum comitem ad currum usque deduxit. Inde et nos archiepiscopo valedicentes rogabamus ut, quod comes Wilhelmus nostri nomine ab eo petierat, præstare vellet. Spem bonam dedit. Consensus igitur equis Augustam repetimus. Dum autem ad Wernitziam amnem venimus, rusticus quidam nobis obviam venit, præmonens vada fluminis exundatione aquarum dirupta esse. Nam cum eo die cœlum sudum esset et solis splendor acrior, alpinæ nives sole confectæ in Lycum diffuentes in ceteros fluvios se exonerarunt, et intra parvum hoc temporis spatium, quo in Velberg agebamus, flumen exundari fecerant. Igitur comes Wilhelmus e curru et nos reliqui equis descendentes familiam alia fluminis vada quærere jussimus, ipsi pedestri itinere Augustam usque ocreati contendimus.

Rex Ferdinandus et filius ejus Maximilianus archidux Austriæ ob salubritatem aeris in rus ierant, quos et obequitantes vidimus.

Arcis Velburgæ situs amœnissimus est, qui scilicet Augustam versus ob camporum planitiem jucundissimum prospectum habet, ex alio latere, cum sit super collem ædificata, monticulosa est hortis et viretis nitens non procul a sylvis regis, quæ ferarum feracissimæ sunt.

Est et ad declive montis in planitie templum divæ Redigundæ sacrum, quæ isthac a rusticis colitur, apud quod olim Ferdinandus rex a Carolo fratre Austriæ ducatum accepit et ab eodem in archiducem inauguratus est, quare et magni triumphi ibidem ante annos octo et decem habiti sunt.

Augustam venientes in domo comitis Wilhelmi Ernestus a Schaumberg, Philippus et Samuel a Waldec una erant. Post repotia veniam petentes Waldecciani hospitia sua petunt.

Nota de contentione inter Hacum et Justum me absente habita. Domina princeps ad landtgravium maritum missa dicitur.

Werla Westphaliæ et alia aliquot loca dioceseos Coloniensis ex conflagratione domuum maxima incommoda perpessa sunt.

Archiepiscopus Coloniensis septingentos florenos intra septimanas viginti pro aromatibus et condimentis expendit. Alienum enim ab his Jovis filiis est, famem optimum esse condimentum.

Ketteler nobiles cis Rhenum archiepiscopi Coloniensis in Westphalia archicamerarii sunt.

x Junii in templo Mauritiï hora consueta decantata sunt cantica sacra et potissimum quæ ad animandum plebem Christi in hisce temporibus facerent, qualis est: Nisi Deus erat in nobis, dicat nunc Israel. Item Deus refugium et virtus, et oratio dominica paraphrastica etc. Deinde minister ecclesiæ pro suggestu caput 18 Matthæi prælegit. Habita deinde confessione publica et obsecratione pro ordinibus ecclesiæ etc., post hoc d. ex cap. 15 Joannis hæc verba repetiit: «Non posthac dico vos servos, quia servus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi ex patre meo, nota feci vobis» etc. Primo igitur ait in memoriam revocanda antecedentia dicta, nimirum quod Christus dixerit: Præceptum dedi vobis ut diligatis vos invicem, et quod eis se ipsum hujus præcepti exemplum præbens inquit: Sicut ego dilexi vos, et quam non vulgari dilectione eos diligeret, ex eo patere, quod dicit, majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam det pro amicis suis etc. Quod ipsum et ipso opere postridie ejus diei præstitit. Item quod non solum discipulis sed nobis omnibus præceptum charitatis dederit. Item quod non sit difficile præstare charitatem, infirmos visitare, corpore nudos vestire, esurientem cibare, sitientem potu refocillare, et si quid ejusmodi simile est. Verum omnibus his majus sit, animam pro amico posuisse. Item quod si sic necessitas charitatis christianæ exigit, ne et nos imitari Christum in hoc detrectemus. Item qui fiat, ut Christus apostolis dicat: Posthac non dico vos servos, cum tamen post resurrectionem et ascensionem Christi Paulus de se ipso scribat: Paulus vocatus apostolus et servus Jesu Christi. Sicut nec non Joannes in apocalypsi de se ipso loquens: Joannes servus Jesu Christi etc. Adde his, quod Christus apostolis, quamquam eos amicos vocarit, præcepta dederit, cum tamen præcipere non sit amici sed domini. Sed hanc hujus rei solutionem esse ait Musculus, quod Christus apostolos non servos dicat. Sed quamvis sint peccatores et infimæ sortis homines, tamen pro amicis, non pro servis ducturus sit. Exempli causa, si quis herus habeat servum, cui ex animo bene velit ac unice diligat ac illi secreta sua concredat, non tanquam servo sed ut amico, licet servus sit etc. Merito autem Jesum dominum vocant, etsi ipsi se ipsos servos dicant, licet ab eodem amici vocentur. Nam tametsi Christus eos amicos dixit et optimo jure eam dignitatem magni momenti ducere debebant, non autem hoc sibi ipsis elatiores evadere

vel supercilia erigere debebant, etiamsi præcepta Christi servarent, juxta illud: Cum feceritis omnia quæ debuistis facere, dicite servi inutilis sumus. Esto enim quod simus amici et fratres Christi, tamen non sumus natura filii, sicut is est, qui est primogenitus patri, verum adopticii sumus. Deus qui nos ducet pro filiis, si Christi præcepta observamus, si noctu diuque in hoc ipsum instemus, nobis autem his non ita blandiamur, ut, relicto verbo et intermissis præceptis Christi, belli nobis homines videamur, ut hæc christianissime et doctissime Musculus concionatus est etc. Ad idem exempli hortatus est quoque servos, si qua dominos commodiores nacti fuerint, qui eos pio animo tractent, ne mox ex hoc superbiant saginatique recalcitrent. Item dominos juxta præceptum Pauli hortatus est, ne servis ut mutis mancipiis utantur, sed meminerint et se dominum in cœlis habere. Item multis de eo dixit, quod Deus ait: Qui servus non scit, quid faciet dominus ejus. Hic munus frugi servi esse descripsit, fideliter hero suo inservire, præceptis ejus obedire, non curiosum esse nec quid dominus suus agat inquirere etc. Amicorum autem longe aliam esse rationem. Nam horum interest facta amicorum scire etc. Item qui fiat ut Christus dixerit: Omnia quæ audivi a patre meo, annunciai vobis, cum scriptum sit ipsum post resurrectionem discipulis aperuisse sensum, ut agnoscerent scripturas, et antehac etiam dixerit: Spiritus ille paracletus docebit vos omnia et vos in omnem veritatem inducet. Hunc nodum ita dissolvit, dominum non omnia aperuisse discipulis, sed ea duntaxat, quæ illis sufficientia ad salutem essent et concernerent voluntatem patris, de incarnatione filii et redemptione salutis etc. Apostolos quoque non omnia scivisse, sed ea quæ ad opus redemptionis facerent. Nam cum interrogarent dominum: Num in tempore hoc restitues regnum Israel? responsum acceperunt: Non est vestrum nosse tempus et articulos temporum. Annotavit et hic de morbo curiositatis humanæ, quæ fere omnibus mortalibus sit peculiaris, quia quod ea quorum interest nostra scire contemnimus, et omnia, quæ supra nos sunt, maxime scire avemus vel avidi sumus, quod et discipulis domini accidisse dicebat, qui parum solliciti de iis, quæ dominus docuerat, contentionem de primatu subiere, quærentes inter se, quisnam in regno cœlorum major futurus sit. Sed retulerunt hi responsum a domino, quo satis eorum ambitiosam curiositatem redargutam constat. Et post multa hac coronide concionem clausit. Nihil esse audivisse verbum, nisi intus in animo spiritus s. gratia auditum vegetet et foveat. Adduxit et exemplum deiparæ virginis, quæ cum

audisset ab angelo: Gratia spiritus s. obumbrabit te, et quod nascetur ex te sanctum filius Dei vocabitur etc. Non mox ipsa superior red-dita est, sed se submittens ait: Ecce ancilla domini etc., cum tamen nihil dubitaverit se futuram matrem Jesu Christi. Item exemplum Abigail, se non extollentis cum mortuo suo marito Nabal a Davide in consortem regni accerseretur, sed humiliata ait: Ecce sit ancilla tua formula ut lavet pedes servorum domini mei etc. 1 Samuelis 25.

Liborium ante meridiem non vidimus. Quæstio de æqualitate computationis.

Eadem hora tertia pomeridiana dominus Joannes Henricus in templo Mauritiæ ex cap. 14 epistolæ ad Romanos de delectu ciborum con-cionatus est, ostendens ecclesiam Romanam ex Judæis et gentibus collectam in articulo de justificatione concordem fuisse, ita ut unam fidem, unum baptisma et unum Deum patrem domini nostri Jesu Christi haberent, in adiaphoris autem inter ipsas coortam contentionem etc. quam d. Paulus ita composuit, ut supra ejusmodi non concertandum doceret. Docuit itaque quam noxia res sit de iis rebus disceptare, quæ fidem vel parum vel nihil concernant. Cum domino, cujus omnes servi sumus, et ante cujus tribunal omnes statuemur, hæc dijudicanda sunt. Nec obticuit, quomodo ii, qui libertatem evangelii hoc ævo non aspernantur, ab adversariis et contemnantur et tractentur. Item quod hi, qui evangelio sua nomina dedisse videri volunt, nocte diuque comessionibus inhiant, nihil donorum Dei cum gratiarum actione sumentes, adducens exemplum divitis evangelici, qui quotidie splendide epulabatur. Item jubens orare Deum, ut dona sua cum gratiarum actione suscipere et iis frui ad nostram necessitatem et nominis ejus gloriam largiri dignetur, idque per Christum dominum nostrum. Amen.

Liborius cum Hoxerianis pransus est.

Comes Wilhelmus rursus Velbergam abierat.

Hoc die in causa nostra desidendum erat. Reddidit Liborio notulam capitulationis, ut cum ea Seldum repeteret.

Eadem cœnatus est nobiscum Henricus Moiss et Joachimus Hack. Inter cœnandum Henricus ab Etdorff a socru et sorore missus litteras quoque ab eisdem deferens. Etdorffium Joannes frater noster in Forchemio invenerat, qui et per hunc nobis rescripsit.

Conradus a Schonstad juxta Harlingam Henrico obviaverat.

xj Junii d. Joannes Henricus ex cap. 14 ad Romanos hunc textum legit: «Nullus enim nostrum sibi ipsi vivit et nullus sibi ipsi moritur.



Nam sive vivimus, domino vivimus, sive morimur, domino morimur. Sive igitur vivamus, sive moriamur, domini sumus. In hoc enim Christus et mortuus est et resurrexit et revixit, ut mortuis ac viventibus dominetur etc. Repetiit primo, quæ hesterno die docuerat. Deinde ait: Utinam probe hæc apostoli verba perpenderemus et verum ac unicum dominum nostrum Jesum Christum agnosceremus, recogitantes, quod is, cui obedientiam præstare tenemur, et non ita invicem nos de rebus frivolis judicaremus. Perpaucissimi ex nobis sunt, qui causam passionis et resurrectionis Christi, quam hic Paulus ponit, considerant, nimirum quod Christus in hunc mundum venit, quod nos redimens vivorum et mortuorum dominaretur. Taceo inquam, quid nobis non de secundo fidei articulo obveniat. Et in Jesum Christum filium dominum nostrum, qui nos tam care comparavit, non sanguine vitulorum et hircorum, sed suo ipsius precioso sanguine, ut ex Paulo ad Corinthios et ex epistola d. Petri prima liquet. Sic quoque baptizati sumus in nomine patris et filii et spiritus s. Hic dominus Jesus datus est nobis pro avvocato, Joann. 2, et unico mediatore. Hunc ob reverentiam suam orantem pro nobis pater exaudiit et quotidie exaudit, nec sunt præter hunc alii vel mediatores vel opitulatores. Ipsum igitur jure optimo nostrum esse agnoscamus, huic serviamus, non solliciti de cibo et potu, qualis is sit, sed demus operam, ut sobrie cum gratiarum actione præterque proximi offendiculum sumamus, hujus enim domini sumus, sive vivimus, sive morimur. De hoc autem solliciti simus, quo ita vitam instituamus, ut coram hujus summi judicis tribunali consistere queamus. Dixit et plura in hanc sententiam etc.

Eadem archidux Maximilianus, Ferdinandi Romanorum regis filius, primum inter tertiam et quartam horas autemeridianas hinc ab Augusta Landtsburgum in Hispanias profecturus abiit, quod Deus opt. max. et optimæ spei adolescenti et Germaniæ bene fortunare dignetur. Est enim principe dignis moribus homo, qui et pietati non adversari videtur. Sed, proh dolor, periculosam profectionem invitus ipse subire dicitur. Sic ferunt fata deorum, ne quid boni habeat Germania. Deducat et reducat eum dominus et ab Iberorum fraude et incredulitate conservet.

De pecunia, pro qua comes Wilhelmus de Henneberg scripsit Noribergam, nihil actum et Etdorff litteras remisit.

Eadem Liborium misimus ad comitem ab Anaxone ob litteras ad marchionem Albertum et causam cum Coloniense.

Coloniensis sub vesperam in urbem reversurus dicitur, et rediit quoque eadem.

Intra portam urbis, quam rubeam appellant, et pomœria in propugnaculis quibusdam super insigniis cæsareæ majestatis et urbis Augustæ in saxo hoc epigramma incisum legimus:

Aurea libertas hæc propugnacula fecit,  
 Hosti ne fiat præda cruenta fero.  
 Sic tamen ut nomen domini fortissima turris  
 Rideat insultus, tormina, tela, faces.  
 Nam nisi sic dominus noster fabricator et urbis  
 Qui struit et vigilat nil nisi vana facit.

Nunc libertas Augustæ fere straminea est, si ut cœptum est progrediretur.

Eadem Dido a Kniephausen nobiscum cœnare voluit, sed nescio qua de causa domi remansit.

Eadem libros octo precationum sacrarum pro aureo uno comparavimus <sup>1</sup>, chronicon item cæsareum Appiani pro quinque florenis aureis, testamentum novum pro septem batzis, Der Leienn Bibell pro quatuor batzis.

Per Joannem Milchlingum comiti a Nassau litteras ad marchionem Albertum transmittendas in causa Dalwigk deferri curavimus.

Eadem Henricus Crafft adduxit Matthiam Zolner e famulatio mercatorum der Kreffter. Is mecum collocutus de invisendis mineris in Isenbergiaco monte non procul a Corbachio sito. Convenimus ut nos idem Matthias in comitatum nostrum tempore opportuno subsequatur.

Cœnati sunt nobiscum m. Sebastianus Glaserus et Joannes Ratzenberger archiepiscopo Trevirensi a poculis.

Wulff Haller ab Hallerstein in inferiori Germania ex civitatibus Saxonie nunc cæsari eam, quam adhuc ex pecunia defensionis (ut vocant) debebant, pro subsidio contra Turcam collegit. Idem Haller ait civitates saxonicas et eas, quas Hansæ vocant, oceano Germanico proximis ob Interim illud tumultuari.

Exurge, o domine, et eum quem dedisti legislatorem, cui omnia in manus contradidisti, Jesum Christum dominum nostrum fac dominari in medio inimicorum suorum, ut sciant tandem reges et principes, quod homines sunt.

Eadem nobis indicatum est per homines non minus pios quam doctos, quomodo se ipsum Joannes Islebius titularit et quam sibimet homo

\*

<sup>1</sup> Lies Astronomicum. Vgl. zum 14 Jun.

bellus visus sit, desciscens a veritate in interitum trahens secum omnes servos ejus Interim.

Dicuntur adhuc centum nobiles ex Cattis et aliis nationibus accersiti, qui pecunia mulctabuntur, quod propugnatoribus veritatis militaverint.

Quidam Italus, qui hactenus primas post duces de Alba in exercitu cæsareano dicitur tenuisse, captivus adductus est. Qui cum ab Italis affando et consolando reverenter hic habitus sit, jam jussu imperatoris prorsus omnibus prohibitus est ad ipsum accessus. Et Itali hujus pedes catenis constricti dicuntur.

Nota de Joanne Ungnaden equite ungarico dicebatur quamvis non infimus consiliariorum Ferdinandi regis sit, tamen conciones ecclesiastiarum evangelicæ professionis frequentare ac palam apud semideos aulicos veritatem defendere, propter quod et brevi missionem habiturus audiet. Procul abhinc, qui vult esse pius.

Eadem doctorem Udalricum Mordteisen convenimus ab eo edocti duces Mauritium nihil consiliariis suis Augustæ post se relictis de nostra causa commisisse eosdemque paucos dies post hinc abituros.

A cœna Marschalcus Luderitz nobis retulit marchionem electorem pollicitum se et nostri mentionem apud cæsarem fieri procurasse et adhuc ut idem fiat jubere velle.

Fratres nostri apud comitem de Nassau et doctorem Carolum Harst parum consilii reperere.

Eadem apud Conradum Fabrum in usum socrus horologiolium fabricari curavimus. Constabit quinque florenos communis monetæ.

Chunradus Foss, Joannes Leidebur, Franciscus Leunick de summa pecuniæ cum cæsareanis harpiis convenere, tam lucrosa res est imperatoris bonis inserviisse.

xij Junii in æde Mauriti Wolgangus Musculus hæc verba ex cap. 15 Joannis legit: »Non vos me elegistis, sed ego elegi vos et constitui vos ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat, ut, quidquid petieritis patrem in nomine meo, det vobis.« Deinde eadem verba peculiariter quodam spiritus s. dono explanavit, dicens hic animadverti debere, quo animo Christus et præcedentia et hæc dixerit, nimirum ut discipulos in mutuam dilectionem attraheret exemplo et exhibitione charitatis suæ erga ipsos etc. Ait quoque d. Augustinum hunc locum quidem de universali electione omnium christifidelium et electorum Dei ad vitam beatam intelligere, sicut et d. Paulus dicit: Quos prædefinierat, hos et

vocavit eos et justificavit etc. Sed ait Musculus, qui locum hunc τῶν ῥητῶν respicit, facile intelligit, hic Christum de peculiari vocatione et electione apostolorum loqui, quos in hoc elegit et constituit, ut evangelium annunciarent, quod et indicatur verbo eatis. Apostolus enim legatus sive nuncius dicitur. Et hic rursus consideranda est bonitas summi et maximi Dei, qui apostolos nihil tale affectantes, nihil quærentes de gratuita sua misericordia ad hoc muneris et tantam dignitatem elegit. Ulterius autem Musculus dominam hic loqui de electione eorum, de quibus Paulus dicit »Quosdam autem apostolos, quosdam evangelistas« etc., qui vocante et urgente deo ipsis invitis evangelium annunciare vocantur. Non, inquit, qui accepta pecunia accurrunt ac manus unguento unguuntur, ut bene sit ventri etc. de quibus propheta ait: Currebant et non mittebant eos. Ait item hanc electionem etiam ad nos ceteros applicari posse, cum deus nos antequam etiam expetierimus, antequam de hoc cogitaverimus, de mera sua bonitate et etiam antequam nati essemus, in Christo elegerit. Justum igitur et æquum esse, ut ipsi in omni loco dominationis suæ gratias de tantis beneficiis agamus, ut consensum nostrum in dilectionem et observantiam Christi præceptorum demus, adducens huc ex deuteronomio Mosen contestantem populum: Testes vos ipsi hodie estis, quod elegeritis dominum etc. Sic et nos monemur meminisse, nos consensum in dilectionem domini dedisse neque unquam a domino deo nostro nos repedare debere etc. ut feratis fructum etc. Hoc est munus apostolicum ut verbo populum ad Christum alliciant et fructus operum charitatis in observantia præceptorum Christi afferant, ne laborent in vanum etc. Hic multis ostendit, quomodo fructus apostolicæ doctrinæ a tempore prædicationis Christi usque in hodiernum diem sub tot persecutionibus, inter tot tyrannides, tribulationes ac hæreticorum errores permanserint. Nam licet, inquit, ecclesiæ, quibus apostoli verbum annunciaverunt, ad quos Paulus, Petrus, Jacobus et Joannes etc. epistolas scripserunt, ubi sunt, nunquid non sub mahometico regno, et tamen inter tot rerum vicissitudines fructus apostolicus adhuc superest. Et apostoli quod in ecclesia Israel agro domini patriarchæ et prophetæ seminarunt in verbo domini, licet populus Judaicus prophetas persecuti sint, occiderint et eorum nomina delere conati sint, messem fecerunt et in horreum domini reportarunt. Tulerunt quoque apostoli domino fructum ex gentibus, de quibus sumus nos, inquit, etiamsi hic per patriarchas et prophetas non fuerit seminatum in verbo domini, apostoli quoque e mundo sublatis sunt, et tamen hodie apostolica doc-

trina viget et fructus eorum in climata orbis terrarum universa germinant. Et ut Eliæ tempore deus sibi adhuc reservavit septem millia in Israel, qui genua coram Baal non flexerant, ita et hac ætate bona nos spes manet <sup>1</sup> aliquos adhuc superesse christianos. Necesse est enim ut cum Christus venerit, aliquam adhuc fidem reliquam futurum. Qui enim fieret Paulum dicere: Nos qui reliqui erimus, non præveniemus eos qui dormiunt, sed mortui suscitabuntur, nos vero immutabimur et cum domino rapiemur in aera etc. Item Christus dicit: Ubi duo erunt in agro una, unus assumetur et alter relinquetur etc. Locutus est autem de his rebus et hoc fructu apostolico et quomodo utcunque sævientibus tyrannis deleri non queant. Ea spiritus gratia ut piis corda præ lætitia gestire visa sint, de eo autem quod Christus ait: »Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis«, ait se proximis concionibus satis superque docuisse. Huc autem nobis respiciendum, ut in observantia et consensu electionis Christi perseverantes animos nostros in promissiones Christi figamus et oremus juxta voluntatem Christi; tum enim nos a patre exauditos iri, nec opus esse hic sollicitum esse de invocatione aliorum patronorum, aut de hac re disputare ac eorum oratione per Christum nobis præscripta luce clarius liqueat, ad quem orare et quid petere debeamus. Idem dominus, rex et liberator noster Jesus Christus mens et imago patris ejusdemque filius unicus et dilectus, qui, cum ipsamet sit veritas, et vere dixit fructum apostolorum mansurum et hactenus fructum apostolicum permanentem conservavit, is nobis et auxilio et præsidio esse velit, ut hunc puræ doctrinæ fructum inconcussa fide et charitate usque ad extremum vitæ halitum persentiamus, nil conterriti tot tyrannorum minis et persecutionibus ac ne priorum doctorum traditionibus nec quoque hæreticorum erroribus seducamur, quo adveniente ipso domino cum ceteris electis ipsi obviam rapiamur in aera, cui nunc et in perpetuum cum deo patre et s. spiritu omnis sit honor, laus et gloria. Amen.

Eadem comparavimus nobis libros duos ænigmatum, quos Hadamarius et collegerat et carmine reddiderat, pro duobus batzis. Unum Etdorffio, alterum Samueli nepoti dono dedimus.

Liborium ad Seldum, Milchlingum ad Luderitium misimus, sed ambo domo abfuerant. Samuel nepos apud Anaxonem cum quibusdam electoribus cœnatus est.

Liborius luxurie suæ illicitæ heteroclytum quoque caput addidit.

\*

1 monet?

xij Junii in templo Mauritii invocato nomine divino Musculus hæc verba legit Joannis 15: »Hæc præcipio vobis, ut diligatis vos mutuo, si mundus vos odit, scitis quod me prius quam vos odio habuerit, si de mundo fuissetis, mundus quod suum est diligeret, quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus« etc. Hic docens Christum dominum iis verbis discipulis idem voluisse indicare, quod prius eos monuerat, jam tertio illis præcipiens, ut mutuo se diligerent, deinde ut recogitarent, quod eos absque eorum vel petitione vel merito elegerit. Ne igitur ob Christum dominum a mundo persequi detrectarent, cum scirent ab initio mundi semper pios ab adultero hoc mundo pessime et acceptos et habitos, ut exemplo sunt tot prophetarum mortes et clades piorum. Dicit itaque, si mundus vos odit, et vocula odium, inquit Musculus, est opposita dilectioni et res quædam ferventissima; qui alium non æque amat, is tamen nihil mali in eum molitur aut cogitat. At qui odit, is omnes animi nervos in hoc intendit, si qua, quem velit periisse, malo afficere possit. Ne autem ob Christum odio haberi discipuli acerbius quid ducerent, dominus addit, »scitis quod me prius odio habuerit mundus«, sicut et Christus alias dixit Joann. 7: »Non potest mundus odisse vos, me autem odit, qui testimonium fero de illo, quod opera ejus mala sunt.« Vocarunt quoque eum Samaritanum et qui dæmonia ejiceret in digito Beelzebub principis dæmoniorum clamant etc. Et quam de causa ita odio fuerit mundo, videlicet ob veritatem, quæ profecto illi acerba est. Nam quod Christus leprosos mundaret, ægrotos sanaret, aquam in vinum mutaret, et ejusmodi omnia miracula ferre potuerunt, se vero corripere et cicatrices ulcerum refricari et annunciari veritatem, sustinere non poterant, perinde ac hodie evenire videmus, omnes cærimonias, quoscunque cultus divinos mundus suffert, quod autem ex verbo domini veritatem illis loquimur, hoc concoquere crudus mundi stomachus nequit. Sententiam quoque s. Cypriani adduxit, qua demonstravit, quam facile homines veritas offendat (sed eam capere non potui ob strepitum tympanorum, nam sub concionis horam semper fere ejusmodi quid fit etc.). Sed dicas forte, durum autem est a mundo prosequi, præsertim cum nihil mali meritis sis, sed certe nimis delicati esse velimus, si odio haberi nolimus, posteaquam dominus ipse et salvator noster tam parricidiali odio a mundo persecutus fuerit. Dum autem mundum dicit, non hos vel illos homines, non hunc ordinem aut istum statum, sed omnes in universum homines comprehendit, quicumque non ob Christum mundo et concupiscentiis ejus renunciant. Vult enim Christus, quia nos elegit,

se mundo a nobis non posthaberi. Videndum autem nobis est, ne hic juxta d. Petri monitionem hæc a mundo ob nequitiam nostram justo odio digni patiamur. Tunc enim vana et frustranea nostra gloriatio foret. Sed quærere quispiam posset, cum Christus dicit, »mundus vos odit«, an hoc dicto etiam velit pontifices et optimates mundi sub nomine mundi concludi. Respondeo, meretricibus et publicanis quodammodo melius cum Christo convenisse, eo quod hoc hominum genus et peccata sua et medicum animarum suarum Christum citius agnoverit, Pharisæi vero et proceres judaici apertissimo odio hunc persecuti sunt, ut etiam evangelista Joannes de Pilato ethnico dixerit, sciens quod propter invidiam tradidissent eum. Hæc igitur scientes, ait Musculus, animos nostros obfirmemus, cum hæc apostolis, patriarchis, prophetis et domino ipsi Christo acciderint, si aliquando et in nostrum sinum influant, ne ægre hoc feramus, sed eum, qui nos prius elegit et quem mundus prius odio habuit, imitemur, obedientiam illi præstemus et a confessa semel veritate non recidamus, quod nobis faveat deus pater per filium suum Jesum. Amen.

Eadem Wilhelmum comitem a Nassau in hospitio archiepiscopi Coloniensis allocuti sumus, qui ait se archiepiscopum nostri ergo convenisse, et illi non præter rem videri, si ad prandium adessem, nam ipsum quoque eo futurum. Prandio igitur Coloniensis præcipue ejus mensæ assidebant abbas a Weingarten, Gervicus, Wilhelmus, comes a Nassau, Eubulus, Otto comes a Schaumberg, Chunradus a Beuneburgk eques, baro a Schonberg, qui marschalcus cæsaris dicitur, Vitus a Velberg.

A prandio der vnbillich Bilck provincialis Carmelitarum ad nos venit, interrogans, nunquid me Ratisbonæ vidisset. Primo respondi me nescire, posteaquam autem eum urgere audivi, annon colloquio interfuissem, respondi: Si tu es ille iniquus æquus (allusi enim ad cognomen ejus) fui istic et te quoque vidi, nec abnego me ibidem fuisse, nec pœnitet. Bilckium autem interrogavi, qui fieret, quod modo macer esset, cum Ratisbonæ obesus fuerit, et nunc totus ater, cum tunc nigræ cucullæ candidam chlamidem superinduxerit? Respondit se nunc in peregrinatione esse et non solere candido vestiri, nisi in gravioribus versaretur. Sed antequam sermo inter nos longius progrediretur, mature comes Wilhelmus missionem ab episcopo petiit, quem ocius subsequuti sumus. Hunc honorem, cum me ad prunas pontificias calefacerem, tum reportavi.

Otthonem et Ernestum comitem a Schaumberg, fratres germanos

archiepiscopi, Henricum comitem a Leuningen et Wilhelmum juniorem a Witgenstein ut cœnæ nostræ interesse dignarentur rogavi.

Liborium fritillo ludentem interrogavi, dum opportune in alea tres notas stare diceret, num his contentus esset, nam heri gloriatus fuit de tribus equis. Eadem hospes noster a nundinis Norlingensibus reversus est.

Comes a Nassau ait archiepiscopum bona adhuc polliceri, verum sollicitando obruendum non esse.

Eadem quinque insignia peditum (ut more germanico loquar), quæ cæsari jam per duos integros annos stipendio meruerant, rursus in menses sex jurarunt. A prandio Etdorffium in hortos amœnissimos Viti Wittich duxi.

Landtgravia noctes tres apud principem maritum commorata est. De landtgravia detractores et nugivendi rumorem sparserunt, eam Augustæ comessationes, repotia nec non et choreas agere; sed novit inspector cordium et non pauci, quam luctus delicias prohibeat.

Perpauci Germani jam considerant quam papistæ animo gestiant, urbem Augustam, ex qua primum confessio ut vocant protestantium prodiit, sub dominatione nefandissima tyrannorum Romanorum nunc palpitantem agere.

Eadem Otthonem et Ernestum fratres germanos archiepiscopi Coloniensis, Wilhelmum comitem a Witgenstein, Martinum baronem de Bolheim, baronem de Schwartzenburg, Didonem de Kniephausen, Joannem comitem a Rethberg, Chunradum Foss de Devoldia, Liborium a Muinchhausen et N. Massgrel, N. von der Horst, magistrum Sebastianum Glaserum, dominum Philippum vonn der Brugken et secretarium quendam marchionis electoris Eubulus, Philippus et Samuel Waldecia comites convivio exceperunt.

xiiij Junii Joannes Henricus in templo Mauritiæ ex cap. 14 epistolæ ad Romanos sequentem d. Pauli sententiam exposuit: »Tu vero cur judicas fratrem tuum? Aut etiam tu cur despicias fratrem tuum? Omnes enim statuemur apud tribunal Christi, scriptum est enim: vivo ego, dicit dominus, mihi sese flectet omne genu et omnis lingua confitebitur Deo. Igitur unus quisque nostrum de se ipso rationem reddet Deo, ne posthac igitur alius alium judicemus.« Igitur principio dixit, quò pacto Paulus hanc disceptationem in ecclesia Romana ex Judæis et gentibus, ut jam sæpius dictum est, collectam, non de articulis fidei, sed de iis quæ sine peccato vel omitti vel fieri poterant, tollere voluerit. Primo Judæum corripiens ait: Tu vero ne judices fratrem (quasi dicat) si libertas conscientia tibi suadet comedere ea quæ in lege communia vocan-



tur, quare non comedis? Si autem non potes adhuc præ infirmitate fidei, oleribus vescere et ne indices eum qui Christo vivens quibuslibet vescitur. Nihil enim hæc ad salutem faciunt. Deinde et gentilem coarguens inquit: Tu cur despicias fratrem? (quasi dicat), num oblitus es, te esse fratrem Judæi confitentis Christum? Cum et is æque ac tu in numerum electorum ascitus sit, nunquid non tibi frater est in domino? Nunquid uterque vestrum solummodo morte Christi salvabitur? An magni aliquid te fecisse putas; si carnibus et cibis vetitis vesci noveris? Parvi domino interest, quos cibos manduces aut non manduces, sed hoc requirit a te, ut donis et datis cum gratiarum actione fruaris ac iisdem non abutaris etc. Ac potius animo tecum recolito, quod pro temet ipso Deo rationem redditurus et coram tribunali Christi sistendus sis, ubi cum steterimus in die illa judicii, is verus scrutator renum, cui patent abscondita cordium, facile omnia dijudicabit, proferens qua fide singuli singula fecerint, tum dico, cum agnos ab hædis dividet. His dicet, venite, illis, ite. Istis scilicet, qui nunc omnia dijudicant ac velut hirci cornupetæ passim obvios quosque petunt etc. Et debemus profecto fratrum infirmitatem sustinere in iis, quæ contra fidem non fiunt. Non enim periculum est his vel illis cibis vesci, sed cum lurconibus, helluonibus, mœchis commiseri, hoc peccatum est. Adduxit et locum Pauli ex Corinth. 1. epistola cap. 8. Ait autem, si in adiaphoris religio consisteret, profecto frustra mortuus est Christus. Missa igitur faciamus ista judicia et demus operam ut fide et puritate cordis instructi supremo illi judici rationem reddere queamus. De reliqua textus parte ad diem sabbati se dicturum recepit.

A concione Samuelem nepotem nostrum jentaculum in hospitio sumentem reperi et mox sub horam nonam eundem ad Lyci usque fluenta profecturum in patriam deduximus, prosperum iter et omnia fausta ipsi precantes, injungentes quæ patri Philippo nostri nomine diceret ac eidem, quod nuncius, quem ante discessum suum amandaverat, nondum reversus fuerat, aureos viginti mutuo dedimus, Waldecie recepturi, quod et bona fide factum est. Rogavimus quoque eundem ut uxoris nostræ et filiolæ Catharinæ, cujus baptismatis susceptor fuit, curam cum tota dinastia nostra sibi commendatam esse velit. Obtulit præterea tam per Joannem Hacum illi a secretis, quam per semet ipsum, si summa pecuniaria, quam cæsar a nobis exigeret, minui non posset, nec patrem nec se mihi defuturum, quo levius ea summa corraderetur. Præter hæc petiit ut omnibus viribus in hoc incumbere velim, ne qua comita-

tus noster durius premeretur aut in capitulatione (ut vocant) quid me facturum reciperem, unde libertati nostræ vel privilegiis aliquid periculi esse posset. Rogavit quoque cognatus noster, ut comiti a Nassau pecuniam, quam huc missurus esset, taleros, si recte memini, ducentos afferrem eidemque ejus nomine gratias agerem. Hæc omnia libentissime facturum me recepi, modo quid precibus obtineri posset. Respondit, pro virili agerem, sin minus illi certo persuasum esse, patrem suum æque in omnia, quibus me astricturus essem, consensurum quoque, obnixè et fratrem nostrum Philippum non minus ac me deprecans, ne quam vel ejus vel patris mentionem faceremus. Respondi, quæ res ferebat, Christum rogans, ut sospitem ipsum ad nostros deduceret, Augustamque repetii. Astronomicum Cæsareum Appiani Hermanno Nello tradendum nepos noster secum asportavit, quos secum ex paterna familia Augustam adduxerat, omnes, Christo gratia, incolumes secum abduxit, licet Dymarus ab equo calcitratus fuerit, Helvetium vero illi a pedibus ante dies aliquot liberaliter dimiserat. Deducat illum Samuelem angelus Jacob et beatum illum faciat dominus, ut suis sit in patria pater et in virum juxta cor domini evadat. Amen.

Eadem Liborium Viglium rursus convenire jussimus et ut doctore Seldo notulam illam reportaret. Hac die primum ex Etdorffio audivi, caballum meum, quo ipse vehi solebam, visum amisisse et alium Herenbreitingen pene a furcifero quodam furatum fuisse. Qui cum in equo erraret, miselli cujusdam aurigæ equum cum meo lupato freno et ephippio phalerisque abduxit.

Conradus Foss cæsari duo millia et quingentos aureos monetæ currentis in mulctam dabit.

Eadem quendam olim e Dania fugatum episcopum in Constantia urbe et Lunden, qui a septima antemeridiana ad duodecimam tantum ejus diei ægrotans expiravit, cui beatam resurrectionem et propitium deum precamur, in dominicum Augustæ deportarunt, nescio quas cæremonias funebres super ejus exuvias celebrantes. Quibus peractis funus in locum secretiorem cum sarcophago seponentes ac postea sarcophagum curru imponentes illud juxta Constantiam tumulandum deportarunt. Fuit hic episcopus nomine tantum nec unquam episcopatum suorum compos fuit, verum aliunde gratia cæsaris redditus aliquot habuit, aulam cæsaris secutus, cui olim gratissimus fuit, nisi Grandevelæ, ne suam auctoritatem amitterent, eum aula amovissent.

Eadem Florus Viglium, Seldum et omnes fere consiliarios imperia-

les allocutus est, quorum fere eadem et una erat sententia, metuere se, imperatorem de imposita mihi summa nihil minuiturum. Quin et doctor Hase Atrebatensi me non nisi quartam partem comitatus et eam per novercam egregie oppignoratam mihi solam reliquam esse indicaverat. Dixerunt quoque consiliarii, summam, quam ipsi nobis imposuerint, multo tolerabiliorem esse. Verum illos clam esse quo vel instigatore aut quamnam ob causam cæsar per se summam tam iniquam a me exigeret, nam quicquid ageretur, id cæsarem in propria persona statuuisse. Adde quod Viglius præ ceteris mentionem mei faciebat et me præ ceteris in militia infestiorum cæsari ostendisse.

Coloniensis eadem cæsarem adiit pollicitus se nostri apud eundem mentionem facturum, quod etiam credo.

Dum Samuelem deducerem, comes a Nassau per puerum suum nos accersiri iusserat.

xv Junii d. Wolfgangus Musculus hæc verba legit ex cap. 15 Joannis: »Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est diligeret, quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea vos odit mundus« etc. Hic ait quomodo Christus priori argumento discipulos monuerit, ut respicientes dominum, quomodo ipse a mundo exceptus sit, ne mox animo consternarentur, si forte odia mundi in se senserint. Nec enim mundum acceptores vel assertores veritatis aliter vel suscepisse vel posthac suscepturum esse. Magnæ autem consolationi nobis est, si sciamus dominum ipsum, apostolos et prophetas non solum persecutionem passos, sed et occisos a mundo et hanc persecutionem nobis cum talibus esse communem. Est enim quiddam, si quispiam singularis pietatis et summæ eruditionis vir ad civitatem aliquam a rege quopiam, principe vel republica mittatur, optime consulat et is quoque huic civitati ex animo consultum vellet et hic tamen legatus pro sua recta voluntate et tantis beneficiis convicia et plagas accipiat, si sciat antehac ab eadem civitate et aliis bonis viris eandem mercedem pro sua probitate redditam etc. Addit et Christus alterum argumentum: Si de mundo fuissetis etc. Hic autem Musculus varias quæstiones movit, quomodo Christus dicat, si de mundo fuissetis, cum apostoli in mundo nati et ex mundanis parentibus geniti et in ipso, donec viri robustæ ætatis forent, educati et præterea passim in mundo conversati sint etc. Verum has quæstiones ita dissolvit, ut hæc de spiritu mundi dicta esse ostenderet. Nam spiritui mundi cum spiritu apostolorum nihil convenit. Quemadmodum et apostolus ait: Non enim accepistis spiritum mundi hujus etc. Spiritus enim mundi semper

quæ apparent appetit, ut sunt opum cupido, splendor divitiarum, auri et argenti ostentatio, fastus, luxus, avaritia et superbia. Item in religione amat cæremonias, ornamenta auro et argento colorata, cum spiritus Christi et apostolorum deum in veritate quæritet, juxta dictum Christi: Mulier, dico tibi, neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem, sed veri adoratores adorabunt eum in spiritu et veritate etc., etiamsi, inquit Musculus, si nihil vel deargentatum, vel deauratum adsit. Mundum autem restitisse spiritui sancto ex actis cap. 7 ex verbis protomartyris Stephani probavit: Vos semper spiritui s. restitistis, sicut patres vestri, ita et vos etc. Quod autem ait, mundum suos diligere etc. Hic multis docuit, quamobrem mundus eos, qui Christo adhærent, nihil prorsus reputet et in quam multis mundus et filii dei per disdiapason discrepent. Quod autem nos de mundo non sumus, id non est nostri meriti, sed ex electione Christi, qui suos ex mera sua bonitate elegit. Christus igitur causam odii expressit. Nec enim Satan calcaneo mulieris et semini ejus adhærentes non inquietare non potest etc. Postquam ad nos et nostra tempora hæc applicasset, Musculus hoc epiphonemate concionem suam clausit: Quia ergo electionis filii nos sumus et non mundus, electori per omnia grati esse studeamus. Quod velit Christus ipse filius dei et homo. Amen.

Liborium ad comitem a Nassau misimus, verum is dixerat, se responsum a Coloniense nondum accepisse. A concione licentiatum Nicolaum Maier, Wulfgangum Musculum et Joannem Henricum allocuti sumus. Maier nobiscum prandere statuit, ast Christophorus dux a Wirtemberg nobis factus obviam ipsum per secretarium suum vocari jussit, ut interim taceam quod illi et alia negocia cum duce erant.

Injunctum est Floro ut cum hospite ageret, si census, qui illi hebdomatim dabatur, minui posset, præsertim quod Joannes frater et Samuel nepos ultra non adessent.

Eadem in horologio ad parietem Mausolei in horto Georgii Joannis Fuggeri hos versus ascriptos legi:

Non secus ac flumen, neque enim consistere flumen  
 Nec brevis hora potest, sed ut unda impellitur unda  
 Urgeturque eadem veniens urgetque priorem:  
 Tempora sic fugiunt pariter pariterque sequuntur.

Eadem nobis pileola duo holoserica comparavimus Etdorffium uno honorantes. Eadem licentiatum Maier ad ducem Udalicum profectum esse comperimus.

Eadem magister Sebastianus Glaserus nobis epistolam domini Philippi Melanthonis ad Christophorum Carlewitz exhibuit ac nobiscum cœnatus est.

Oblata est nobis ecclesiastica reformatio, quæ cum interimente interim prognata est. Tunc edocti sumus quam non pauci sint, qui amicitiam non fide sed successu metiantur.

Hoxeriensis civitas quinque millia florenorum cæsari pendet et centum aureos pro litteris absolutionis et nonaginta in popina cancellariæ. Legimus eadem die transactiones cæsaris hujus Caroli V cum electoribus et statibus imperii super suis hereditariis. Eadem in plateis Augustæ potissimum ante fores papistarum ignes fiebant et choreæ ducebantur in honorem, ut ajebant, d. Viti, arbitror ejus, quem Galli Vit appellant.

xvj Junii in templo Mauricii d. Joannes Henricus reliquum lectionis, quam die Jovis proxime elapsa exponere aggressus est, explanavit, ostendens quomodo d. Paulus in hoc capite 14 non uno argumento contentionem illam futilem ex animis tam Judæorum quam gentium radicitus eximere conatus sit, potissimum judicio Christi illos deterrens. Hoc autem loco idem Joannes Henricus multis potestatem Christi scripturarum testimoniis palam affirmavit, indicans quomodo hic dominus judex vinorum et mortuorum constitutus et quam nullius personæ respector sit. Item quod ventura sit hora illa et dies in qua Christus rex pro tribunali sedens ab omnibus mortalibus vitæ vel perperam vel probe peractæ et dictorum rationem accepturus sit. Et quam benevolus et misericors in eos futurus, qui ex recta voluntate et omni mentis conamine Christo fidentes verbo ejus et mandatis in hac vita obedientiam præstare cupiunt. Rursus quam austerus in eos, qui mundi elementa eligentes omni idolatria, superbia, luxuria et id genus vitiorum contempto eorum salvatore seipsos conspurcarunt. Obiter quoque docens, quale judicium is, qui se æquum judicem præstare dici velit, ferre debeat. Locum autem hunc: Vivo ego dicit dominus, non delector morte impii, quin magis cum revertetur impius in via sua et vixerit. Convertimini de viis vestris malis, cur enim moriemini domus Israelis ex cap. 33 Ezechiele luculenter exposuit. Nos commonefaciens, quia res se sic haberent, ut quisque pro se ipso rationem redditurus sit, caute in hoc seculo ambularemus, unum Jesum Christum redemptorem et salvatorem agnoscentes, quem, si extra ipsum vitam instituerimus, judicem severissimum experturi simus, caventes interim ne invicem nos facile judicemus.

A concione hospitium Wilhelmi comitis, quo jam tum Florus abie-

rat, petimus, comitem in horto deambulantiem reperientes, cui posteaquam diem illam illi faustam precati sumus, ipsum interrogavimus, si quid boni, quod ad negocium nostrum faceret, accepisset. Respondit, prorsus adhuc nihil. Rogavi igitur ut a Coloniense expiscari, si quid factum sit, dignaretur. Quod se promptissime facturum ait, ac mox consurgens archiepiscopum adiit, nobis autem ipsum comitantibus dixit: Ego recta ad Coloniensem ibo et quicquid ex eo cognovero, ocius te rescire faciam. Igitur post horulæ spatium puerum, qui nos ad se venire juberet, misit, quem subsequuti rursus comitem in horto invenimus. Dixit itaque se negocium in utranque partem perpendisse et ut tandem non ita naso, juxta proverbium, suspenderentur, consultum illi videri, quoniam edoctus esset, ea die Coloniensem, quanquam se clam esse deberet, apud dominum de Grandevela pransurum. Darem operam ut per puerum aliquem cum postremus missus mensæ imponeretur, vocarer et tum perfricata fronte Coloniensem in præsentia Grandevelæ accederem rogans, ut apud dominum de Grandevela instaret, ut is apud cæsaream majestatem pro me intercedere velit ac Mæcenatem agere, ne ex omni parte ad restim et summam paupertatem redigerer, et tum ipse audirem, quid responsi Grandevela daret. Si pro me intercedere reciperet, spem adhuc aliquam superesse, sin autem id abnueret, me æque cogniturum, quid pro re facere oporteat. Et si hic animus maxime abhorreret, tamen optimi viri consilium sequi volui. Sub horam igitur undecimam hospitium Grandevelæ adeuntes ibidem in interiore atrio præstolabamur, donec archiepiscopus ex superiori ambulacro, ubi pransi erant, descenderet. Ac ut primum atrium illud, in quo illos expectaram, introierunt, confestim Coloniensem accessi rogans, ut apud illustrem dominum (sic enim vocari amat) de Grandevela intercedere velit, ut pro me apud cæsaream majestatem Mæcenatem, ut superius dictum est, agere vellet. Respondit Coloniensis: Faciam. Putans autem forte me de Atrebatense loqui, mox lacinas vestium Atrebatensis comprehendens ipsum ad fenestram seduxit, instans, ut mihi videbatur, sedulo. Ast Atrebatensis omnia blande moliebatur, quid autem responderit, me latet. Deinde Coloniensis Grandevelæ patri et filiis valedicens equo conscenso Moguntini ædes accessit, ad cujus usque hospitium dominus de Lyra et alter filiorum Grandevelæ unus a dextris alter a sinistris obequitantes ipsum deduxerunt. Quia autem in via Coloniensis nutu nec verbo significabat se mihi responsurum, ad tempus aliquod in hospitio Moguntini moram feci, ac interim Philippus a Stein Augustanus, Bambergensis et Mogun-

tiaci dominici præpositus nobiscum noticiam iniit ac vina prælibavit. Deinde hospitium Wilhelmi repetentes, ut res evenerant illi referebamus, orantes ut ipse ab archiepiscopo sciscitaretur, quidnam Atrebatensis respondisset, quod et se facturum promisit. Apud hunc inter ceteros pransus erat Christophorus princeps a Wirtemberg et comes Montisbellicardi, Petrus a Kunritz, Joannis Friderici electoris marschalcus, Fridericus ab Oettingen, Ottho a Schaumberg, et Wilhelmus a Witgenstein comites.

Eadem emi jussimus pugionem deauratum bilibaldicum in usum Wilhelmi comitis ab Henneberg, quem cum magni emi putaremus, pro uno thalero comparavimus.

Hæccine dies docuit, quam verum sit, ita a natura comparatum esse, ut potentioribus blandiamur, etiamsi eorum animos probe erga nos experti simus, ne de illatis injuriis dicam.

Adest et hic Augustæ Joannes Kessler Kalden Fritzlariensis.

Domine deus, in cujus manu omnes fines terræ sunt nec non et corda regum et principum, qui nosti etiam tuis ex inimicis salutem dare, ne sinas exugi pauperiem eorum, quibus me præesse voluisti, ne calumnietur inter eos nomen tuum et pupilli ac viduæ luceant, memento miserationum tuarum antiquarum et aliquando conversus nos in Christo domino respice, qui tecum et cum s. spiritu vivit et regnat in perpetuum. Amen.

Qui ad Rhenum commorantes huc venerunt, vineas et segetes bonam spem fertilioris anni portendere dicunt.

Eadem nobiscum cœnavit N. a Schwartzenstein, adolescens nobilis ex alicis landtgravii. Hic nobis retulit, quod domina princeps usque in hunc diem Hailprunnæ apud maritum fuerit, et qua humanitate et honore illam Iberi milites acceperint, torneamenta, ut vocant, et ludos militares instituerint ac zonam sericam choreas ducendo inflexerint. Item quod pedissequa principis virgo de Breidenbach ex fumo pulveris tormentarii pene et exanimata et extincta fuerit et quod adhuc in lectica circumvehatur. Item quod Adrianus a Zertzen consueto suo morbo podagra laborat.

Georgius a Molsperg ventris torminibus dirissime cruciatus sit. Doctor Georgius a Beumelberg tibis inflammatione vexetur. Item quod equorum incommoda domina princeps passa sit. Philippum autem principem Eslingam ducendum ait.

Nota de Conopœo in Vuerda ad Danubium principe, vigilibus.

Doctor Medebachius medicus et Paulus tonsor et puer nobilis, quem den Bremer cognominant, et Sebastianus a Witzenhausen adhuc cum principe morantur.

Domine deus, illi commissa sua remitte et libera eum propter eum, qui nos sanguine suo precioso liberavit de diabolo, mundo et carne nostra, conserva et protege ipsum spiritu tuo sancto, ne tantis tribulationibus animo labatur, sed fide erectus de nominis tui magnitudine gloriari cum lætitia in longævum possit. Memento et Friderici servi tui ac Eubuli juxta tuam ipsissimam bonitatem, tui enim sumus et oves pascuæ tuæ, sive vivamus, sive moriamur. O causam defende tuam, tua gloria vincat, non unus instat Pharao, facultates adimunt, ferrum minitantur et undas.

A cœna Philippus frater et ego ad hortos Viti Wittich deambulabamus, qua pompa ab Hansoné Gualtero ab Hirnem equite aurato duces Bavarizæ et Wirtenberg nec non a Braunschwig et nescio quot comites, barones, proceres nec non et choræas nymphas in iisdem hortis convivio exciperentur, visuri. Reversi inde post solis occasum amnis decursu oculos refrigebamus. Supervenit igitur et cognatus noster comes Wilhelmus a Witgenstein junior, inquiring, sibi nuncium a comite Wilhelmo a Nassau ad eos habere, nimirum ut hoc nomine ipsius nobis diceret, archiepiscopum Coloniensem sedulo quidem sicut et ipsemet in domo Grandevellæ vidissem, instituisse, verum Atrebatensem eadem fere Coloniensi, quæ mihi antea responderat, dixisse. Haec igitur, cum nulla melior spes arderet, comitem a Nassau per hunc me rescire voluisse. Utrisque igitur gratias agens, quoniam noctescebat semel atque iterum libato prius vino Wilhelmum cum fausta imprecatione ejus noctis dimisimus, dormitium euntes ac domino curam nostri nostrorumque committentes. Et hic est eventus vanæ exspectationis et aulicæ pollicitationis splendidæ mihi nec ab heri nec ab hodie primum notis. <sup>1</sup> Qui solus conterere nosti brachium excelsi, esto mihi præsidio, tibi enim domino deo patri cum Jesu filio tuo benedicto domino nostro et sacro pneumate omnis debetur honos, potestas et imperium.

Cogimur igitur sententiam ferre, quæ qualis sit, ille, qui cuncta dijudicat, judicet, nostris quidem commissis probe commeruimus hæc, dominus autem sibi beneplacito tempore nec veritatem nec honorem suum minui sinet, per semetipsum enim juravit: Mihi flectetur omne

\*

<sup>1</sup> notus?



genu et omnis lingua Deo confitebitur. Videbunt, sentient, et centuplum eis in sinum eorum retribuetur. Domine, ignosce et nobis et illis.

Cum dñm optio detur, non quod optem, Jesu Christe, ignoro, sed quæ optem hæsito, non enim quod petitur profertur. Faxit vero dominus nobiscum et nominis sui sacrosancti gloriam plebis meæ fidei commissæ profectum et uxorculæ ac nostræ <sup>1</sup> salutem. Hæc autem 74 dies est, quam Augustæ trivimus, addito tamen tempore quod a Waldeck usque ad Augustam in itinere peregrimus.

xvij Junii. In sæde Mauritio sacra is qui in hoc ibidem ordinatus ut posthæc ecclesiastæ munus obeat, caput 19 Matthæi legit, ac solito more ecclesiam ad confessionem et obsecrationem hortatus est. Deinde d. Musculus ex cap. 15 Joannis super hæc verba: «Mementote sermonis, quem ego dixi vobis, non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur, si servaverunt sermonem meum, et vestrum servabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia non noverunt eum qui misit me» [concionatus est].<sup>2</sup> Hic primo ait, quomodo Christus suos præmuniri voluit hisce et similibus sermonibus contra instantem persecutionem. Mementote, inquit Christus, sermonis quem ego dixi vobis (scilicet ejus, quem post lotionem pedum illis dixerat) et hoc loco repetiit «discipulus non est supra magistrum». Fecit enim dominus idem apud Matthæum capite 10. Delicatus autem servus sit oportet, qui ea sufferre nolit, quæ videt domino accidere. Sed Musculus adeo pie ac docte ad eruditionem nostri omnia accommodavit, ut meum non sit omnia perscribere. Si me persecuti fuerint etc. Hic ait persecutionem ex odio proficisci nec esse rem, quæ modum servare sciat. Nam quid non contumeliæ in Christum contulerunt? Numquid non in Deum blasphemarunt, eum dicentes samaritanum dæmonium habentem? etc. Ac denique turpissima crucis morte eum interimunt, et id quam de causa nisi odio? Sed cujus? Nimirum veritatis. Si igitur Christum dominum persecuti sunt, num discipulis parcerent? Quod et factum videmus nec novum est idem piis in hoc mundo accidere. Dicit autem «et vos persequentur», non dicit post multa tempora, sed per accelerationem persequentur ait, q. d.: Jam nunc incipient. At dices prædicabo quidem evangelium ita ut a nemine comprehendi possit et inculpate vivam nec ulla erit illis occasio me persequendi. Quid autem audio? Num illo aliquis sanctior vitæ innocentia Christo major? aut dicendo lenior,

\*

1 ac filiolæ nostræ?

2 Das eingeklammerte fehlt in der hs.

mitior ac magis benignior? Sed nonne pati coactus est, et aliter fieri nequit, quam ut d. Paulus ait. Omnes qui pie vivere in Christo volunt, persecutionem pati oporteat. Qui autem animo secum persecutionem facere destinavit, hic semper aliud et aliud meditatur ac molitur, donec eum, quem persecutum velit, perditum noverit. Nec hoc, inquit Musculus, observatu indignum est, quod Christus Jesus apostolos jam fere per annos quatuor ipsum audientes, ut memores sint sermonis, quem in his et aliis aliquot locis dixerat, admonuit. Voluit autem apostolus hic admonere, ut ingruente persecutioe cogitationes cohiberent horumque verborum memores essent, scilicet quod Christus et prædixerit hæc et ille prius perpessus sit. Debemus et nos sermonibus iis animos obfirmare, ut si qua secus ac sperabamus res acciderint, non statim animos abjiciamus querulantes et murmurantes contra dominum, sed patienter perduremus. Patiens enim terit omnia virtus et perseverantes usque ad finem salvos fieri dixit Christus. Durum autem erat apostolis audire, se persecutionem passuros ab iis hominibus, qui populus Dei dicebantur, qui doctrinam legis tenebant et præterea quod ab his pro hæreticis et seductoribus haberentur, sicut et ipsum dominum seductorem nominabant etc. Concionatus est autem de his multa, quæ hic ascribenda forent. Sed adeo subinde perturbati modo ab aliis sumus, ut pene nobis exciderint.

Domine Jesu, qui veritatis contestandæ et nostræ salutis gratia omnia in hoc mundo pertulisti, da nobis eam mentem, ut et nos cuncta adversa propter nominis tui gloriam patienter perferamus, scientes quod nobis dederis exemplum crucem nostram tollendi et sequendi te, ac ut in afflictionibus cogitationes nostras obfirmemus, iis quos discipulis tuis dixisti sermonibus, scilicet: Servus non est major domino suo. Da, inquam, patientiam, qua adversa omnia superemus, quo de bonitate tua magna in finem usque perseverare queamus, utque tecum compatientes post hac quoque tecum regnemus, qui vivis et regnas cum patre et s. spiritu in omne ævum. Amen.

Eadem Liborium ad doctorem Seldum misimus, audituri quid de provolutione ad cæsaris pedes et de hujusmodi rebus fieret. Qui respondit, imo se putare id quam maxime futurum, tamen pollicitus se ab aliis vel id expiscaturum ac Liborio indicaturum. Remisit quoque Seldus capitulationis exemplar, ut per nostros describeretur ac mea syngrapha subscriberetur.

Pransus est nobiscum Glaserus. Eadem electores et principes

regiis missis interfuere forte ut postremum servitutis missaticæ honorem haberent, cum fama esset paucos post dies et regem et alios hinc abituros. Eadem Glaserus ipse transactionem repetiit.

Eadem Hans von Ruthlingen, qui diu carceribus detentus est, quod Henrico Francorum regi peditatum Germanum conducere voluerit, incusabatur, ruptis vinculis non absque Theseo evasit. Quam ob rem urbis portæ ad meridiem fere oclusæ erant.

xvij Junii. D. Joannes Henricus mane infra quartam et quintam horas ex epistola apostoli Joannis cap. 2 hæc verba legit: »Charissimi, non præceptum novum scribo vobis, sed præceptum vetus quod habuistis ab initio. Præceptum vetus est sermo, quem audistis ab initio. Rursus præceptum novum scribo vobis, quod verum est in ipso, idem verum est et in vobis: quia tenebræ prætereunt et verum lumen jam lucet. Qui dicit se in luce esse et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc« etc. Primo itaque ait d. Joannem mediatorem unum esse et patronum nostrum Jesum Christum ostendisse, et quod non sint nisi duæ viæ, una ad Christum et vitam æternam, altera ad ignem æternum. Deinde quod Joannes Christum imitatus omnia præcepta Dei in unum quasi fasciculum collegerit, fasciculum scilicet charitatis. Movit autem hic quæstionem, quomodo d. Joannes hic dicat: Non novum præceptum do vobis, cum tamen mox subdat, præceptum novum scribo vobis. Charitatis autem præceptum non novum esse arguit, quod etiam Moises fratrem diligere jusserit. Item ex eo, quod idem Moises bovem vicini errantem reducere præcipiat. Item quod propheta dicat, carnem tuam ne despereris. Item ubi præceperit, ut peregrinis bene faciamus. Novum autem dicit dupliciter. Primo eo modo, ut nunc posteaquam evangelium clarius prædicari cœpit, dictum est novam doctrinam exurgere, cum tamen hæc doctrina vetustissima sit eademque fuerat ab initio, sed quia ad tempus aliquod intermissa est, et modo homines ab iis, quæ interea temporis excreverunt, ut sunt adorationes sanctorum, peregrinationes ad loca sancta etc., revocantur ad salutem evangelii, doctrina nova vocatur, sicut et Pauli doctrina nova vocata est, Actor. 17. Alias mandatum novum dicit, quod Christus hoc præceptum discipulis dedit, dicens: Do vobis mandatum novum, ut diligatis vos invicem etc. Et ipse quoque Christus primus fuit, qui opere implevit, cum nemo habuerit majorem charitatem, quam qui dat animam pro amicis. Quod autem dicit: Tenebræ præterierunt et novum lumen jam lucet, denotat, quod jam pateat per solum Christum aditus ad vitam æternam, et faciendum est

nobis perinde ac Abraam fecit, qui sacrificaturus domino in monte Morya Isaac filium suum adduxit in montem, servis et camelis ad radices montis relictis. Sic et nos oportet solum Christum patri ostentare et fidem in illum statuere et ejus charitati inniti, nostris imaginationibus et fictis operibus longe a tergo relictis, quemadmodum et hic d. Joannes ait: Qui dicit se in luce esse et fratrem suum odit, in tenebris est. Si enim, inquit, parietes coloribus illiniri curem et fratris necessitati non subvenio, nondum in luce, sed in ipsissimis tenebris ambulo. Christus enim ad judicium veniens non sciscitabitur a me, quot collegia regio apparatu splendida construxerim, aut hujusmodi quid egerim, verum inquiet, esurivi et dedistis mihi manducare, sitim passus sum, et potum mihi dedisti, nudus fui etc. Et e contra. Quæ autem sit vera charitas ex Paulo, Corinth. capite 13. Et quod Christus ad scribam illum dixerat: Diliges proximum sicut te ipsum, hoc enim est lex et mandatum. Et postremo quod Moises totam legem ad regulam charitatis inflexerit. Ac quod ad hanc regulam quasi ad amussim omnes vitæ nostræ actiones dirigendæ sunt etc. docuit. Dominus Jesus, qui unicus omnis pietatis scopus prora et puppis, nos spiritu suo bono dirigat, ut omnes vitæ nostræ cogitatus et actus ad regulam charitatis dirigere queamus et quo ad patrem perveniamus per filium et in omnibus proximo in ædificationem serviamus, cui uni trinoque deo sit fausta potestas.

Eadem Glaserum et Liborium ad nos accersebamus consultantes de capitulatione susque deque re perpensa unam et eandem eorum et domini Nicolai Mayer sententiam esse comperimus, præsertim quod ad uxorculæ litteras et auri mineras attinebat.

Liborium ad Seldum remisimus cum capitulatione, si forte termini solutionis prorogari possent et articulus, quod omnes querelæ ad cæsarem referendæ essent, mitigari.

Eadem in aula domus senatorum Augustæ vidimus doctorem Nicolaum Eck a Landeck supremum consiliarium Wilhelmi Bauarorum ducis insignem illum virum (si diis placet), qui strenue evangelicæ veritati usque in hunc diem restitit, ut testis est omnis superior Bavaria ac Arnoldorum domus in Neuenburgo ad Danabium funditus excisæ.

Causa dilati edicti est, quod civitates aliquot contra quosdam articulos supplicarunt.

Justus Kolbecher urgendus erat, ut diutius œconomi officium subiret, idque ad dies octo se facturum recepit.

Albertus comes a Mansfeldt vix salvum conductum consequetur.

Liborius capitulationem jam tertio reportavit et nihil in ea mutari passi sunt. Jusserant vero Viglius et Seldus, ut eam ad mundum describi curarem. Rogatus est igitur Lindius, qui eam in membranis descripsit, et ne gratis puniret illi thalerum dedi ipso tamen refragante.

Anno elapso Christophorus comes ab Altenburg et Dido ab Kniephausen in usum Friderici comitis Palatini decem milia peditum stipendiis conduxerant. Sed opera Cattorum principis hic exercitus distractus est, ita ut Liborius Monichusen cæsari et Friderico Christophorus cum suis supplemento exercitus essent.

Nota de litteris vp der Vheinde Landt etc.

De prosternatione ante cæsarem adhuc in dubio est.

xix Junii, quæ est dies audientiarum (ut vocant) in castro Wald-  
eck. Faxit deus ut suus honos ibidem quæretur. Eadem inquit infra  
sextam et septimam horas Wolfgangus Musculus ex cap. 15 Joannis  
evangelistæ hæc verba recitavit: »Sed hæc omnia facient vobis propter  
nomen meum, quia non noverunt eum, qui misit me« etc. Hic dixit quo-  
modo dominus suos ad instantem persecutionem cohortatus sit et quibus  
argumentis eorum animos confirmarit, se elapsa die dominica in duabus  
concionibus exposuisse. Nunc autem ea, quæ prælecta sint, probe excu-  
tere oportere. Paucis igitur præfatis hunc sermonem, nimirum de em-  
phasi verborum »hæc omnia facient vobis« etc. quæ sint hæc omnia ag-  
gressus est. Ait autem per hæc verba de tribus potissimum dominum  
dixisse, scilicet de genuino mundi et suorum in eos odio, de persecutione,  
et quod verbum apud eos non sit habiturum locum nec ullo modo id  
suscepturi vel illi obedientiam præstituri sint. Præterea perquam scite  
odii energiam et quæ ex hoc enascantur indicavit. Nam ex odio pro-  
rumpunt convicia, detractiones, mendacia et quicquid hujus lernæ vitio-  
rum est, sicuti dici solet. Os inimici veritatem non loquitur, odder wie  
mun redt vff vnnsere Sprach: Des viendts Mundt redt seltenn die Wahr-  
heitt. Et hoc ipsum ex historiis sacris probavit, et potissimum quanta  
scelera olim Judæi Christo per invidiam et mendacium objecerint, quale  
fuit illud, ut cum dominum coram Pilato accusant, ipsum censum cæsari  
dare prohibuisse et sermonem ejus inverterint, cum Christus dixisset:  
Date, quæ sunt cæsaris, cæsari, et quæ sunt dei, deo. Et hoc loco ser-  
monem intersecans Musculus (Hoc ipsum enim æquum est et sic facere  
debet, nimirum ut cæsar tanquam cæsar agnoscat et quæ illi debentur  
dentur quoque, deo autem ea, quæ dei sunt et dei gloriam concernunt)  
ac sic inceptum sermonem prosequens ait: Sicut et hoc mendacii

in Christum finxerunt: Seduxit populum docens a Galilæa usque huc. Item commentum de destructione templi et alia innumera mendaciorum et criminum etc. Item ut eadem ante Christum prophetis patribus evenerint. Adduxit quoque locum Tertulliani martyris, quo refertur, quibus conviciis christiani a gentibus affecti sint ac quam probrosa illis nomina indiderint, scilicet eos vocantes scelestos, incestuosos, eo quod mentirentur christianos, qui interdum ob persecutores convenire non possent, noctu ad lucernas congregatos, catulis offulas objicere, qui discurrentes candelabra et lumina dejicerent et lampada ardentia extinguerent, et tum christianos incestos coitus nullius sanguinitatis habita ratione et præposteram venerem inire. Item infanticidas, ut qui in ecclesia sua infantem occidere solerent et hujus sanguinis aspersione se expiarent. Item sarmaticos ob palos quibus alligabantur. Item semisseos a semisse. Item desperatos, qui vitam et omnia contemnant. Sicut in nostro ævo nihil non conviciorum, inquit, in nos jacitur et effingitur. Et ut omnia cetera præteream, dicunt nos pro evangelicis vor Evangelische hellische, die evangelische Lehre, die hellische Lehr etc. Odium vero hoc et persecutio ac verbi contemptus a tribus fere hominum generibus fiunt et exequantur a Judæis, ethnicis et pseudochristianis. Sed id ab aliis, aliis de causis ac aliis modis fit. Judæi enim Christum persecuti sunt, non quod hi videri velint qui Christum dominum, quem illi Messiam vocant, persequerentur. Erant enim, ut sibi ipsis videbantur, populus domini, de quo David: Notus est in Judæa Deus et in Israel magnum numen ejus. Sciebant enim tanquam hi, qui habebant scripturas, quod christus domini illis promissus erat, quem et expectare se gloriabantur. Adde quod solos se videri volebant, qui nomen domini magni facerent, nec prætendebant quod Christum eo interficere animo illis sederet, quod magistra veritate eorum vitam corriperet, sed quia (si diis placet) se christum domini mentiretur, cæsari homines immorigeros facere conaretur et quicquid id est, ex quo odii sui perizonia quærebant. Maxime autem quod doctrinam traditionibus et communi usui repugnantem doceret. Hic quoque nonnihil de Arianorum olim in vere Christianos persecutione, qui et ipsi alio prætextu persecuti fuerant, disseruit (Lege Eusebium, ecclesiasticam historiam tripartitam, item Hilarium de persecutione Africæ). Ethnici vero vel gentiles Christianos suppliciis afficiebant, nihil morantes verusne an pseudochristus esset, quem apostoli annunciabant et ceteri Christi fideles confitebantur. Hi enim nec libros legis, nec scripturas sacras aut prophetas veritatem annunci-

antes habebant. Licet enim teste d. Paulo Deum ex elementis mundi et creatione rerum agnoverint, tamen ut et ab eodem ad Rom. I culpantur, non ut Deum vel glorificaverunt vel honorarunt. Quare et hi consultore Sathana ob veritatem christifideles enormibus suppliciis et crudelissimo martyrio affixerunt. Pseudo vero christiani nihil minus sibi imputari sinunt, quam quod Christum et suos ob id quod Christo nomina dederint et Christi voluntatem annuncient, persequantur, sed alias causas crudelitati et nequitiae suæ prætendunt (hoc autem putavit, quod de Arianis per Musculum versa pagina dictum scripsi) scilicet quod sint homines seditionis amantes, traditioni patrum refragantes et illum qui modo est ecclesiæ usus perturbantes etc. Ita et nostro seculo non in nos sæviunt, quod evangelium annunciemus, sed quod simus hæretici, qui vere veritatem prædicent. Hæc autem solatio nobis esse debent, quod Christus dixit: Hæc omnia propter nomen meum facient vobis, quod digni habeantur <sup>1</sup> hæc pati propter nomen domini. Addit quoque quid esset ob nomen domini vel etiam nomen domini. Certum est enim servum fidelem et odio et persecutionibus ob nomen domini sui obnoxium esse. Donet autem Deus optimus maximus ut fide firma et patientia christiana nihil ob nominis domini et veritatis agnitionem sufferre detrectemus, recogitantes, quod ipse salvator noster a mundo et suis persecutiones passus sit, et apostoli et martyres ante nos, ut perseverantes <sup>2</sup> in finem ut cujus passionem participes simus, ejus quoque gaudia persentiamus. Id te, summe pater, per Jesum Christum dominum et liberatorem nostrum unicum filium tuum humiliter deprecamur, cum quo tibi et sancto spiritui sempiternus sit honor, laus et gloria in cuncta secula seculorum. Amen.

Eadem a concione in hoc templo d. Mauritii optimum virum d. Jacobum Sturm alloquuti sumus, ac quo in statu res nostræ essent illi exposuimus, ac cum eo quod ab ipso et aliis auditur Ratisbonæ in colloquio nominatus essem, ac quid mihi ex ea profecione contigerit, contuli. Qui ait: Et quid in ea re peccare potuisti? nisi quod principi tuo ea quæ tenebaris facere, faceres. Sed sic res se habet, nam ipse, inquit, mirum in modum civitatibus metuo, nam nunc inter saxum et lapidem stamus, juxta proverbium. Cæsar enim commotior in nos objicit, videre se nihil sua erga nos clementia, nihil precibus vel bello quoque hactenus profecisse, quare sibi bellum suscipiendum videret priore multo crude-

\*

1 habeamur?      2 et perseverantes?

lius etc. Nam supprimi debet is, qui modo est, religionis status. Quid faciemus tandem? Et ita a templo Mauricii invicem sermonem protulimus donec in forum ante domum senatoriam in latum illud spatium, ubi a dextris patibulum, a sinistris ædificiolum istud ex asseribus compactum, in quo Vogelsbergius capite plexus erat, devenimus. Novit deus inspector cordis, quis sintontes aut non. Re ipsa tamen comperimus magis infestas esse summas potestates erga veritatem amplectentes. Quia igitur hora accesserat, qua curiam consultandi gratia petunt, domino Jacobo me ad amicitiam et officia obtuli, rogans ut Martiño Bucero meo nomine salutem diceret. O tempora, o mores! Respice, o deus, in faciem Christi tui et memento promissionis tuæ, qui fallere nequis. Dixisti enim, misericordiam tuam te non ablaturum a posteris et coheredibus Davidis illius mystici filii tui Jesu benedicti. Cito, cito nos anticipent misericordiæ tuæ, pauperiores enim sumus, quam ipsi agnoscere queamus. Verum tua sancta voluntas fiat. Amen.

Eadem ante concionem infra quintam et septimam horas capitulationem manus meæ subscriptione et annulo signatorio in hospitio nostro corroboravimus (rex regnum adverte) ac eam Liborio doctoribus Viglio et Seldo offerendam dedimas, qui utrosque una reperit dicens, capitulationem quidem ut jussissent per me subscriptam, attamen me bonam spem concepisse et idipsum quoque me ab eis petere, ut si qua posset fieri, summa minueretur. Ast manet immobilis Marpesia cautex. Quia autem nihil horum fieri posse cognovi, eos rogavi, ut capitulationem acciperent Atrebatensi per alterum eorum offerendam, quod Viglius Zui-chenus se facturum recepit. Adeuntes autem hi duo Atrebatensem, Viglius, nescio studio an incuria fecerit, ajebat, se domi suæ capitulationis oblitum fuisse. Commode autem accidit, ut Florus ipse Atrebatensem conveniret etc. Ac petiit, ut jam oblata capitulatione res eo dirigi possent, ne diutius, quod utique maximo mearum rerum dispendio fieret, frustra hic detineret, et ut litteræ absolutionis cum articulis aliquot, quos antea Florus mutaverat, conscribi possent. Atrebatensis autem interim gloriatus est, quam egregiam operam nostri ergo navasset. Nosti, inquit, tu domine et ipse vidisti quid egerim, et adhuc non cessabo domini tui profectum quærere. Ac sic Liborio paululum expectare jusso tandem reversus ait: A prandio iterum me convenias cura.

Conatus autem Liborius provolutionem ad pedes cæsaris si qua posset amoliri. Verum episcopus subridens id maxime fieri oportebit, ait; quare hoc tuus comes nolit facere? Faciet profecto, inquit Liborius, si



aliter fieri nequit, obediens per omnia. Sed si non necessarium foret, idem esset. Ad hæc Atrebatensis: Hoc fecit dux Udalricus a Wirtenberg et multi maximi viri, nec ducat comes tuus hoc illi vel dedecori vel oneri esse etc. His Viglius addidit: Certe futurum est, ut omnes comites Waldeccenses coram cæsarea majestate in propria persona veniam deprecari oporteat.

Domine Jesu, cui jussu æterni patris tui omne genu coelestium, terrestrium et inferorum merito ac juste flectitur, da ut ita summæ in terris potestati obediam, ne tuus tamen honor lædatur.

Pinzingerus nihil adhuc effecit. A prandio in hortis Jacobi Adeler deambulamus. Supervenit autem doctor Catzmann Fritzlariensis, qui episcopo ab Hildesheim a secretis et consiliis est.

Inter Dutleben episcopum Hildesheimensem et Henricum seniore ducem a Braunschwig ita fere conventum est, ut episcopus duas partes castrorum et pagorum acciperet et tertiam partem ejus ditionis, quam jure pignoratitio possideret, donec episcopus commode eam pro pecuniæ summa, quam cæsar pro æquo et justo duceret, redimere posset.

Nota vicies centena milia nummùm a subditis Hildesheimensibus Henricus dux ab eo tempore, quo primum hanc episcopatus partem occupavit, corrasisse dicitur. Hæc summa et expensæ litium simul et redditus annui hactenus recepti Henrico duci permanere debebant. Ac Henricus dux quæsita opportunitate Augusta discessit antequam hi processus contractus perfici possent. Idem dux dicitur Goslarienses postliminio duriter affligere.

Dux Ericus a Braunschwig proximis his diebus e balneis Wiesbaden huc cum sua familia totus holosericus rediit.

Eadem Henricus Crafft Augustanus, qui hactenus Justo Colbechero in socium additus erat, per litteras petiit, ut singuli Waldeciani comites quinque vel sex thaleros, quo equum comparare posset, illi mutuo darent, redditurus eam pecuniam ad proximas nundinas francofordianas. Donatus est igitur a Philippo et Eubulo sex thaleris ac servitio liberatus. Verebamur enim, ne ex nundinis francofordianis calendæ græcæ fierent.

Eadem Liborius ad Viglium et Seldum missus est, ut quibus tandem cæremoniis prosternatio ante cæsarem faciendâ esset et quibus verbis deprecatio fieret, item quo tempore, peteret quoque ut litteræ remissoriæ (nam et nostri Germani quod illis bene sit Remissbrieve dicere addiscunt) conscriberentur et prius ad mundum, ut loquantur, scribe-

rentur, nobis eas legendi copia daretur. Seldus de tempore se cogitaturum promisit, et si qua fieri posset, se procuraturum, ut paucissimi adessent, dum ad pedes cæsaris procumberem. Da, domine deus, nos sub potenti manu tua humiliari, hominem autem non aliter ac mortalem revereri. Rediit, proh dolor, rediit Aegyptiorum adoratio.

Eadem Galacteo et Lindio cum hospite de censu hebdomadali agere injunctum est. At hospes consultationem in crastinum petiit.

xx Junii Musculus hora et loco consuetis eadem, quæ heri pro concione legerat, repetiit. Addidit autem iis, quæ hesterno die de persecutione dixerat: Judæi, ut audistis, Christum persecuti sunt, quod non esset verus Messias. Gentes vero nihil morantes verum illum Christum aut Pseudochristum apostoli et martyres confiterentur, sed absque omni differentia quicumque Christo nomina dederint, persequentes supplicii afficerent. Inter pseudochristianos vero et etiam inter nos quidam sunt, qui bona animi intentione et ex toto corde christianos persequuntur, non ob aliud quam quod a nonnullis persuasi sint, eos vivere et docere contra receptam doctrinam et eam, in qua ipsi educati et instituti sunt, ac sic eos, qui vel purissime docent, quod videantur, dum idolatriam et abusus corripiunt ac sinceram doctrinam restitutam cupiunt, ecclesiam perturbare summe persequuntur, zelo quidem, quemadmodum testatur Paulus de Judæis, sed non secundum scientiam. Est autem et adhuc aliud præter hoc persecutorum genus, nimirum eorum, qui se sanctos haberi volunt, ceteris longe eruditiores et in magnis honoribus degunt et qui lucro inhiantes verbo cauponantur, et tametsi probe perspectum habeunt, doctrinam, que prædicatur, sanam et veram esse, tamen quia ventrem pro deo habent et metuunt ne quid vel honoribus suis vel laudibus abcedat (nihil enim aliud sub prætextu religionis quæerunt) hi pertinacissimo odio Christum et suos persequuntur, quales fuerunt pontifices ac pharisæi et scribæ apud Judæos, ad quos Christus ait: Væ vobis scribæ ac pharisæi, qui sub prætextu longæ orationis et precum domos viduarum et pupillorum devoratis etc. Et hi semper pietati nocuerunt etiam apud ethnicos. Tales enim et erant aurifabri, qui fabricabant arculas et delubra Dianæ illi Ephesiæ, Actor. 19 etc. Tales et hodie nostri sunt adversarii, omnia sanctitati suæ tribuentes et suo ventri metuentes. Secundum vero hoc persecutorum genus est, qui destinato animo scientes et sui lucri ac honoris gratia agnitæ veritati contradicunt et ejus assertores clausis, ut dicitur, oculis persequuntur. Horum salus desperanda est et jam nunc in laqueo diaboli et damnatione per-

petua sunt. Deinde digressus Musculus ad hanc sententiam enucleandam: Quia non noverunt me neque eum qui misit me etc. Hic disputabat qui fieret, ut Christus diceret: Non cognoverunt eum qui misit me, num Judæi non agnovissent? Imo agnoverunt Deum. Nam et teste Paulo ethnici dei notitiam habuerunt.

His adde, quod Judæi legem habuerunt et prophetas. Hic autem triplicem esse cognitionem dei docuit. Primam agnoscere deum, quod creator cœli et terræ sit, omnia agens et fovens, et talis cognitio gentibus quoque quodammodo inerat, maxime autem Judæis. Quod vero deo creatori suo obedire et credere in Christum illis a deo patre missum voluerint ac hoc instituto longissime aberant, sicut Paulus ait: Ore quidem confitentur, sed factis negant. Exempli gratia, si paterfamilias servum quendam habeat, qui herum suum prætereuntem agnosceret dicens: Iste est herus meus. Ubi autem paterfamilias quippiam faciendum injungeret, et is contempto hero jussa abnuat et præceptum ejus susque deque fecerit, nonne huic herus dicturus est: Vis quidem videri famulus meus, at ea quæ jubeo facere renuis, profecto nec me herum tuum esse agnoscis. Talis quidem res prima dei agnitio est. Altera est quod deus quidem agnoscitur esse omnipotens, bonus, misericors et justus et Christum quidem missum a deo, verum quod verus deus et homo nobis venerit in mundum et quod nobis nasci, vivere, pati, mori denique et resurgere voluerit, quo nos per mortem ejus solius vitam æternam consequamur, non credere et alios opitulatores et bona opera quærere. Nec hæc quodque recta dei agnitio est. Sic enim Judæi, Mahometani et specietenus Christiani quærentes deum et agnoscentes, non credentes in Christum missum, et illis ipsum in salvatorem ac propitiatorem unicum datum frustra gloriantur, se deum et nosse et amare. Et quicumque Christum a patre, sicut dictum est, missum, non agnoscunt, hi nec deum patrem etiam ipso Christo teste agnoscunt. Tertia autem et vera dei cognitio hæc est, scire deum patrem ex immensa sua charitate Jesum Christum filium suum unicum in hunc mundum misisse, ut per ipsum et in suo sacrosancto sanguine liberemur a morte, diabolo et inferno, ac ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ac eundem patrem dixisse præcepisseque, ut hunc ipsum Christum audiremus. Et hoc est, quod Christus ait: Quia non cognoverunt eum, qui misit me. Hæc autem cognitio ex largitione spiritus sancti et e supernis venit. Sicut Christus ad patrem ipsum confitentem filium dei ait: Beatus es Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non re-

velavit tibi etc. Licet enim quotidie audiamus de Christo, spiritus autem sanctus intra penetralia cordis nostri non cooperetur, vanus est omnis noster labor. Verendum quoque, quod inter nos sint qui sub redeuntem evangelii doctrinam et coruscante ejus luce novum testamentum legerunt et audierunt, qui psalmos decantarunt, sed nondum hæc corde perceperunt, hi instante, ut nunc fit, persecutione mox a fide desciscunt. Nam in vere confitentibus Christum non est spiritus dissensionis, sed hi potius amore veritatis contemnunt facultates, uxorem, liberos et vitam. Donet nobis Deus constantiam, ut hæc in corde mundo servare, quo fructum in nobis ferant multiplicem, in Christo Jesu queamus. Amen.

Redeuntibus nobis e templo lixæ nobis obviam fiunt, cives duos catenis constrictos secum ducentes. Fama erat esse textores, qui nescio quid sinistre in urbana festa cæsaris, quæ in circumlacione eucharistiæ conviciati erant. Cum autem hi duo non solum mihi viderentur esse ex Augustanis, qui eam idolatriam abominarentur, mecum cogitabam: Dat veniam corvis, vexat censura columbas, et sæpenumero catellam cædi in terrorem leonis.

Comes Wilhelmus equos viginti, corpora septuaginta quotidie alit, cujus sumptus per omne tempus, quod Augustæ commorari coactus est, cum ea pecunia, quæ δωροφύγοις istis danda venit, ad summam triginta millia aureorum computatur.

Gerardus Heddwig legatus regis Ferdinandi semel atque iterum apud Solimanum Turcarum imperatorem fuit, vir vafri ingenii, qui mira arte et novis strophis imperatoris turci vafriciem et sævitiam non semel delusisse dicitur, ut recte Aeginita cum Cretense commissus dicatur. Quare et sua fraus eum episcopale culmen conscendere fecit.

Non indignum posterorum memoria puto ad id miseræ ditissima totius Europæ Pannonia regna devenisse, ut rex, qui non solum his regnis, sed et fortissimo Bohemorum regno præest, adde qui et Romanorum regis titulo gaudet, si qua Turcæ scribat, ponit vel ut dicam convenientius eum hoc epitheto dignatur: Illustrissimo et potentissimo principi ac domino Solimano Turcarum Asiæ et Græcorum imperatori.

Ungarus quidam magni nominis, quem primo Petri dicunt, qui quod perfidiæ in christianum sanguinem accusatus ad Turcam defecisse dicitur, licet fama sit, ipsum magni rursus Ferdinandi gratiam iniisse.

Induciæ quinquennales inter cæsarem, regem Romanorum et Turcarum regem, item regem Franciæ, ducem Venetum quoque concernunt.

In litteris induciarum quibusvis liber accessus ex Ferdinandi regnis in Turcarum imperio negociationum vel aliarum rerum ergo conceditur et e contra, exceptis tamen gentibus, quas Heydelosen, Martolosen, Viskuken nominant. Provisum est et in his litteris, ut Rixaspides ab utraque parte dominis remittantur. Heydelosen, Martolosen, Viskuken gentes sunt ad terminos Pannoniarum Constantinopolim versus, hominum genus fere sylvestre instar (si fabulis fides habenda) satyris cavernas petrarum et abrupta montium inhabitantes, ex præda et latrociniiis victiantes, qui Christianos in Turciam proficiscentes vel a negociatione redeuntibus dolo aggrediuntur ac furto abducunt, eos vel pendentes, vel facultatibus mulctantes. Dicuntur autem esse homines inermes, apud quos nullus armorum usus sit, præter fustes ligneos vel perticas præacuminatas Turcis æque ac Christianis invisit etc.

Tributum, quod a Ferdinando Turcarum imperatori datur, ad portam sanctam per ministros regios quotannis mittitur.

Turcarum imperator in contractibus hoc exordium servat: Auxilio dei omnipotentis et apostoli nostri sancti Mahomet.

Undecim ducatum barones et nobiles ungarici Turcarum imperatori tributa pendere stipulati sunt.

Zanzeri, Begeboiarii, Zanzegen, Zeugma, Glissa receptacula Heidochiorum.

Datum, ut vocant, litterarum induciarum sic habet: Anno nati apostoli nostri nongentesimo quinquagesimo nono, ultima Octobris; anni vero induciarum jam tres præteriere.

Liborius, ut ipse ajebat, ante meridiem Vigiliam convenire non potuit.

Eadem hortulum animæ a Georgio quodam Norinbergense ab ipso filiabus suis inscriptam et consolationem christifidelium in persecutione per magistrum Vitum Theodorum conscriptam pro domina socru sex batzis comparavi.

Eadem dum ab hospicio Wilhelmi comitis recta per dominicum transeuntis hospitium nostrum petimus, vidimus ante casas cujusdam bibliopolæ in gratiam papistarum imaginem imperatoris turcici ad vivum depictam una cum charta quadam, in qua et effigies optimi principis Joannis Friderici ducis Saxonie etc. electoris deliniata erat, ita prostare, ut uterque alterum, ut ita loquar, intueretur. Volebat autem bibliopola hac pictura ostendere, hos duos et ejusdem ceræ homines esse et christianæ reipublicæ atrocissimos hostes. Verum ne perpetuo optimus princeps derideretur, pro sex batzis utramque picturam emi.

Eadem amanuensis ille attulit scriptum supplicationis civitatum contra intricatum interim, accepit batzos tres.

Eadem primæ fœtus nuper nati interim prostabant et ante meridiem omnia exemplaria distracta sunt. Imprimebantur autem, ne tantus fœtus periret, intra brevi tria millia exemplorum.

Apud comitem a Nassau comes a Zorn, qui et ipse anno superiore expeditioni Boccolmaritæ interfuerat, adfuit. Sertorius Basilæam reversus dicitur.

Aulicus quidam colax dum Carolus cæsar proxima hyeme Ulmæ dies aliquot commoraretur, libellum cæsari attulit a quodam ecclesiaste, ut hic colax retulerat, in contumeliam imperatoris conscriptum, multa deblaterans de famoso hoc libello, existimans, cæsaris animum adversus autorem libri concitatiorem reddere. At cæsar interrogavit, quandonam hic liber conscriptus est? Adulator inquit, proximo elapso Augusto mense scriptum esse. Ad hæc cæsar: Tum adhuc Ulmenses se hostes nostros profitebantur, nunc in gratiam recepti sunt.

Non ex infima plebe homo quidam ajebat, cæsarem nunquam meliore valetudine esse, quam cum in castris degeret, sed nimium constare pillulas, quibus alvus tanti leonis dejiceretur, nimirum principatus, ducatus et comitatus multos etc.

Dominus de Madruschia ante paucos dies consulem Herbrotum, quod ad cæsarem vocatus morbum simulans venire nollet, lecto decumbentem expergefecit, tantum tunica talari super indusium lineum injecta ad hospitium suum deduci jussit ibidemque adhuc in libera custodia detinetur. Sexaginta millia nummùm, ut rumor in aula cæsaris est, pro tanta somnolentia daturus.

Personæ quinque, quarum nomina cæsar sibi in reservatione mentali et scrinio pectoris (ut decretistarum verbis utar) reservavit, in capitulatione augustana non comprehensi sunt, in quos quomodocunque illi libuerit animadvertere liceret.

Vulgi in consules nonnullos ea hic malevolentia esse dicitur, ut eos pro Burgemeister Gurgemeisteros vocent.

xxj Junii in templo Minorum dominus Joannes Henricus ex prima Joannis epistola cap. 2. hæc verba legit: »Ne diligatis mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo, quoniam omne quod est in mundo, veluti concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum et factus vitæ non est ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transit et concupiscentia ejus« etc. Hic primum docuit,

quanta diligentia sanctus hic apostolus omnes homines Christo lucrificare et ad Deum adducere in hac epistola conatus sit, nimirum quod singulis quæ quisque faceret præscriperit, pueris scilicet, provectæ ætatis hominibus et adolescentibus. Nunc autem communem ecclesiam alloquitur admonens ne mundi illicebri se irretiri permittant simulque ostendens quam nullam quidem ætatem superbia deceat. Ac hic concionator aggressionem fecit per singulos status, allegans illud d. Petri: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, quod hæc vita nil nisi vapor et fumus quidem sit. Probe ex scriptura fragilitatem humanæ conditionis depingens. Item quam lenibus de rebus se quisque alteri præferre solent, si quod donum præ ceteris mortalibus a Deo consecutus sit. Jubens tandem ut exemplo junoniæ avis, quæ dum decoloratas pennas intuetur, laudatas ostendit, intumescens ac superbe incedens, nodosos vero pedum suorum articulos, qui lepra conspersi dicuntur, considerans caudam demittit et misere eiulatur. Sic et nos si vel opibus, vel scientia et si quid hujus farinae rebus tumidiores reddamur, animum recolentes cogitemus, quod pulvis et umbra sumus. Hodie, inquit, homo sibi ipsi bellus et magnus videtur, cras forte ægrotans vel hac ipsa die vel perendie terra conditur. Docuit quoque omnia Christi ergo posthabenda esse, liberos quoque et charam conjugem, si Christi honor exigat, negligendos ac juxta d. Pauli sententiam: Qui habent uxores, sint tanquam non habentes. Ait autem non prohiberi, possidere vel habere divitias, modo datis recte utaris et Abrahamum præ oculis habeas et e contra divitem illum epulonem evangelicum. Adjecit quoque neminem posse et Deo et Mammonæ servire. Benignissimus pater cœlestis per filium suum dilectissimum, ut habita ratione fragilitatis nostræ ipsum solum et quem misit in bonum nostri Jesum Christum amare et in humilitate et patientia sancta animos nostros possidere, adjuvante nos spiritu suo sancto valeamus, largiri dignetur. Amen.

Plebiscitum bohemicum est ut qui a baronibus quatuordecim latæ sententiæ contradicat, et honore et corpore periclitetur. Item moris est in Bohemia, ut ubicunque dominis libuerit coloni accepta pecunia et agris et domo cedere cogantur.

Liborio injunctum ut Atrebatensem alloquatur. Ipsum igitur conveniens obnixè deprecatur, ut auxilio esse velit, quo litteræ absolutionis conscriberentur et ad cæsaream majestatem mihi veniam apud eum deprecandi et locus et tempus indicaretur. Primo igitur Atrebatensis renuit, dicens illi modo ad hujusmodi non esse ocium. At Florus nihil

minus precibus instabat, significans, nos omne æs nostrum hic insump-  
 sisse nihilque ultra pecuniarum vel in zona esse vel aliunde corradi  
 posse. Insuper et equos venditum iri. Præsul etsi rem detrectaret ta-  
 men precantis importunitate victus ait, abi et voca dominum tuum ut  
 quam ocissime me subsequatur in palatium cæsaris. Liborius igitur non  
 impigre cucurrit, me hac die nihil minus cogitantem accersit, nec ipse-  
 met ego contabundus arrepta tunica velociter in palatium contendi. Quo  
 cum ventum est, posticum intrantes gradus aliquot conscendimus, Pin-  
 zingerum in ambulacro cubito hæere conspicati. Hunc ergo Florus  
 illico accedens interrogavit de aditu ad præselem. Is jubet ut in hyber-  
 naculum, quod e regione nostri erat, intraremus. Januam igitur pul-  
 santibus primo ostiarius introitu nos prohibuit. Superveniens autem  
 senior quidam ostiarius non solum in hoc hybernaculum sed et in aliud  
 quoque, cujus parietes huic contigui erant, et usque ad atriolum ante  
 cubiculum cæsaris introduxit. In atriolo igitur nobis præstolantibus au-  
 lici proceres adrepere cœperunt. Post breve temporis spacium senior  
 ille cubicularius, qui nos eo introduxerat, e cubili cæsaris rediens ait,  
 Atrebatensem quidem intro apud cæsarem esse, verum cæsarem, non-  
 dum vestibus indutum. Interea Eubulus deo et cogitatione et oratione  
 negotium omne commisit. Tandem Papenheim monoculus marschalcus  
 imperii advenit. Is ex Floro sciscitatus est, quisnam esset illic ad ca-  
 minum astans. Florus respondit esse Wolradum comitem a Waldeck.  
 Rursum marschalcus inquit: Estne hic comes ille, qui se ad cæsaris genua  
 provoluturus est? Respondente Floro: Imo is est, Papenheim nos sa-  
 lutans ait: Domine, tibi machæra deponenda est: Si puer aliquis ad-  
 esset, qui eam tibi asservaret. Ac ipse marschalcus, ut est homo vere  
 probus et simplicioris ingenii, Adrianum nostrum accessit ac illi gladio-  
 lum tradidit, reversusque ad nos, quibus cæremoniis nos ad genua de-  
 mitteremus, docuit, jubens faciem ad terram pronam haberem, donec im-  
 perator ipse me ad majestatem suam accedere juberet. Quamobrem gratias  
 illi agens pro hac informatione et quod me hactenus in hospitio impertur-  
 batum reliquisset (nam hospitiorum ordinum imperii metator est). Erat  
 autem fere decima. Venit tandem Schaumberg baro et prætor palatii,  
 item capitaneus excubitorum cæsaris dominus de Zeltingen, et plures  
 Itali et Iberi cæsarei anteambulones, nec aberat Petrus a Malvenda,  
 qui obliquis oculis nos intuitus sedulo risit et fere digito demonstrans,  
 quasi diceret: Hoc est quod desiderabam, quia pejus facere modo non  
 possum. Habet autem cæsar parvum hybernaculum cubiculo suo junc-



tum, in quo sperabam has cæremonias fieri. Sed ut trapesitarius venit afferens aulæum illud ante sellam, quæ ad parietem posita erat, sternens, super quam affixum erat aulæum aliud ex auro puro puto et holoserico contextum, cognovi ibidem pompam hanc futuram. Videns autem marschalcus Papenheim omnium oculos in me intentos esse, ait: Domine comes, melius feceris si in hybernaculum ante atriolum concedas, et ego ubi imperator hic consederit aperto ostio ut commodius geniculationes facere queas te accersam. Pareo igitur monenti. Doctor vero Petrus a Malvenda composito vultu me accedens salvere iussit. Prina facie me audire dissimulavi, verum cum viderem eum manu detracta chirotheca propius accedere, dextram illi præbui. Nec aliud quidquam nobis dixit, nisi: Ego vos non impediam (quid sibi his verbis voluerit, Diespiter ille Ibericus novit). Venit et alter ex ostiariis Eschop et nomine, qui nos in scamno sedere iussit, dicens: Imperator non tam statim prodibit foras. Quia autem intellexi ostiariis propinam ex hoc actu deberi, Malvendam rogavi ut, quid id propinæ esse deberet, expiscaretur, qui se id facturum recepit ac ocius reversus ait, ostiarios dixisse, id in mea liberalitate et humanitate situm esse, se nihil nominatim petituros. Venit quoque tertius ex ostiariis dicens: Domine comes, quare non atriolum accedis? Respondi: Marschalcus me hic præstolari iussit. Bene, bene, inquit. Exspecta paululum, brevi fiet. Erat vero jam in punctu (ut loquuntur) undecimæ, cum fierent januarum crepitus ac procerum geniculationes. Posteaquam autem cæsar in sella illa resederat, Papenheim aperto ostio me vocavit, inquires, En tempus est, jam comes accede. Ideo exurgens, habens a sinistris Liborium bis genua inflectens accedendi tertia geniculatione utrumque genu terræ figens, similiter et Liborius. Dein Liborius cunctis audientibus hæc verba in catalecto germanico dicere cœpit: Illustrissime et invictissime clementissimeque cæsar, sacræ tuæ cæsareæ majestati hic coram generosus meus dominus comes Wolradt a Waldeck sistit, confitens se majestatem vestram gravissime tempore rebellionis anni elapsi læsisse, agnoscens quod graviorem quandam pœnam commeritus sit, cujus rei dirissima metanea ringitur. Attamen de innata imperatoris vestræ majestatis clementia confisus, hanc noxam sibi remitti deprecatur, cum omni animi dejectione rogans, ut sacra vestra cæsarea majestas tam ipsum quam subditos suos in gratiam recipere dignetur, idque ob dei et cæsareæ vestræ majestatis misericordiam, quod idem dictus meus dominus comes præter debita officia et omni cum sedulitate promeriturus est, nec unquam in vita sua se maje-

stati vestræ inobedientem præstabit, sed omnia Christo auspice se facturum promittit, quæ probum et fidelem comitem imperii decent. Ac sic Liborius siluit. Imperator igitur episcopum Atrebatensem et d. Philippum Seldum ad se vocans paucula cum his collocutus est, scilicet gallice *Pau cest fais yci etc.* Deinde per doctorem Seldum vicecancellarium respondit, pene omnia, quæ Liborius dixerat, verbatim repetens, verum addidit: Invictissimus et illustrissimus noster cæsar ob honorem dei et suæ sacræ cæsareæ romanæ majestatis innatam clementiam Wolradum comitem a Waldeck dominum meum gratiosum una cum subditis in gratiam recipit et noxam illi pro hac vice remittit, ea tamen lege, ut omnia, quæ in capitulatione comprehensa sunt, ab dicto comite impleantur et serventur. Et si posthac comitem fidelem et probum se gesserit, sibi clementissimum cæsarem nec non et suis subditis experturus est. His dictis imperator manu mota me ad se vocabat. Quia vero mihi injunctum erat, ne in faciem imperatoris inspicerem, antequam ab ipso vocarer, Liborius me tetigit. Ocis igitur deosculata manu mea dexteram Cæsaris dextræ junxi, qui confestim exurgens ad cubiculum regreditur, nec ego cocleæ gressu ostium alteram peto. Ubi vero ad ulterius hybernaculum veni, ostiario Eschopeth dixi: Quantum tibi et tuis sodalibus debeo? Quantum placet, inquit. Sumus vero numero sex. Quid ais, si unicuique vestrum aureus detur? Summas, inquit, tibi agimus gratias. Sex igitur aureos nummos illis dono dedi, rogans eundem, ut si quis ex nostris pro subscriptione litterarum absolutionis eum alloqueretur, ut hunc juvaret, si qua accessus pateret etc. Promisit prompte. Atque hic fuit hujus tragediæ exitus. Reliqua sunt octo millia nummum expendenda. Qui dedit vitam, dabit et pecuniam. Benedictus deus, pater domini et liberatoris nostri Jesu Christi cum s. suo spiritu, qui me participem calamitatum multorum piorum fecit, is me spiritu suo bono cum uxorcula, filiola et subditis dirigere dignetur, ut constanti fide quæ cæsaris cæsari et quæ dei deo reddere queam, qui me hodie de ore leonis eripuit. Benedic, Eubule, domino, et laudet te domine omnis, cui vitæ spiraculum dedisti. Qui vivis et regnas verus ac unus in trinitate deus, cui perennis potestas, laus et perpetim sit gloria. Amen.

Vestes meæ erant tibialia et diplois ac calcei bene contriti et tunica ex nigro serico, nec quisquam ex nostris præter Liborium in atrio nobiscum erat. Astiterat et Lazarus a Schwendi. Ad hospitium reversus cum Joanne Goselo egi, ut mihi trecentos florenos vel ab alio sumeret, vel ipse mutuo daret, ac dedi illi in pignus catenas aureas duas,

quarum una pendeat centum et triginta aureos, altera coronatos octoginta quatuor et semuncium. Nam pecunia, quæ e Norinberga venire debebat, nondum allata erat. Et ultra hinc sumptus facere multas ob causas incommodum erat.

A prandio comitem Wilhelmum invisi, omnia et ut acciderant ex ordine referens et super aliis ejus consilium audivi obtulique illi equum.

Deinde hospitium electoris marchionis transiens opportune marchio primum e domo senatoria revertens ædes intrat. Subsecutus itaque Luderitium conveni et ut marchioni meo nomine gratias ageret, sive pro me intercessisset sive non. Nam jam nihil spei de ea re reliquum. Verum ne gravaretur a marchione discere, si intercesserit an secus, quo haberem quod principibus et comitibus de Henneberg ad scripta eorum respondere possem. Allocutus sum quoque fratrem germanum Atrebatensis rogans inter cetera, ut fratres meos commendatos apud patrem et fratrem suum præsulem haberet.

Eadem quidam, quod incestum cum germana sorore uxoris suæ commiserit, pro foro et virgis cæsus et civitate Augusta ejectus est.

Eadem Christophorus dux et comes a Wirtenberg, qui quoque, cum veniam a cæsare peterem, astitit, hinc abiit, non omni ex parte cum gratia dimissus.

Eadem omnibus creditoribus ducis Otthonis Henrici Palatini dies constituta erat, quibus hæc duo cæsaris nomine proponebantur. Primo cum ipsis expostulatum est, quod suo ære Palatinatum onerassent. Deinde si qui essent, qui dimidium depromptæ pecuniæ accipere vellent, a thesaurariis cæsareæ majestatis eam reciperent. Sin vero hæc via illis incommodior videretur, cæsarem passurum ut in jus a creditoribus vocaretur. Durus erat is creditoribus sermo, verum religio est ipsis ne major rogans imperet quæ velit. Nam Herbroto consuli male hæc alea cesserat, qui cum Charibdim fugeret, in Scyllæ monstrum incidit, ut superius dictum est.

Schwartzenstein eadem die nobiscum pransus est. A cœna Glaserus nos invisit. Venit ad hospitium nostrum et Wolfgangus comes ab Oetingen, magis ut apud hospitem latens vinum decoqueret, quam ut quenpiam ex nostro sodalio alloqueretur, licet a nobis ad cœnam vocatus esset.

Sub noctem hospes noster cum uxore mihi sponderunt, se trecentos nobis florenos mutuo dare, nec eos quicquam vel lucri vel emo-

lumentis petiuros. Insuper hospes nos interim illo magis noxio ulli crambæ bis positæ (in qua tamen mors esse dicitur) donavit, nec non et libello Casparis Huberini, continentem septuaginta duas conclusiones, quibus contra interimistas utranque speciem sacramenti probavit. Ambo libri ab uno eodemque typographo Augustæ in hoc mense Junio impressi erant. Et ne quid molestiæ nobis deesset, eadem quoque Paderbornæ episcopus querelas suas redintegraverat, quas concilium imperiale Philippo et Eubulo per ostiarium cameræ imperialis transmisit.

xxij Junii Musculus ad s. Mauritium ex cap. 15 Joannis hæc verba legit: «Si non venissem et locutus fuisset eis, peccatum non haberent. Nunc autem non habent, quod prætexant peccato suo. Qui me odit, is et patrem meum odit» etc. Hic præcedentem sententiam repetiit, dicens oportere diligenter sementem hic ex paleis ventilabro excutere. Quid odium, quid persecutio sit et quo Christus hæc duo degerat, nimirum in ignorantiam. Videndum autem ait, ne quem persequamur, nisi qui ob insigne aliquod facinus odio dignus censendus sit, et id non nisi cognita causa. At nunc multi sunt, qui hæretici doctrinam falsam esse clamitant, cum tamen ipsi eam vel legere vel audire nolint, quia non noverunt me neque eum qui misit me etc. Hic Christus exponit ignorantiam, dicit Judæos non novisse eum. Nam quod Nicodemus ait: Scimus quod a Deo exivisti, magister, erat quidem alicujus scientiæ, non autem sciebat, quod is esset Christus ille a patre missus in hoc, ut per ipsum et in hoc uno salutem consequerentur. Præterea perpauci in hac scientia Nicodemo similes fuerunt, ceteri hujus Christi omnino rationem non habuerunt. Qui vero initia hujus Nicodemiciæ noticiæ habuerunt, hi profecerunt, alii non item. Hic autem oritur quæstio, num ignorantia excuset. Est quidem ignorantia, quæ quodammodo excusabilis apparet, ut Paulus ait: Ignoranter feci, propter quod et misericordiam consecutus sum. Planum est enim, quod Paulus zelo quodam hæc commiserit etc. Est autem duplex ignorantia: una eorum, ad quos verbi auditus non pervenit aut quibus illud vel legere vel audire non permittitur, et ejusmodi homines aliqua ratione excusabiles videntur. Hic interjecit: Cur vero nolunt legere vel audire alioqui? (taxans cæsarem, qui sibi quidvis præscribi a pontificiis sinit). Altera ignorantia est eorum, qui suadente malitia Christum et verbum ejus audire et scire nolunt, et hi ex omni parte damnabiles sunt. Quod autem ignorantia Judæos non excuset, liquido ex verbis Christi patet: Si non venissem et locutus fuisset eis etc. Nam Christus palam in synagogis, templo et apud turbas

verbum salutis annunciabat. Sed quid actum? Clamavit, inquit, sapientia in plateis, et Joannes baptista venit, vir austeræ vitæ et prædicans penitentiam. Hunc audire renuunt. Christus venit mitis et benignus dulcedine sua peccatores attrahens: Hunc vinipotorem et socium publicanorum ac meretricum vocant, doctrinam ejus seditiosam dicunt, beneficientem omnibus et verbum miraculis confirmantem, cæcis visum redendentem, leprosos mundantem, dæmones ejicientem dæmonium habere vociferantur etc. Et sic ut Dominus ipse ait: Similes facti sunt pueris in platea sedentibus et dicentibus sodalibus suis: Cecinimus vobis, et non saltastis, ploravimus et non luxistis. Et quam timeo, inquit, ne et Germaniæ hoc in suum sinum diffuat. Ex multo tempore verbum domini sincere audivimus et non possumus ignorantiam prætere, nisi forte hi, quibus id audire et videre non licet. Cum vero nunc persecutio instet, advigilemus et caveamus, nè ab eo relabamur. Addidit autem Christus nunc non habere Judæos, quod peccato suo prætexant, non dicit: Non se excusabunt, sed non habent, quo se excusent. Aliud est enim te non excusare, et aliud, quo te excuses non habere. Natura enim hoc omnibus innatum est, ut in quovis delicto homines se excusare conentur. Sic primus parens noster Adamus alloquente eum domino ob esum pomi, ait: Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de arbore. Eva autem dixit: Serpens decepit me ut comederem. Genes. 3. Videmus idem in pueris quantumvis tenellis, si quid admiserint, subito excusationem suis commissis prætexere. Sed non sic nos agamus, o dilecti in Christo, agnoscamus ingratitude nostram et nos cum recte ad colulum ante dei faciem projiciamus veniam petentes nosque peccatores agnoscentes, ille enim, qui non audebat ad cælum oculos attollere, dicens, Deus esto propitius mihi peccatori, justificatus dici meruit. Hypocrita vero iste se excusans et sanctitatem præterens reprobatus abiit. Concede igitur propitius, o domine deus, ut verbum tuum sit lucerna pedibus nostris et eo audito perenniter adhæreamus, idque per Jesum Christum dominum nostrum. Amen.

Revertentibus nobis e templo Liborius obviam fit. Statueram autem Atrebatensem adire, sed tum consilium Liborii et quod Viglius in eadem platea mansionem suam habeat, secutus ac opportune Viglius ac Seldus una ante hibernaculum nobis obviam veniunt. Per Liborium autem petii, quia hesterno die ad pedes cæsaris me conjecissem, nunc eum mihi favorem præstare, ut litteræ absolutionis conscriberentur et is articulus: Quod jam a cæsarea majestate acceptus sim, et quod ii,

qui adversus nos aliquid prætereendere velint, nos jure conveniant etc. Item quod specialiter in litteris poneretur, et me et subditos in gratiam receptos, eam ob rem, quod aliquot vicinos mihi infestiores haberem etc. Hi duo doctores receperunt se concilio imperiali petitionem nostram relatu-ros et suas operas ad hoc nobis obtulere. Viglio autem non incommodum visum est, ut per schedulam idem peterem eamque consiliariis transmitterem. Nam se recta ad locum concilii tendere. Liborio igitur ut mentis nostræ conceptum papyro committeret injunctum est.

Querela Paderbornensium Floro data est, ut ea perlecta ex tempore responsonem conscriberet. Revixit fere Sathan; sed superest, qui caput contrivit serpentis.

Pransum est eadem apud comitem Wilhelmum a Nassau, ubi Ladislaus ab Hagen, Joannes a Seyn, Wilhelmus a Witgenstein, Ottho a Schaumburg, Henricus a Lynningen, Philippus et Eubulus a Waldeck comites aderant. Aduit quoque Marschalcus Schaumberg et quidam dux cæsareani exercitus. Vitus a Velbrug supervenit et Chunradus a Bomelberg eques. Marschalcus gloriabundus ait: Novi aliquid ex palatio cæsaris adfero. Norinbergenses interim illud acceptarunt, sicut Hulenses Sueviæ idem quoque factitarunt, semel aut bis sermonem iterans. Tandem comes Wilhelmus a Nassau vultu mæsticiam animi præ-nunciante respondit: Profecto, si receperunt, quid receperunt ignorant! Paulo largius hic potatum est.

Nota de herba, quæ anagallis dicitur, germanice Gauchheil sive Jauchheil, quæ in hoc mense Junio evelli debet ac vino decocta et epotata contra morsus canis rabidi remedio est, quod Augustæ nuper per comitem Wilhelmum in auriga ducis Mauritiî probatum est. Eodem vino plaga morsus canis debet illiniri.

Dum cœnatur Erasmus a Rumrodt cliens Joannis fratris nostri venit nuncios, dominam novercam in vicinia esse, ut Augustam tendat et in Werda ad Danubium pernoctaturam. Hic Eubulus ringitur dubius quid faciat, ac cum Liborio consilium cepit, ratus quidem consultum videri, si ejus adventus non expectaretur multas ab causas. Verum non parva obstabant. Conventum itaque, ut in crastinum consultatio protraheretur. Posteaquam autem Eubulus somno indulsisset, illucescente jam die circiter tertiam parvi horologii puerum pro Liborio mittit. Erat autem hic dies præcidaneus feriarum d. Joannis baptistæ vel 23 Junii. Singulis igitur probe perpensis visum est abitum parare. Quapropter et Liborius jussus de biga in usum sarcinarum ut cogitaret etc. Eubu-

lus vero in templo Minorum d. Leonardum loco matutinarum precum ex cap. 8 Joannis hæc verba: «Ego sum lux mundi, qui manet in me, non ambulat in tenebris,» pro suggestu explanantem audivit. Docuit autem, quisnam hæc lux esset, quæ esset unica, quæ esset illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Item quomodo hæc lux esset apprehendenda. Item quod multi sunt, qui hac luce neglecta in tenebris palpitare amant. Item quo typo Christus apostolos apud Matthæum cap. 5 lucem mundi diceret. Et quotquot illuminant mentem ab hujus lucis radiis lumen accipiant. Item quod nullus unquam in hac luce ambulans a tenebris inferni, mundi et mortis depressus sit. Et denique lucem illam veram dominum nostrum Jesum Christum ita animis auditorum inculcare satagit, ut lucem illam amari a concionatore ipso a nemine inficias ire possit.

Domine Jesu, splendor et imago dei patris habitans cum ipso et sancto spiritu in inaccessibili luce, qui te veridico tuo ore lucem mundi dixisti, te humiliter deprecor, ut et me miserum in variis peccatorum tenebris palpitantem tua illa luce illumines, quo in eadem reliquam exiguam vitæ meæ portiunculam, ne pedes animi mei unquam ad petram scandali offendant, ambulantem, inquam, in fide et charitate dei ac proximi, ut tibi ea, quæ tibi debita est, gloria in me asservetur, quo idoneum membrum tui corporis mystici effectus te cum patre et s. spiritu laudem et confitear perpetim, qui venturus es judicare vivos et mortuos et seculum per ignem.

Liborius autem quia heri post cœnam Obernburger adierat ac capitula litterarum remissionis obiter viderat, summo mane eundem invisere illi commodum visum est, num capita litterarum hodie conscripta essent. Sed nihil adhuc effectum erat.

Eubulus vero ædes d. Musculi petit ipsi valedicens, enarrans et audiens, quisnam utriusque modo esset rerum status. Didicimus autem, quomodo doctor quidam ex senatu vel senatus Augustani a consilii ipsum adierat longa verborum ambage et multos per mæandros consilium ejus super interim illud expetens. At tandem narravit, senatum una et consules ob hujus negotii causam anxios esse animo et non satis sibi constare, quamnam in partem inclinent. Se vero (scilicet qui hæc dixerat) animi sui sententiam jussu senatus in brevem quandam consultationem contraxisse, quæ tria tantum capita contineret. Amicissime igitur Musculum rogare, ut compendiolum hoc perlegere ac suum consilium illi impartire dignaretur. Cui Musculus respondit, se ac suos

sibi symmistas jam tum, cum a senatu super hoc requisiti essent, et consilium et responsum suum dedisse et sole clarius constare, quod in toto libro istius interim vix tres articuli sint, quibus sincere christianus subscribere queat. Et dixi, inquit, dominis meis consulibus me una et ceteros albi nostri, donec per senatum (licet respectu nullius personæ) evangelicam doctrinam pure et sinceriter docturos, rumpantur adversariis illa vel secus. Si autem domini mei verentur, illis mei ergo quid vel incommodi aut periculi suæ reipublicæ accidere posse, tum libenter patiar, ut mihi de alio loco provideant et eo conduci procurent, non enim conabor ipsis invitis et contra voluntatem eorum hic concionari. Si vero ipsi (ut superius dictum est) me hic verbum prædicare, ut hactenus factum est, velint, paratus sum usque ad extremum vitæ halitum apud eos doctrinam hanc et promulgare et defendere ipsique inhærere. Posteaquam juris consultus ille sic Wolfgangum respondisse vidit, cum, <sup>1</sup> inquit, ipse hæc dicis, tibi obticere non possum, consultatum quidem esse in senatu, num ad tempus in alium aliquem locum destinandus esses. Sed timuit magistratus, te, qui cum annos aliquot fideliter hic in verbo domini præfueris, si hæc conditio tibi offerretur, ægre laturum. Sin vero tua pace mihi liceret, referrem dominis meis, quæ ex te audiui. Quare non, ait Musculus, faceres? Nam idem mihi adhuc est animus, ut ex me jam audisti. Abierat igitur idem doctor senatui hæc enarraturus, quasi exiguus Musculus nassam hanc non obolevisset. Et id temporis, dum ego apud Musculum in ædibus suis essem, senatus de eo ablegando cogitavit. Didici et ibidem Sertorium et alios decem duces pecunias habere et elargiri ad parandum militem. Cum dicerem regem quoque Franciæ male affectum esse erga eos, qui sinceriter verbo domini adhærent: Non rex, inquit, sed parlamentum. Etsi interficiuntur ibidem Christiani, imo necesse est esse ibidem Christianos. Ait quoque mirari se non satis posse, quod omnes modot am abjectis et pavidis animis essent ob minas tantum, cum tamen hæ minæ certissima sint signa, quod N. nihil vel perpetraturus sit vel vi aggrediatur. Interrogavi ipsum quoque, si quid domino Vito suo nomine dice vellet. Ait, ut ipsum ejus nomine salvare jubeam, ac ut mihi enarrasset, rem illi detegerem. Nam putare se, si a senatu dimittatur, ut ex verbis jurisconsulti illius aliud divinare non posset, se vel Basileam ve ad Bernates iturum, ad tempus aliquod adhuc uxorem et liberos Augustæ relicturus.

1 Hs. tum.



Tandem mutuo nobis fausta in Christo precantes ille domum suam, ego autem ad hospitium regredior.

Joannes Goselus ducentos et quinquaginta florenos ad bimestre tempus nobis mutuo dedit.

Famulum ad Glaserum misi, ut si qui ad principem suum litteras dare vellet, eas ocuis conscriberet, nam me sub octavam hinc discessurum. Interim in hospitio, quæ ad profectionem necessaria erant, parare jussi.

Volebam et d. Nicolaum Maier convenire, verum is nondum a domino Udalrico reversus erat.

Post septimam rursus Liborius Obernburger adit. Ego Atrebatensem convenire statui. Ad curiam autem præsulis veniens ibidem Didonem a Kniephausen inveni. Ex hoc quærebam, quid marschalco Pappenheim pro more ex actu illo deberetur. Respondit, nihil prorsus, nam non memini vel me vel comitem a Rethberg quicquam illi dedisse. Dum itaque de redimendis litteris remissoriis, ut vocant, nos duo confabularemur, opportune Zuichenus asturcone vectus ibidem adest. Ex hoc igitur Kniephausen singula sciscitatus atque hæc edoctus est, illas infra ducentos florenos non redimi. Nota autem aliam esse rationem eorum, quorum possessiones cæsar alicui ab eo vel possessorem redimendas dono dederit, et eorum, a quibus cæsar ipse multam accipit. Ex priorum enim largitione aut propina cancellariæ (ut vocant), hoc est scribarum sodalities, centesimus nummus cedit. Mos enim est taxam, ut vocant, ut eorum verbo utar, litterarum fieri. Sed ad Atrebatensem revertar. Animus autem erat illum convenire ac gratias illi agere; sed tempus dilabebatur et timendum mihi fuerat, ne ante nostrum abitum noverca urbem intraret. Quamobrem cubiculario episcopi, quæ hero suo referri volebam, mandavi, ac illud consilii cepi, ut Pinzingero præsuli a secretis taleri decem pro honorario darentur ac is nos apud episcopum excusatos haberet, et cæsareæ majestati, si posthæc ejus opera indigerem, sedulum sollicitatorem ageret, quam pecuniam Liborius a me accepit, nam is Augustæ adhuc pernoctaturus erat.

Deinde comitem a Nassau peto, qui nos mensæ assidere ac jentaculum secum sumere jussit. A jentaculo ipsi discessus mei rationem indico, gratias illi pro suis beneficiis et collata pro me opera agens, offerens mea officia et sic ei valedicens. Donavi eum interim equo. Dedit et ille mihi caballum, non permutationis ergo sed ob causas, quas hic chartis mandare supervacaneum est. Perplacuit mihi hæc vox hominis,

dum dicerem, rogare me deum opt. max. ut ipse quoque cum lætitia et commodo tandem causæ suæ prosperum exitum nancisci possit etc., respondit: Secura est mihi conscientia et deum testem invoco, quod nihil appetam, quam quod mihi jure divino et humano deberi sciam, nec hoc quidem ipsum omni ex parte integrum reddi peto, modo æquitas mecum servetur.

Rogavi eundem comitem ut me apud archiepiscopum coloniensem excusatum haberet ipsique, quod pro me intercedere dignatus sit, gratias ageret.

Philippo quoque a Homberg injunxi ut me apud cognatum archiepiscopum Treverensem excusaret ac nonnulla illi referret.

Wilhelmus comes a Witgenstein nobis valedixit et nomine comitis Joannis a Sein nobiscum locutus est von Hansz Lohe.

Tandem ad hospitium revertens hospiti pro singulis solutionem fieri jussi, coco diploidem sericam dedi. Jostus trabes et tigna dari sibi cupit.

Seldi doctoris uxori thaleros quindecim in honorarium misi. Catenulam auream pro decem et septem thaleris et quatuordecim batzis ab Otthone auri fabro in xenium uxoris emi.

Lindius ea, quæ illi committebam (nam Florus quoque recessurus erat) optima fide se executurum promisit.

Pileolos holosericos quinque in usum filiolæ et pedissequarum ab hospite nostro emi.

Lindio thaleri duo dati sunt.

Tandem Glaserus magister venit nobis prosperum iter precatus ac litteras ad principem suum nobis tradidit.

Hospitis uxori, liberis et familiæ in propinam, ut vocant, thaleri octo et batzi sex dati sunt. Porro Liborio injunctum, ut in tertiam usque abhinc diem Augustæ commoraretur.

Nota quod quanquam Hermannus a Viermin apud nostrates gloriatus sit, se litteras, ut ita loquar, protectorias a cæsare habere, tamen non minus hic consiliarios imperiales de redditibus ac facultatibus ipsius diligentissime inquiri. Adde, Viglium dixisse: Videat Hermannus quod Theseo has litteras nactus sit. Item de Vulphila intus et in cute nomine et re lupo. Interrogaverat quoque Viglius Kniephausen, quidnam rei comitibus a Waldeck cum baronibus de Beuren, qui in campis latissimis Sendtfeldt in castro Beuren commorarentur, esset, quasi quia Argo in expiscandis aliorum negociis oculatior hoc nesciret.

Nos rogavit hospes ut, si qua fieri posset, operam daremus dominam novercam apud ipsum hospitari, quod ipsum in gratiam hospitii apud Jostum Colbacherum et Melchiorem Lindium obtinui, ea lege, ut hospes hebdomatim tantum thaleros decem acciperet.

Philippus frater et ego igitur equos conscendentes, nam is meo monitu, ut matri obviam fieret, ego ut maliciæ novercali et hospitio et urbe cederem. Sicque die sabbati vicesima tertia Junii Augustam comitante nos Joanne Galacteo, Henrico Etdorffio, Casparo Coman et Ludovico servo liquimus, quam die sabbati decima quarta a Aprilis intraveramus. Nec interea noctes diesque alibi degimus. Faxit deus ut feliciter <sup>1</sup> sit in patriam profectio, quam ad Sueviam et Vindelicos fuit perigrinatio. Et benedictus sit idem deus, qui me in tantis tentationibus et animo et corpore incolumem ex omnibus aquilarum et omni expectatione omnium inimicorum eripuit. Donet ut ex corde laudem nomen ejus solius in perpetuum.

Inter equitandum Philippus frater noster rogavit ut, si deo auspice patriam contingere mihi daretur, ut ejus et fratrum quoque Dinostiae rationem haberem, addens, aliquando meditarer, quibus viis dissensiones inter nos componi possent ac nescio quid intra buccam murmurans. Cum interrogarem, quas controversias diceret, ait, inter pagos Twist et Berndorff. Respondi pro tempore, quæ ad pacem facere putavi, non neglecta interim veritatis ostensione, ut vel palpari posset, quid velim, concludens, nullas omnino inter nos dissensiones fore, si eum in me animum gererent, qualem meum in ipsos præter alias modo hic Augustæ experti essent, et eos, quorum omnia <sup>2</sup> non ignota, qui oleum in camino (ut in proverbio dicitur) suffundunt, vel a se amoverent vel saltem cohercerent, tandemque recepi quæ possem libentissime me facturum.

Transeuntibus autem Wernitzium fluvium, vel quod fluvio nomen est, et appropinquantibus casulæ illi in viam Werdam euntibus, Justus puer, quem frater Philippus præmiserat, cum Adolpho rursus nobis obviam veniunt dicentes matrem in pago Gersthoven et pransam esse et isthæc Philippum expectare, ut eam Augustam deducat. Ac paululum progressis ac jam pagum intransibus nescio cujus jussu dixit Adolphus, dominam matrem rogare ut Eubulus quoque eam alloqui vellet. Itaque eam in taberna reperientes, quæ ubi nos conspexit, foras obviam concedit et hilarem præ se ferens frontem nos amice excepit. O mirabilem

\*

1 Lies felicior.      2 nomina?

dei sapientiam et bonitatem, cum sub eodem cœlo in eodem comitatu vix interdum mille stadia distantes noverca et ego intra annum et sesqui affatu dignati nos invicem non simus, in Vindeliciis gestientes colloquimur. Illa autem præter mutuam honorificam salutationem querelas jocos et seria jucundis miscens de multis locuta est. At vide, quam vere vulgo dicant: Raro calamitas una sola venit. Dum intra hybernaculum sitim levamus, accurrens soror Catharina matri ait, Bernardum aurigam sanguinem ex naribus et ore stillare et fere exanimem humo prostratum jacere. Accurrimus igitur omnes, admovetur lapis sanguinem sistere suetus aqua frigida radices et nardi semen. Tandem a terra levatus paululum respiravit, sed nondum mutire potuit. In mentem autem nobis venit de laguncula stannea, quam puer noster in pera gestabat. Accepta igitur a puero laguncula paucæ guttulæ aquæ illius, quam vitæ appellant, opitulante deo adeo refecerunt, ut et fari et nos agnoscere cœperit. Mire autem hoc infortunium evenit. Dum enim frater Philippus et ego novercæ viæ tædium levare conamur ac famuli equo insidentes forte largius Lyæo litant, auriga hic et vino et somno obrutus dormitans equo insedit et dicto citius in terram prolabens tanto casu, ut pronus super faciem nares finderet non aliter ac si securi a quopiam vulneratus esset. Sic cruore auribus, ore et naribus profuente pæne hominem suffocarat. Jussu itaque dominæ suæ bigæ impositum Augustam vehunt.

Noverca quoque nos rogavit, ut ejus nomine uxori salutem dicérem (mirum in modum Anastasiam laudibus extollens) jussit ac subditos suos fidei nostræ commisit. Sed multæ res nec frigidæ nec tepidæ sunt, at palatum aridum quam minime refrigerant.

Dedi sororculæ in munus honorarium coronatos quatuor. Posteaquam vero apud ipsam horas duas trivimus mutuo bona imprecentes ac novercæ nec non sororculæ valedicentes illa Augustam comitibus sorore et nympha Schaden, Elsa ac Birgel ac in equitatu habens Conradum a Geismar et Joannem a Wolmerckusen juniorem recta petit. Ego vero ubi Philippum fratrem convenissem ac me illi commendassem, Werdam propere contendo. Werdam autem veniens interea temporis quod Augustæ fui intellexi uxorem hospitis nostri e vivis excessisse. Det illi dominus beatam resurrectionem. Hospes quidem tum domo aberat, sed sub noctem reversus ait, ementitam esse gloriationem illam, quod Norinbergenses interim illud recepissent.

Werdæ in eo cœnaculo, ubi princeps noster diutine detentus est, aulicus quidam ex famulatio Alberti marchionis nobiscum cœnavit. Ibi-

dem quoque primum audivimus de Conrado Pennig, qui millia aliquot peditum conduxisse dicebatur.

xiii Junii Werdæ ad Danubium Liborius et Adrianus expectandi erant. Ibidem autem, quia et dominicus dies et feriæ Joannis baptistæ sacræ essent, non una sacra concio habita est. Nam infra septimam et nonam horas ecclesiæ minister et ludimagister cum sodalitis scholastico introitum cantabant. Deinde aliquis ministrorum verbi populo spiritum domini imprecatus est. Collectam in nostro idiomate decantavit, qua finita minister suggestum ascendit legens epistolam ea dominica pro veteri ecclesiæ more legi solitam, ac in ambone expectans, donec alleluja decantatum erat. Post quod idem minister evangelium ex Luca cap. 6 legit, scilicet: «Estote ergo misericordes, sicut et pater vester misericors est. Nolite judicare, et non judicabimini» etc. Et sic ille abiit. In choro vero qui concionaturus erat, credo in deum canit, ac ludimagister ac reliqua ecclesia symbolum suscipiens germanice illud complet. Interim concionator ambonem conscendit, paucis præfatus invocato nomine divino et dicta oratione dominica, evangelium non ut moris est relegens, sed statim expositionem ejus aggreditur, dicens: Audistis in enarratione capitis hujus ante paucos dies et hujus jam lecti evangelii textum. Animadvertendum vero est, quod Christus duo his verbis admonere voluit, unum ut discipulos ad futuram persecutionem præmuniret, quo haberent, quo se consolarentur. Arbitramur enim quod non sint condignæ passionibus hujus mundi ad eam quæ relabatur gloriam etc. Dixit enim, ait, «ego mitto vos sicut oves in medio luporum» etc. Alterum quod doceret discipulos discernere evangelicam justiciam a justitia legis. Quanquam Christus hic non loquatur de justitia salvante. Nam salus per Christum ex gratuita misericordia nobis venit. Nimis enim exile et tenuis est ad salutem omne illud, quidquid nostris operibus efficere possumus. Sed Christus hic docere voluit, quomodo nos erga proximos nostros gereremus etc. Et quid sit quod scriptum est: «Misericordiam volo et non sacrificium.» Hoc loco autem concionator quid misericordia sit, diserte docuit et quæ ea præstanda sit, adjiciens non solum misericordiam dici quod mendico aut petenti stipem aut nummum largiaris aut amici vel ægrotantis vel afflicti vicem doleas, id enim teste Christo etiam ethnicos facere. Sed id esse misericordiam sicut pater cœlestis misericors est, qui solem suum admirabile illud lumen et bonis et malis lucere sinit, qui in agro hominis timentis deum segetes crescere et in agro athei æque fructus uberiores dat etc. Ut idem hoc multis de benignitate dei

patris humano generi præstitis beneficiis quotidie videri docuit. Nec opus est, ait, ut in hoc multum temporis teram. Si enim ipsi nobiscum recolimus, quæ singuli beneficia a deo quotidie consequimur, quisque abunde satis in se ipso hæc vera esse comperiet. Ea autem vera est misericordia, ut erga omnes pio sis affectu, æque benefaciens hosti et inimico, ob deum ac amicum amare. Nam directe opposita sunt Sprach-ehe Barmhertzig, quasi dicas warmhertzig. Oportet enim ut hæc misericordia fiat ex flagrante caritatis motu etc. De non judicando præclare quoque docuit asserens quam hoc vitii modo passim regnet. Et hic jussit, ne omnino privati judicaremus de religionis statu, sed cæsari, episcopis, pastoribus et magistratibus secularibus relinqueremus ac quisque se suo pede metiretur suæque salutis rationem quisque haberet semet ipsum judicando, nam tum fieri ut facile aliquid manticæ alienæ oblivisceretur. Attigit et obiter eundem apologum de duobus manticis. Judicare ait esse sententiam in aliquem dicere. Condemnare vero esse quiddam majus, quod is, qui condemnat, judicati pœnas conscribat et promulget etc. Nec tamen hîc dicere omisit, qualibus personis iudicium permissum, nimirum parentibus in liberos, concionatoribus verbo et per verbum in populum, exemplo prophetarum et apostolorum, nec immemor etiam festucæ et trabis. De controversiis religionis adeo præmeditate et circumspecte loquebatur, ut nemo se carbone notari queri posset. Pie autem sagax facile olfecerat dolorem hisce temporibus ex abstrusissima illa interimica controversiarum religionis conciliatione. Jubens nos insuper arbores bonas esse etc. Et quid multum? Ne jota quidem inexcussum reliquit. Misereatur nostri Deus, ne Germaniæ hos viros Sathan invideat. Inter beneficia autem Dei illud potissimum exaggerabat, quod Deus hisce temporibus Germaniæ tam luculenter verbum suum largitus fuerit, ut in nulla vel regione vel loco non annunciatum sit. Sed quid, inquit, nos fecimus? ingratiissime omnibus vitiis habenas laxavimus. Et ne unus princeps fuit, qui vel mores immutare voluerit, ita ut justissimam hanc persecutionem et majora his commeriti simus. Et quod pejus ac majus est, nec nunc quisquam est a persecutione, qui in arborem bonam excrescere cupiat. Est consternatio animorum ubique magna et quærantur media, verbo autem obedire et tanta beneficia benigni patris agnovisse nemo est qui velit etc.

A concione obsecrationes fieri jussit. Et profecto nemo satis ardorem precantium in hisce regionibus mirari posset, quod compositissimi gestus facile indicant. Posteaquam ambone ecclesiastes descendit, ludi-

magister cum pueris psalmum germanice versum cantavit. Minister pacem populo precatus oratione perfecta nostro catalecto populo Amen respondente, rursum minister »Benedicamus domino« cecinit et cum benedictione populum ecclesiamque dimisit. Et hi sunt ritus ecclesiastici apud Werdam Danubii.

Dum pranderemus venerunt scriba quidam ducum Luneburgensium et servus Nicolai de Rotdorff, qui cardinali Augustano viginti caballos adduxerat. Nam carnibus equinis etiam purpuratorum rubii draconis gratia emenda est. Idem quoque rursus episcopum Bremensem Augustam profectum dixit, annuncians quoque mortem nobilis et prædixit multis donis præclari viri Simonis de Wendt in Vornholt. Faxit Christus ut illum cum omnibus sanctis in illa die videre valeamus. Sit pax vivis et requies defunctis, in populo maxime Christe tuo.

Hospes Joanni Friderico electori currum suum mutuum dedit ad advehendam cerevisiam e Schwabach, qua tum elector loco Turgicæ utebatur.

Hospes nos donavit oratione electoris, ex qua facile constantiam ejus metiri est. Memento ejus, o domine, secundum bonitatem tuam.

Rumor ferebatur, marchionem Albertum captum esse, sed vanus hic erat.

Sub undecimam per alium ecclesiasten habita est sacra concio de symbolo fidei nostræ, hominem quidem non indoctum, qui ita autoritate quadam et christiana scientia capita fidei nostræ perstrinxit, ut miror si ipsi alium in hac re sibi parem habeat, dum ejus compositos mores et eloquentiam scripturarum scientiæ junctam consideres. Potissimum autem tertiam partem fidei »Credo in spiritum sanctum« cum quatuor adhærentibus articulis declaravit. Vita æterna, inquit, duplex est, bonis sua et malis sua etc.

Eadem circiter nonam horam pomeridianam dum a cœna deambulabamus, forte in platea respicientes insperato Conradum Milchling a Schonstad nos accedere videmus, qui litteras a domina socru et uxorecula detulit, ut a mercatoribus mille florenos accipere possem, fide matris hæc princeps officio functa nil omittit, quod ad levamen harum calamitatum faceret.

Decima nona Junii die Walpurgis comitissa ab Henneberg vidua in Honlo a marito suo Carolo a Gleichen in Chranichveldt introducta est.

Avus uxoreculæ salutem nobis annunciari voluit. Etiam in Bairsdorff sinistra fama est de captivitate Alberti marchionis.

Joannem nobis a pedibus Schonstad post tergum reliquit, qui et ipse litteras e patria nostra adfert. Auff der Donau zu Werdt Hat mir Gott gute antwort beschert.

xxv Junii Werdæ intra quintam et sextam horas idem qui heri ante meridiem concionabatur, ex cap. 6 Lucæ hæc verba legit: »Veruntamen, Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram, væ vobis qui saturati estis, quia esurietis, væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis, væ vobis, cum laudaverint vos omnes homines. Secundum hæc enim faciebant pseudoprophetae patres eorum« etc. Scitis, inquit, duplicem usum esse sacrarum litterarum, aut duplicem earum operationem. Primus est, ut facienda et omittenda doceat, Roman. 15. Alter ut moneat, a quibus nobis caveamus etc. De præcedentibus in expositione proxima audivistis, quomodo discipulos ad instantem persecutionem dominus commonuerit et beatitudinem hanc paupertatis non de opum carentia, sed de spiritus submissione intelligi. Sic quoque hic non de solis divitibus juxta nomen loquitur, sed et de securis et snperbis spiritu etc. Sed videamus, inquit, hæc quatuor. Primum væ vobis divitibus. Vocula væ, evidens ærumnarum et perditionis comminatio est, ut passim in scripturis videre licet etc. Quia hic consolationem vestram habetis etc. Non quod esse divitem peccatum sit, cum multi patriarchæ Abraham, Isaac, Hiob nec non et Loth divitias possederunt, sed quod divites animo elati solum mammonæ adhærentes et donis dei abutuntur, neglectis verbo dei et pauperibus, et normam Davidis: »Divitiæ si affluunt, nolite cor apponere«, non sequuntur. Nam hæ sunt spinæ, quas dominus dixit suffocare semen, ne exoriatur et fructum ferat. Et similiter dominus ait, facilius esse camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum cælorum intrare. Habent autem divites aurum suum et amicorum multitudinem etc. Volentibus autem nobis ea, quæ in memoria tenebamus, hic ascribere, venit Joannes Galacteus dicens quod mox a concione Werdenses concionatoribus suis gratias egerint ac veniam abeundi concesserint. O triste et omnibus seculis deplorandum nuncium! Væ, væ, væ omnibus, qui horum consiliorum participes sunt, et bonum mihi duco, quod deus postremam hujus viri concionem audire largitus sit. En vocavi hominem ad prandium. Et inter concionem, quæ sexta finita erat, et undecimam hæc intercidunt. Sperabantur autem de manu domini meliora. Bonus hic et doctus, quasi animus quid ejusmodi præsegiret, inter concionandum dixit, divites omnia ad opes, voluptates et nomen bonum sive per fas sive nefas consequendum referunt et siqua



evangelium recipiunt, ita recipiunt, ut tamen interim nullius commoditatis carere velint, quod et nunc persecutione ingruente videmus. Nullus enim principum aut magnorum procerum est, qui ingratiā verbi vel minimum quid opum suarum velit negligere vel relinquere. Et si forte regiuncula aliqua relinquenda et voluptates ob evangelium contemnendæ, non solum verbo evangelii, sed vel Christo ipso in totum renunciaturi sint.

Domine Jesu Christe, qui tuis mundi odium et persecutionem in ipsos prædicere voluisti et multis modis animos eorum confortasti, en domine, inveniunt nunc nos hæc mala omnia et nihil superesse reliqui videtur, nisi quod pollicitus es, te permansurum nobiscum usque ad consummationem seculi. Igitur da, ut possimus intentione hac gravissima subsistere, quo te veniente levemus capita nostra et de tua gratuita bonitate coronam gloriæ cum omnibus electis tuis reportemus. Idque propter summam tuam bonitatem, domine, cui cum patre et sancto spiritu honor, laus sit et gloria. Amen.

Eadem venit Joannes nobis a pedibus a Joanne Galacteo et Hermanno Nellio nobis litteras adferens, Coloniensium et monachorum in comitatum nostrum infestationes concernentes. Detulit et litteras ab eisdem ad Liborium.

Nota qui fieret quod Hermannus nihil de pecunia rescripserit. Nepotem nostrum Samuelem nondum quoque Waldeciam appulisse.

Vidimus eadem Werdæ domum Antonii Fuggeri intra mœnia urbis magnarum opum ostentatricem. Regia esse possit habitatio. Camini aliquot ex marmore candido, non tamen pario sed Eistatense, tabulata ex ligno varii generis, laquearia deaurata vel potius aurum ficto colore ementita, ut de pavimentis affabre planatis taceam sua planicie superbientibus. Et cum alii ex virentibus pratis hortos dædalios magnificiunt, hic videre erat labyrinthos in pavimento ex asseribus dolatis miro insinuamine structis lineamentis per gyros et mæandros, ex quibus deambulans difficulter se nisi lineamenta transiliat eruere potest. Sed sint suis divitibus opes, qui forte civitatem permanentem hic ædificare statuunt. Inde redeuntibus hospes noster æthiopem cursorem, qui Hispano custodiæ principis Cattorum præfecto a pedibus servit, conspectus hominem ad se vocavit. Quem ubi de principis valetudine et quonam locorum nunc asservaretur rogarem, respondit: Sub noctem cum capite meo in Hala Suevorum pernoctavit. In ea enim urbe hispanicus exercitus una cum landtgravio menses duos transiget. Jussi igitur æthio-

pem nobiscum prandium sumere. Ostendit insuper et nobis inscriptionem litterarum manu propria principis nostri ad Erasmum hispanicum secretarium cæsaris exaratam. Thalerum quoque illi dono dedi et pollicitus est, se meo nomine debita mea officia principi oblaturum. Volebat vero æthiops adhuc eadem Augustam contendere.

Reperi in hospitio dominum Martinum Cæsarem cum Joanne Galacteo sermones conferenten ac una pransi sumus. In prandio sermonibus, ut tempus ferebat, animos recreabamus. Actis gratis a prandio varios sermones ego et dominus fudimus. Est enim vir suavissimæ consuetudinis. Ostendit nobis scriptum, quo senatui Werdensi ob intricatum interim responsurus erat tam ipse, quam symmistæ ejus. Habuit hic Martinus patrem qui et ipse ecclesiis in ecclesiastico munere præfuit, nomine Joannem Cæsarem, qui filios sex litteris institui curaverat, quorum quinque ministri verbi sunt, sextus ludi moderator in Anspach. Fuere vero fratres germani novem. Et ita invicem contulimus de causis religionis ut utriusque animus probe explicatus sit. Tandem causam deo comittentes eam, quæ pios decet, amicitiam inivimus. Stipendium ejus fuit annue floreni centum monetæ suevicæ.

Eadem Martino et suo symmistæ senatus per tres viros non solum verbi ministerium, sed omnium quoque sacramentorum administrationem prohibuit, præcipientes quoque ne posthac templum tanquam parrochi ingrederentur, nullam causam prætendentes, nisi quod civitas eorum non ea esset, quæ posset cæsari resistere. Certe pusillus grex Christi, qui domino nec in hoc oppido defuit, ob amovendum pastorem mærore afficitur et Martinus animo christiano fert hanc injuriam.

Nota de fidelitate Chunradi coci.

Werda habet domum Teutonicorum, ut vocant, et cœnobium Benedictinorum, cui abbas præest.

Werdæ desidentibus et expectantibus Liborium et Adrianum en inopinate cognatus noster Joannes a Rethberg nos in hospitio adiit, rogans ut cum eo cenaremus. Cui dum morem gerimus, Joannem ab Ungenadt, austriacum baronem in eodem hospitio cognati nostri esse agnovimus, qui juxta cognominis sui etymologiam veritatis patronum præstans (ut est homo verbi divini et pietatis amans) minus favoris apud Ferdinandum contraxerat, qui ab Augusta huc venerat, quo sibi comparato navigio Lincenum Austriæ navigaturus erat.

Nota de parricidiali odio civitatum vicinarum in Augustanos et Ulmenses, quod cum plurimum de sua fortitudine et constantia de suis

munitiōibus et propugnaculis gloriati sint, jam leviter omnibus, quæ cæsar voluerit, subscripserint.

Nec hac die ullum nuncium de nostris, quos Augustæ reliqueramus, habuimus.

Comes a Rethberg nobis retulit, comitem de Blae cum sabbato die elapso illi statuta dies ad subeundum capitale supplicium esset, ante semihoram ejus temporis nescio ob quorum intercessionem a cæsare vita donatum. Certum quoque est, is cum intra palatium cæsaris duceretur ac in hybernaculo quodam solus dimitteretur, venisse doctorem, quem Acaldum cæsaris vocant, ac eum his verbis allocutum fuisse: Generose et gratiose domine comes, misit me cæsarea majestas C. T. dicere eam intra horas tres et vivum et mortuum futurum. Cura igitur, quæ tibi disponenda videntur. Ad hæc ille: Quoniam aliter fieri nequit et sic cæsari visum est, omne negotium deo commisi et jam nunc mori paratus sum. Dimissus igitur per breve interstitium temporis in hac deliberatione, sed idem doctor reversus est, dicens: Domine comes, jussit cæsarea majestas tibi indicari, quod te vita donatura sit. Ad hæc comes: Gratias ago suæ majestati pro tanta clementia. Verum si in potestatem vel custodiam fratris mei cancellarii Ungariæ dedar, rogo, ut sua majestas potius me sub gladium mittat, nam nunc sub hoc ipso articulo temporis mori paratus sum. Nunc autem in famulatio regia Ferdinandi est, præstolaturus quid illi eveniat.

xxvj Junii Werdæ celebratum est infaustissimum et omni ævo deplorandum silentium. Nam ejus, qui cælum et terram cum omni eorum ornatu fecit et solem super bonos et malos radiis suis irradiare sinit, verbi præcones obticere oportuit. Caro et sanguis, pulvis, cinis et putredo, vos figulum suum et creatorem creatura silere jusserat. Ostende eis, o domine, quod deus sit.

Domine deus misericors et justus, ecce coram te manus nostras et cor nostrum expandimus, confitentes et ejulantes, quod iniquitates nostræ supergressæ sunt numerum arenæ maris, et transgressionibus nostris et hoc enorme peccatum ingratitude erga sacrosanctum verbum addentes, ita probe comminationem illam insustentabilis iræ tuæ commeriti sumus, ut affligas nos fame, fame inquam malesuada et interimente tum corpus tum animam, non quidem panis salvifici verbi. At tamen confisi de bonitate tua magna posteaquam non solum pane vivit homo, sed in omni verbo, quod de ore tuo procedit, juxta præscriptum domini et liberatoris nostri Jesu Christi ex toto corde oramus: Panem

nostrum da nobis hodie quotidianum cumque Davide servo tuo adjuvante nos spiritu sancto tuo inclamamus, ne auferas verbum a corde et ore meo. En, benignissime pater, jussu filii tui petimus, non dabis lapidem petentibus panem, panem, pater, animæ. Idque te deprecamur ob eum, in quo nos ante constitutionem mundi dilexisti, unicum filium tuum, dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit et regnat cum sancto spiritu in secula seculorum. Amen.

Eadem Rethbergius a Werda abiit. Chonradum Galacteam a Schonstadt Noribergam remisimus, ut videret, num Christophorus Feuer ibidem esset. Nam ad Matthiam Maler et Paulum Hundertpfundt Augustam mittere minus consultum videbatur.

Profectus est et hodie hinc quidam aulicus ex Hennenbergensis principis familia, qui magistrum Glaserum reducturus erat. Eadem Adrianus ab Augusta veniens litteras Liborii attulit, et idem hesternodie nondum Augustanis conciones interdictas esse retulit. Fratres Colbecheri male cum domina noverca conveniunt. Equus Adriani thaleris septem constitit.

Acceptis igitur ab Adriano litteris et equis ephippia imponere et jentaculum mensæ apponere jussimus, Martinum Cæsarem, qui alioqui mandato magistratus tamen non omnium mandato a sacris vacabat, accersentes. Martinus et ego convenimus, ut si sui magistratus in proposito manerent, nos inviseret, exploraturus, num in ea regione commorari poterit. Thaleros quatuor in viaticum dedimus, ac bene illi ac hospiti precantes iter Weissenburgum suscepimus. Item hospiti quæ Liborio, qui nos subsequiturus esset, diceret injunxi. Ille rursus rogavit, ut hospiti in Weissenburgo dicerem Leonardum Vidmarckter ad insigne leonis aurei crastino vel perendie cum pecunia pro lana Weissenburgi adfuturum. Paululum ante octavam Werdæ equos conscendimus et ante secundam Weissenburg intramus.

Werdæ hos versus scriptos legimus :

Fictos describam monachos studiose peroptas

Qui præter vestes nil pietatis habent.

Pendula nodosa cappa dolosa ligneus et pes

Hæc tria nudipedes ducunt ad tartara fratres.

Inter Weissenburg et Werdam oppidulum est Monheim, olim ducis Henrici Otthonis nunc cæsaris jure belli. Ante hujus portam Weissenburgum euntibus videre erat corpora tria tribus rotis disposita virorum obesulorum et qui justa tibiaram et brachiorum roborâ habebant. Hi

ob deprædatos Hispanos vel potius quod perpetuæ prædationis ab Hispanis vindictam sumere volebant, rotis contusi sunt, nec quicquam indumentorum illis carnifex reliquerat præter femoralia vix pudenda te gentia, præter omnem Germaniæ morem et pudoris jura.

Non procul a Weissenburg obviam nobis fit Wolff Brabender nunci- us novercæ, nullas vero nobis litteras afferens. Weissenburgi in superiori hybernaculo parieti hoc distichon inscriptum legimus, ut nobis videbatur in mitigationem doloris optimi ducis Joannis Friderici.

G H Sybenbergius K S.

Perfer et obdura, dolor is tibi proderit olim,

Rursus enim Christo vindice victor eris.

Weissenburgi cognatum nostrum a Rethberg, qui in aliud hospiti- um diverterat, cœna excepimus. Hospitati nos sumus apud Petrum Eden, qui tamen sero sub noctem domum reversus est. Conventum est inter me et cognatum, ut una Norimbergam peteremus.

Weissenburg inter tertiam et quartam horas antelucanas equos conscendimus, Norinbergam vero circa primam pomeridianam parvi horologii pervenimus. In domo Cerbana parieti ascriptum erat: Otium pulvinar Sathanæ.

Comes a Rethberg autem et ego jejuni a Weissenburg abiimus. Quia igitur Norinbergæ pransum erat, horæ quasi duæ expectandæ erant antequam latranti stomacho mederetur. Missus autem sive epulæ, quos hospes apposuit, hi erant, novo ut nobis videbatur more: Primo cancri cocti irritantes magis famem quam sedantes. Deinde pulli gallina- cei ad ignem tosti et semicrudi. Postremo caseus, cerasa et siliquæ pisorum cum herbis et stramine ut e terra erutæ erant, et id ipsum Norinbergicis solenne bellaria ita apponere etc.

Eubulus autem mox a mensa consurgens animum quoque pascere cupiens assumpto Etdorffio ædes Viti petiit. Qui ut primum nos adesse audivit, jubet uxorem ut nos ad ipsum intra cubiculum duceret. Opti- mum autem virum lecto cubantem nec manum nec pedem movere valen- tem ac sufferentem cruciatus fere omnium morborum reperi. Post mu- tuas salutationes de variis confabulati sumus. Interrogavit, quonam in statu res nostræ Augustæ fuissent, de quibus hominem nil celavi, quin et insuper retuli, quæ Werdæ, dum illic fuimus, acta sint et de quibus cum Martino Cæsare contulissemus. Item illi diximus, famam sparsam esse, Noricos interim illud interimens approbasse ac suscepisse. Respon- dit ingenue: Verum est, suspirans ac quasi lacrymabundus et simul ait,

illud factum esse inconsultis concionatoribus omnibus nec illi quidem interim illud ad legendum exhibitum. Ad hæc cum rescivisset senatus Vito aliunde exemplar istius libri missum, per senatorem aliquem illi mandarunt, ut eum libellum nemini mutuo daret. Insuper omnino se abstineret quicumque vel contra vel de hoc libello ad quenquam scribere, ne vel se ipsum vel urbem Noricam aliquo incommodo afficeret. Probe enim ipsi perspectum esse, quas turbas antehac scribendo moverit (hoc autem dictum erat de litteris Viti ad Brentium ab Hispanis interceptis). Addentes insuper minas, se asperrime in ipsum animadversuros, si aliter ab ipso fieret. Quid ageret miser, qui vix linguam ex omnibus corporis membris volubilem habet? Respondit tamen contra hæc tonitrua: Cæsar sub suo nomine librum hunc in publicum prodire voluit, et vos, domini mei, hunc celare vultis? Is vero modo penes nos non est. Quod autem prohibetis me scribere, non gravabor vobis obedire, quia nec manum nec pedem rite movere queam. Sed deus bone, quam vereor ne vobis mali quidquam hoc institutum prætendat etc. Consules vero et senatus diem unum et alterum perpetuis consultationibus insumunt, quid faciendum sit super hoc interim, et maxime quod doctor Henricus Hase et dominus de Lyra cæsaris nomine jam tum Norinbergæ præsentibus pro responso sollicitarent. Tandem victo verecundiæ pudore Christo gratiam cæsaris præferunt ac interim recipere statuunt ac solum Osiandrum ceteris concionatoribus neglectis ad se vocant, huic, quæ cæsar senatui mandarit simul et terrificas minas ipsius exponunt Andreæque super hac re consilium petunt. Quibus auditis Osiander ait: Consilium hoc apud vosmet ipsos habetis. Nam videor jam vos eo spectare, ut pedibus in sententiam cæsaris eatis. Verbum autem dei et assiduus hujus comes crux homines requirit, qui quippiam vel ejus gratia amittere vel impendere velint. Cum autem vos ii sitis, qui commoda vestra magis et tranquillitatem respicitis, potestis accipere. Ac sic dimissus est.

Consules autem et senatus conventis primoribus urbis et iis qui telam hanc texi volebant, edicunt: Quia cæsarea majestas (iis enim audientibus interim illud lectum est) hæc, quæ legi audistis, cum electoribus, principibus et ordinibus imperii ordinavit et hæc servari serio jussit, nos considerantes, si ejus voluntati in hac urbe resistatur, quanta pericula huic reipublicæ immineant, et potissimum quo hæc ordinatio sive declaratio cæsaris de religione non perpetuo sit sed interim duratura, quoadusque concilium, quod jam in foribus est, certum quid statuet etc., imperatoriæ majestati morem gerere statuimus. Et mox amandati

sunt legati, qui hanc responsonem cæsareæ majestati referrent. O horrendum et sanguineis guttis deplorandum senatus consilium. Nondum enim plebiscitum dici potest, nam regnat adhuc dominus in pusillo grege suo.

Deinde ecclesiastas urbis convocarunt, quid concluderint et acceptaverint illis aperientes. Verum quia filii hujus seculi juxta Christi verbum prudentiores sunt, alias causas prætendunt, jubent ut pro concione caute loquendi rationem habeant et diligenter caveant ne vel papæ vel interimici negotii aperte mentionem facerent, sed verbum domini intrepide docerent. Sic ex Norica urbe Samaria facta est.

Cognovimus et ibidem M. Nicolaum Gallum Ratisbonensem concionatorem tum apud Vitum pro consilio a Camerario Ratisbonensi et ecclesiarum præsidibus missum.

Ebnerus pater hujus et veram doctrinam Norinbergæ promulgari author extitit et electoribus aliquot eandem recipere persuasit, verax religionis veræ fautor. Sed filius ejus, qui modo consulem agit, quod pater huc intulit foras extrusit. Ita quoque didicimus Brentium jam secundo fuga elapsum. Confortet et conservet eum dominus in omni loco dominationis ejus.

Hailprunnæ primo interim illud acceptarunt victi tædio Hispanorum militum, a quibus misere vexati sunt.

A Ratisponensibus responsio exigitur, quod nisi tale fuerit, ut cæsari placeat, ante diem Martis proximam, Cæsar ipsis Hispanicam militiam et missurum et ecclesiastas ipse coherciturus, illis minatur.

Nota de pietate Philippi Pomerianæ ducis, qui, cum olim a Vito et aliis in comitiis interrogaretur, quidnam C. S. videretur, num quid in religione ibidem agi posse putaretur, respondit: Non video hic controversiis mederi vel posse vel etiam aliquem velle, Esz wirts aber, der obenn vber der blawen Decken sitzt, woll machen etc. Is enim solus vere dicit: Coelum mihi sedes est et terra scabellum etc.

Ait Vitus se non dubitare, quin dominus brevi aliquod remedium ipse excogitet, quo pusillus grex domini, qui quam exiguus, inquit, o comes, futurus est, si tales respublicæ, ut Norinberga, decesserint, servetur. Illud autem non nostrum est metas deo vel terminos præscribere, et interea temporis orationi cum christiana patientia instandum est, et erit aliquando tempus cum cæsar hæc se non fecisse optabit. Tandem post multos inter nos habitos sermones nos cum benedictione dimisit, dicens, se deum opt. max. precaturum, ut me in misericordia sua in Christo constantem conservet.

Optimus Baumgartenerus præ nimia consideratione horum temporum et rerum quasi tabe conficitur. Dedimus liberis Viti pauculos aliquot nummos in mnemosynon.

Eadem Christophorus Furer in crastinum octingentos septuaginta quinque thaleros, qui faciunt summam mille florenorum communis monetæ se prompte nobis missurum recepit, quod et altera die præstitit per Paulum Leitschir.

A cœna comes a Rethberg et ego extra portam munitiones perspeximus. Nota in munitionibus arcis quinque lapides cælatos constare floreno uno, ut nobis is retulit, qui rationem ædificii totius quoque et murorum et portarum perscripsit et computationi interfuit.

N. de doctore Sittart et comite de Stolberg.

xxvij Junii comes a Rethberg iter in patriam arripuit. Dux viæ illi sit angelus, qui Jacobum patriarcham deduxit. Eubulo Liborius expectandus erat.

Deinde Eubulus in templo sancti spiritus concionem sacram viri cujusdam adolescentis sed doctrina et eloquentia cani audivit, super hæc verba s. Pauli Ephes. 3. »Hujus rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis a communi patre cognatio in cœlis et in terra nominatur, ut det vobis juxta divitias gloriæ suæ, ut fortitudine corroboremini per spiritum suum in internum hominem, ut inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris, fixis in charitate radicibus et fundamento jacto, ut valeatis assequi« etc. Hic docuit, quid esset fides, quæ ejus natura vel efficacia, et quomodo debeamus radicem in Christum mittere, exemplo arboris robustæ, quæ radices suas terræ figit, flante borea et reflante cæcia immobilis manet. Atque inter concionandum inter alios scripturæ locos fere totum psalmum primum vel ut alii etiam classici authores scribunt psalmum secundum explanavit. Item quæ pœna eis maneat, qui radices fixas in Christo non habeant. Item de ingratitude nostra erga deum et ejus verbum, quamobrem et hæc persecutio nobis acciderit, et ad amussim singula lectionis verba excutiens hortabatur populum ad pœnitentiam et fructus dignos pœnitentiæ et ad fidei constantiam ac ad ratificandum in Christum. Perplacuit nobis in hoc viro, quod cum crassi illi boves et tauri ovem Christi balare ob terrificum interim vetuerint, forte, ne a rhinocerote et monocerote latera eorum tondeantur, timentes, voce alacri ipsemet Asaphum vel Iditum agens alcariter, concinente ecclesia, cantarit canticum Lutheri, quo petitur ut Christus ecclesiam suam contra maho-



meticos et papisticos insultus conservet, cujus in nostra lingua initium est: Erhalt vnnsz Herr bei deinem Wort.

A concione volebamus Rotgerum auff der Burgk convenire, verum familia simulabat eum domo abesse. Postea autem cognovimus, quod ipsius absentiam abnegarint, in causa fuisse, quod apoplexiæ species quædam et corporis et animi vires illius obruisset.

Deinde ædes Hieronymi Baumgartneri adimus, qui læto animo nos ipsum adeuntes excepit, ac invicem alteri non solum privatas nostras ærumnas, sed communis patriæ Germaniæ quoque exposuimus. Vidimus uxorem ejus et liberos, quorum præter unicum filium numerosum proventum habet, electurus exilium si quod asylum pateret, ubi veritati adhærere impune liceret. Optimus hic vir tertium Augustam scripserat, expiscaturus, quonam in statu res meæ essent. Ad hujus viri manus fideles quadringentos thaleros reposui in usum negotii Augustani.

Dum in hospitio in diarium meum nescio quæ assigno, opportune Liborius venit, qui post nos Augusta discesserat. Is omnia, quæ ibi acciderant, nobis indicavit, et inter cetera quod d. Musculus a munere ecclesiastico amotus esset. Item quod cæsar tribus (ut nunc militariter loquuntur) regimentis peditum ante palatium in statione armatis stantibus a senatu Augustano an interim vel potius operculum illud totius papisticæ camarinæ suscipere vellent an secus, responsum exegerit, quod d. Vito per Etdorffium significabamus ac eundem nostro nomine salutari ac valedicere jussimus.

Hala Sueviæ interim recepit ac sic Hispanicus miles revocatus est et (ut dicitur) Augustam vocatus. Sed nihil Halensibus hic timor profuit, post pauculos dies Iberi eos inviserunt.

Pransi igitur sumus convivas habentes Paulum Leitschir et Bavarum quendam. A prandio Adriano dedi thaleros ducentos et viginti unum ac quatuordecim batzos Augustam deferendos, ut catenæ aureæ, quæ in pignus remanserant, redimerentur. Accepit quoque quinque thaleros in viaticum et duos si forte hospes fœnus peteret. Item duos thaleros Chunrado Fabro, si forte horologiolum paratum esset. Jussimus quoque eundem thaleros centum referre ad Rotgerum auff der Burgk. Ipsi nobis reservavimus centum et triginta septem taleros.

Adduxit autem secum ab Augusta Liborius aulicum quendam filiorum electoris Saxoniae, Balthasarum Quindenberger, qui a nobis ad comitem itineris usque in Rudolstadium receptus est.

Singulis denique curatis auspice deo a Norinberga Forche-

mium tendimus ibidem pernoctantes. Vidimus Wulff Marschalck decanum Bambergensem.

Metuebamus quidem nobis a marchione Alberto, verum Bairsdorff oppidulum ipsius pertranseundum nobis erat.

xxix Junii a Forchemio Bambergam præterlegentes Moganum transvecti in Rattelsdorff pransi sumus, ibidem inveniētes Pinzingerum Norinbergensem cum uxore et liberis.

Nota de annulo Friderici electoris, quem nobilis quidam a pedite pro quindecim aureis redemit ac electorem eo redonavit. Hic autem annulus ex successione hereditatis trium electorum Saxonie gestamen fuit, scilicet Friderici, Joannis et hujus Joannis Friderici, qui modo secundo hujus annuli possessor est. Item catenam quandam auream circiter quingentos aureos ponderantem, quæ ab Joanne a Weisbach empta erat, filii electoris sibi redemerunt.

In Rattelsdorff primo accepimus hospitem nostrum in Coburg e vivis excessisse.

Vor vnnbedacht, hernach geprueffet  
Hat manchenn oft betruebett.

Sub noctis octavam Coburgam venimus, ubi posteaquam corpora cibo refecimus ac equi curati erant, somno diei tedium levabamus.

Joannes Ernestus Saxonie dux et Coburgæ princeps quod fratri suo Joanni Friderico proximo bello auxilio et comes fuerit, a cæsare mulctatus est arce Königsberg, vini proventu et aliis redditibus superba, et aliquot insuper millibus aureorum. Arcem hanc cum omnibus suis censibus Albertus marchio a Culmbach tanquam donum cæsareum tenet. Facilis est enim benignitas ex non tuo largiri.

Coburgicis persuasum fuit Norinbergenses interim illud nunquam recepturos. At a nobis veriora edocti non exiguum præ se dolorem præferebant. Vidimus ibidem symbolum Lazari a Schwendi, qui, quod accusaretur prodicionis in Vogelspergium, innocentiam suam (si diis placet) præterdēns, scribit:

Conscia mens recti famæ mendacia ridet.

Erant autem ipsamet die, quæ divis Petro et Paulo sacra erat, et Coburgianæ et Neumburgæ ad Salam nundinæ.

Ultima Junii a Coburga exeuntes arcem nobilium de Rosenaw monasterium Moinchroett prætereuntes in Newenstad civitatulam devenimus. Deinde inter Newstadt et Judenbach pagum in jugis sylvæ Thuringicæ tabernas et casas vidimus, ubi sumptu Pinzingerorum conflatoria

argenti habentur. Tandem Greventhal pervenientes, ubi Joannem Galacteam, Ludovicum servum et Joannem nobis a pedibus cum sarcinis relinquentes nos recta Salveldiam petimus. Evenerat autem Wolfgangum comitem a Gleichen et dominum in Blanckeheim uxorem nostram cum sorore Aemilia in Salveldia convivio excipere, et pene acciderat, ut ipsos in urbe adhuc invenissemus. Transito autem Salæ vado Rudelstadium ad charissimam socrum et uxorem sani et integri (Christo sempiterna sit gratia) pervenimus. Et quia socrus filias expectaverat solita cœnæ hora una cœnavimus. Itaque cum die Jovis ante secundam pomeridianam a Norinberga abierimus, die sabbati circa septimam vel octavam noctis Rudelstadium pervenimus. Distat autem Norinberga a Rudelstadio miliaria viginti quinque.

Rudelstadii ex nostris cum uxore nymphas Evam a Wirtzberg, Mariam et Annam sorores germanas Galacteas nobiles, Joannem a Honfels, Joachimum a Salder et Volckmarum a Germershausen, Henricum et Joannem famulos et Burckhardum nuntium, Volckmarum a Hagn, Fridericum a Bergo reperimus. Sub noctem domina socrus me indusiis aliquot donavit.

j Julii mensis Albertus Draco post octavam in arce evangelion proposuit ex cap. 5 Lucæ de piscatione s. Petri, qui jubente Christo copiosam piscium capturam fecerat. Ait summam hujus evangelii esse, quod eorum, qui Christo ex animo fidunt, animos verbo sancto suo pascere et corpora eorum cibis reficere velit. Si tamen in agnitione et fide Christi permanserint, et contexit ex hoc evangelio doctrinas novem. Primam de sollicitudine Christi erga suos, et si recte memini juxta ordinem Philippi Melanthonis cetera exposuit.

A prandio Balthasarus a Quindenberg cum venia dimissus Wimarum ad principes suos rediit. Amandavimus eadem Burckhardum nuntium et cum satrapa in Rudolstadt egimus, si qua equos ad ducendum currum pro mercede habere possemus. Aderat et Rudelstadii uxor doctoris Melchioris ab Ossa cum duabus filiabus.

ij Julii in sacello castri Rudelstad dominus Albertus Draco concionatus est, historiam visitationis Mariæ ex d. Luca contexens. Prius tamen ait, se alteram partem evangelii, hoc est de salutatione Mariæ et responso Elizabeth in aliud tempus dilaturum. Canticum vero deiparæ virginis ita exposuit, ut decem versus divideret in laudem domini ac de singulis dei virtutibus, misericordia, potentia et veritate loquentes faceret. Inter cetera hic notavit, beatam virginem Mariam dixisse, potentes

de sede deposuit, non autem evertit sedem, quod potestas gladii sit ordinatio dei, superbientes autem in ea personas deus deiecit etc. Docuit item exemplum charitatis et mutui officii in deipara virgine imitandum esse, utique quæ nec juga altissima montium nec temporis tædium detrectarit, quo cognatæ charitatis opera præstaret. Observari quoque hic jussit, Mariam observationem trinitatis in hoc cantico habuisse.

Eadem in hybernaculo nostro mappam novi orbis vidimus, qua nos Anastasius Schmaltz a Landau cum inscriptione nominis et sui et nostri donavit, qui vir nos ex solo nomine noverat, et me latet an unquam hominem viderim.

Eadem uxor doctoris de Ossa apud nos obtinuit, ut filiam ejus Aemiliam in ordinem pedissequarum uxorculæ susciperemus.

Perscripsimus eadem de nonnullis ad Joannem Galactem et Hermannum Nellium. Eadem Josto Sophi pro debito Germersshausen et pro mercede sua taleros viginti duos dedimus ex pecunia, quam Norinbergæ acceperamus.

iiij Julii Honfels et Ludovicus circiter quartam antemeridianam hinc abiere. Eadem quoque ante prandium domina socrus ac filiæ ejus nobis eas comitantibus ad Salæ fluvium piscatum abiere.

Comites a Schwartzburg genus suum trahunt a dominis de Kevernburg, Keverburg arx est non procul ab Arnstadio etiam apud gentiles quondam celebris. Primus autem dominorum de Kevernburg Christi fidem suscipiens ad regenerationis sacræ lavacra pro more Gundarus vocatus est, nunc Guntherus scribitur. Fuit et alter quidam Sigarth nomine, qui ob strenuitatem et fortitudinem ab imperatore ejus temporis Sigehart appellatus est. Extant de his plura monumenta in Reinhartsprunno cœnobio, ubi dicti domini sepulturam suam habuisse dicuntur. Henricus autem comes a Schwartzburg, pater uxoris nostræ unum et alterum horum comitum una cum uxore, ut in saxis Reinhartsprun effigies ipsorum viderat, in tabula depingi curaverat, licet nomina conjugum non sint ascripta. Hujus autem rei eam esse causam conjicio, quod tametsi monasticum genus, ut lucrum a magnatibus caperet, celebrare quidem nomina priorum videri voluerit, tamen non admodum de veritate et fide historica sollicitum fuit.

Eadem comes Wolfgangus a Gleichen et uxor ejus Magdalena nec non Walpurgis ab Henneberg, Caroli a Gleichen uxor, per litteras nos salutarunt.

Eadem domino Alberto Draconi tres aureos in elemosinam dedimus.

Posteaquam in Sala ad duodecimam fere piscatum est, in pago Niddernhaseln prandium sumpsimus. A prandio rursus piscationi indulgimus. Piscatores autem retia duodecim colligaverunt et summis laboribus operæ instabant. Verum nec conspici quidem ne dicam capi esoces poterant. Uxor et nostri nomine dimidium thalerum in propinam piscatoribus dedimus.

Sub vesperam Wolffgangus comes a Gleichen Rudelstadium venit et Anna a Sebach cum Volckmaro a Hayn reversi sunt.

Eadem Wilhelmus senior comes ab Henneberg filiæ suæ Catharinæ accipitres ex Ilminaie sylvis procreatos misit.

Non procul a Nidernhaseln trans Salam arx Weissenburg et pagus est Colckwitz nobilium de Thuen.

Nota domina socrus ante annos quindecim in comitatum Schwartzburg venit sub intestinum bellum Germaniæ per seditiosos agricolas motum anno 1525.

Salveldia et quicquid est hujus tractus ad Salam olim ditionis et juris Orlemundici et Schwartzburgii fuit.

Intra oppidulum Rudelstadt e nobili prosapia hi commemorantur: Joannes Mœring, Henricus a Witzleben, Schonfeldt, Georgius Heise, Philippus a Jene.

Nota de quæstore, qui cum jam neci adjudicatus esset non unum ob furtum et uxoris nostræ precibus a domina socru vita donatus esset, ante paucos dies Rudelstadium rescripsit, conquerens cistas suas rese-ratas, addens minas et cum juramento se adstrinxit se trans Salam ad duodecim miliaria Rudelstadio non appropinquaturum, tamen in confinibus se continet. Sed hoc factum est eorum, qui patibulo nati sunt, ut furtum iterando exaggerent ac crucem in malam velis nolis suspendi velint.

iv Julii in capella arcis Albertus Draco Psalmi 119 octonarium vel particulam decimam quintam ejusdem psalmi enarravit, cui initium est: Iniquos odio habui, legem autem tuam dilexi. Hic docuit de vero usu verbi dei et horum versuum octoadem in duas summulas divisit, scilicet quæ sit natura vel quale ingenium eorum, quibus dei timor et amor verbi inest, et quæ horribilis pœna eos maneat, qui et falsa docent et hypocritico spiritu sunt. Tribuit quoque timenti deum suas proprietates, odio habere inimicos quid sit, et quis hujus odii finis; Item diligere deum et legem domini; Item quod pius omne præsidium soli deo acceptum referat; fugere consortia malorum, rogare ut conservetur in verbo. Sex-

tum ut timore dei filiali scilicet non servili configatur, ut omni ex parte veterem Adamum mortificet. Et quia id non ex voluntate nostræ carnis, deus rogandus est ut in amore et timore sui nos conservet et in hac fragilitate humana suo spiritu sancto confortet, ut animum eo vertamus, si lapsi fuerimus ocyus ad dei misericordiam recurramus. Probe quoque exposuit, quid in scriptura configi dicatur. Item quid sit ringi cutem. Item quid verbum conteror hic significet, item quid scoria etc.

Eadem domina mater nos ephippio donavit et panopliam mariti sui ostendit.

Eadem senatus Rudelstadiensis nos vasis aliquot vini et cerevisiæ Eimbicensis honoravit. His igitur gratias agentes et in tutelam nostram recipientes, servis, qui attulerant, thalerum dono dedimus.

Eadem comes Joannes Henricus a Schwartzburg et uxor ejus de Widda, soror Alberti comitis in Mansfeldt uterina, sed non germana, volebant Rudelstadium venire. Petierant autem per litteras, si et socru et nobis non molestum, se nostri amicitiam et noticiam cupere. Nescio autem, quid comitem remoraretur, quominus ipse venire posset, uxorem vero cum Margareta et Brigitta filiabus Rudelstadium misit ac nobis per Joachimum Sack amicitiam et officia sua detulit. Par igitur pari retulimus.

Domina socrus, Anastasia uxor, domina Sebach et Melchioris de Ossa uxor esoces in Sala prosectæ sunt. Cepimus unum et in Schwartz pago, juxta quem die Schwartz fluviolus in Salam infunditur, symposium fecimus. Vix sub sextam noctis Rudelstadium remeantes vidimus rusticorum in Schwartz cellaria habentia circiter cados quinquaginta vini præter cervisiam. Habent nunc parrochum Casparum nomine et ad di-  
-nostiam Blanckenbergicæ arcis pertinent. Et is est pagus, a cujus incolis anno superiore Albertus marchio in Brandenburg propter injuriam, ut ille prætendebat, aurigis suis illatam exegit quadringentos aureos, nec ullus erat veniæ locus, ni vulcano se et domos suas litare voluissent.

Eadem habitæ sunt nuptiæ Walpurgis Rotschuch, quæ uxori pro cōca servivit, et Josti Sophi jocularis, copulante eos per verbum domini Alberto Dracone.

Testudineo gradu res Sebachianæ et Germershausianæ procedunt ac verendum ne inanem volet in auram.

Expectabantur Carolus comes a Gleichen et uxor ejus, verum renunciarunt se crastino affaturos. Eadem comes Wolfgangus domum revertitur.

v Julii cum Alberto Dracone de multis contulimus. Idem ea die in sponsalibus Josti et Walpurgis concionatus est, posteriorem partem psalmi 115: Dominus memor fuit nostri et benedixit nobis. Benedicit domui Israel, benedicit domui Aaron etc. enarrans. Summa est, inquit, horum verborum, quod deus omnibus benedicat et omnia conservet, potissimum autem ecclesiae suae benedicere paratus sit. Item quanta sit divinae clementiae bonitas, qui nec genus nec opes nec miseriam respicit, sed ordinis cujuscunque hominibus benedicit, scilicet regi potenti et Iro pauperrimo. Admonuit autem ut benedictionem quidem a domino et peteremus et expectaremus, sed ita ne mox animos despondeamus, si non in momento, quae petierimus, contingant. Dominum enim mature satis suos benedictione impleturum. Ait quoque psalmum vocem esse ecclesiae fidelium singulis ex christiana charitate fausta impreantis. Docuit et quomodo magni hoc ducendum sit, quod jubeamur et dicatur nobis: Benedicite domino etc. Item sponsum et sponsam allocutus est, memores essent immensae bonitatis patris in eos coelestis, qui magis et uberius eos, si in timore et fide domini persteterint, benedicturus esset, nec non et liberos, quos procreaturi essent, atque ne statim macrole conficerentur, si non omnia mox copiae cornu illis ad manum adsint. Vnd wo Irsz nicht schefflich habenn kont, so nempts lefflich an, Gott wirts woll machenn. Nec hoc beneficium parvi aestimandum est, dominum deum caelum sibi in thronum magnificentiae creasse, verum mundum cum omnibus creatis piis non invidere; quin, quod majus est, in usus ipsorum haec condidit. Et cum haec se ita habeant, cogitemus viventes et sani deo in perpetuum Halleluia decantare.

A concione Carolus comes a Gleichen cum uxore sua et Sigismundo fratre abierunt. A prandio conjugibus honoraria pro more data sunt.

Sub quartam domina de Schwartzburg, Joannis Henrici comitis uxor, pedissequas secum et Christophorum ab Entzenberg nec non Joachimum Sack assumens domum, relictis Rudelstadii duabus filiabus, ad maritum rediit.

Sub coena Henricus baro a Wildenfels venit.

Nota de facinoroso in Masfeldt incarcerato. Et animadverto, o homo, quid faciat caro sibi derelicta ut in pessimis etiam crudelitas in<sup>1</sup> locum habet.

vj Julii Albertus Draco in sacello arcis octoadem decimam sextam

\*

1 Hier hat die hs. eine kleine lücke.

psalmi 119 exposuit, cujus initium: Feci iudicium et justitiam, ne igitur tradas me oppressoribus meis. Primo repetiit quæ heri pro concione dicta erant. Deinde ait, hunc scopum hujus octonarii esse, quod sit oratio ecclesiæ universalis et uniuscujusque fidelis, et quod, cum ex animo servari iudicium et justitiam cupiat faciatque, et faciat quoque juxta donum dei illi datum, deum invocet, ut defendat et protegat ab adversariis etc. Et hanc orationem, inquit, si unquam necessariam fuisse arbitremur, profecto nunc orandi tempus est, cum verbum dei quotidie adulterari videmus et tyranni exurgunt, qui doctrinam veritatis una cum assertoribus ejus e medio sublatam volunt. Jussit quoque observari, quod pene eadem sors aut fortuna ecclesiæ et piorum omnium temporum fuerit adeo ut vel Davidem hæc vel nostro hoc perturbatissimo seculo scripsisse videri poterit. Docuit et scite, quid hic justitia diceretur. Nimirum, inquit, meritum Christi respicere et illi fidere et adhærere, una et summa est justitia, de qua David et ceteri prophetæ loquuntur, hoc enim justificamur, non illa, quæ fidei serva est, qua bona opera operamur. Item dicebat qui essent hi turgidi et superbi, contra quorum vim propheta hic oret. Videlicet, inquit, tyranni illi, qui superciliositate sua verbum domini contemnunt ac sibi soli sapere videntur, volentes hominum conscientias vel contra scripturas vel iisdem ad ipsorum palatum detortis astringere adigereque, qui, o deus bone, quam nunc regnante Sathana sæviunt et regnant. Item quid sit oculos ad deum directos vel intentos habere ad dei misericordiam. Hic enim omne nostrum excluditur meritum. Oremus igitur, ut secundum bonitatem<sup>1</sup> suam dominus vias suas nos edoceat, ipse enim est unicus doctor et verbum et cor dans. Sumus enim servi ejus, et servus sciens velle heri sui et non faciens plagis multis vapulabit etc. Item quæ essent testimonia domini, obtestationes vel decreta aut instituta juxta tropum scripturarum exposuit. Tempus, inquit, faciendi domine dissipaverunt legem tuam. En domine sancte pater, deus fortis et magne, cujus magnificentiæ nec modus nec finis est, exurge et dissipa gentes, qui bella volunt. Non solum enim tuos persequuntur et sacrosanctum verbum tuum invertunt, addentes iniquissimæ suæ ferociæ Judæorum calliditatem, ut quod hactenus armis et minis non processit, nunc dolo et eversione ecclesiarum et scholarum efficiant. Tempus est, o domine, ut ipse facias et regnes. Vere enim legem tuam et lætum evangelii nuncium dissipant, nobis sua edicta et somnia obrudentes, ne-

\*

<sup>1</sup> Hs. a domino.



que hæc malitia illis sufficit, aut solum hi, qui clavem David sibi arrogant, sed hi quoque quibus jus magnum necis atque vitæ, maris inquam et terræ dedisti. <sup>1</sup> Memento, Domine, misericordiarum tuarum antiquarum et intuere faciem Christi tui. Vix enim pugillus manus unius sumus contra tantam potentiam pontificum et perversorum Sodomitarum multitudinem. Amamus autem verbum tuum super omne aurum obrisum et cunctas delicias. Hunc deus in nobis amorem renova, ut custodiamus mandata tua et odio habeamus omnes vias a te alienas. Famulos igitur tuos, o deus, turris fortitudinis omnium sperantium in te, protege et nos in Jesu Christo domino nostro et spiritu tuo sancto consolare, qui vivis et regnas deus trinus et unus idem benedictus in secula. Amen.

Methodum autem docendi dominus Albertus servat, qua vix alia docendi simplicibus commodior. Primo enim cum suggestum conscenderit, jubet nomen domini invocari, ut verbi auditum et incrementum impartiri dignetur, quo illud quoque auditores ita in cor transmittere valeant, ut vel semel quæ docentur incipiant facere. Deinde quæ dicturus est prælegit. Post lectionem brevissime summam totius lectionis complectitur. Deinde ostendit, quot doctrinæ vel loci ad ædificationem fidei et vitæ prælectis insint dilucidissime enarrat, ac tum demum textus explanationem verbotin aggreditur, ac postremo per modum epilogi omnia, quæ docuit, quasi in fasciculum colligit.

Eadem tristissimum allatum est nuncium et ad Gallum Barretern ex Witeberga scripta missa sunt, quibus cæsar et Witebergensium <sup>2</sup> et Lypsensium universitatis theologis consensum illius omni pio horrendi Interim exigit, addens, si ipsi morem gerere renuant, ferri et undæ præter flammas minas. Item argumentum formæ juramenti, quod sacrificuli interimici præstare debeant, quoque Rudelstadium missum est.

Consurge, domine, et cedros Libani confringe.

Allatæ sunt et litteræ a doctore Melchiore Ossa. A prandio Carolus a Gleichen et Walpurgis uxor Cranichfeldam repetunt.

Socrus, Sigismundus a Gleichen, Henricus a Wildenfels et Eubulus a Waldeck cum uxore et sororibus et filiabus Joannis Henrici a Schwartzburg aprici gramine campi se delectabant ac in Renna fluviolo cancerum multitudinem pene tanto fluviolo imparem cepere.

vij Julii mulierculæ antemeridianum tempus balneis insumebant, ut in hisce regionibus hoc genus fere aquaticum quid habere videtur, ut

\*

1 Lücke in der hs.      2 a Witeb. u. s. w.

non inscite dōminus de Buswy, qui hippodromo et equis cæsaris præest, dixerit, necesse esse Germaniæ superioris feminas longe plus sordium quam Brabantinas aut inferioris Germaniæ feminas contrahere. Cuidam autem causam interroganti respondit, hæ fere singulis diebus balneis opus habent, nostræ vix semel aut bis in anno lavant corpora.

Eadem Balthasarus ab Entzenberg, uxor et nurus sua domum abiere, expectabatur et mater domini a Wildenfels.

Hac die sicut et singulis sabathinis diebus nundinæ Rudelstadii erant. Hic dies octavus erat, quod pro habendis equis in patriam miseramus, sed adhuc responsum expectatur.

Nota de ducissa Cliviæ comitissa in Schwartzburg, quæ ob piaculum in maritum commissum Rudelstadii in carcere asservata ad tempus aliquod ac tandem in cœnobium Arnstatense intrusa, in quo et diem clausit extremum. Fuit autem hæc atavia socrus nostræ.

Cranichfeldt et Blanckenhayn arces sunt Caroli et Sigismundi fratrum a Gleichen.

Eadem quidam, qui olim Alberto comiti a Mansfeldt a secretis fuerat, Rudelstadium litteras commendaticias secum apportans venit, cupiens in famulitium dominæ socrus recipi, verum id multas ob causas fieri nequibat.

Reversus est eadem et Adrianus noster ab Augusta Vindelicorum, litteras a Melchiore Lindio referens, qui se jam tertio ad me scripsisse conqueritur, cum unas tantum litteras ejus acceperimus.

Atrebatensis nobiles comitatus Waldeck in litteris nostris remisoriis excludere conatur.

Musculus Augusta duobus stipendiariis urbis ipsum comitantibus discessit. Is cujus cœli sunt et terra sui curam agere dignetur. Vices Musculi Joannes Henricus supplet, nec is quidem infidelis vel socors verbi divini et mysteriorum dispensator est.

Post discessum nostrum ab Augusta Franciscus a Dalwigk nevercam petit cupiens ut hujus consilio possit me apud cæsaream majestatem accusare. Verum hæc vel semel memor se genitorem meum in maritum habuisse, hoc facinus dissuasit, dicens ut volubilitatis fortunæ recordaretur, nam rerum vices esse et me aliquando ut dominum suum illi hæc in sinum suum reddere posse. Conquestus est idem se hoc negotii fratri suo Jodoco injunxisse, verum hunc cum Marchione Alberto in Prussiam abiisse. Non tamen intermisit hic bonus vir aliquid apud consiliarios imperatoris ac dominum de Lyra ac alios tentare. Sed ab his

jussus est, ut, p̄steaquam jam Eubulus in gratiam c̄sar̄is receptus sit, eadem mente in ipsum foret necne, prius experiretur.

Augustæ fama fertur Eubulum duos concionatores Werdeæ secum abduxisse. Atrebatensis duobus fratribus suis germanis comitatus semel atque iterum novercam nostram in hospicio inuisit.

Retulit nobis idem Adrianus abbatem de Keisheim Palatinum electorem in cœnobium suum hospitio excipere noluisse. Reportavit et catenas aureas. Idem dixit Rotgerum auff der Burgk ægre vitam trahere.

Eadem comes Sigismundus a Gleichen hinc abiit. Domina socrus donavit uxorem et me tabulis duabus, in quibus et ejus et Henrici mariti effigies ad vivum vel a Zeuside ipso depictas putares. Super imaginem socrus scriptum Am Tage Bonifacii Bin Ich sex vnd zwanzig Jahr alt, Im Jar 1536.

Fama est Chunradum Pennig insignia aliquot militaria juxta Hornburg erexisse.

Magdeburgenses excursiones contra Henricum Brunswigæ ducem seniore fecisse dicuntur. In Misna urbe per ducem Mauritium et status ditionum suarum comitia habentur super receptione maledicti interim.

Sub noctem balneis usi sumus.

Wildenfels, Romberg, Schonkirchen arces sunt dominorum a Wildenfels, nec ulli modo sunt heredes hujus dinostie præter Henricum et sororem ejus Margaretam. Mater eorum soror est Joannis comitis a Gleichen jam defuncti, olim Rembdæ commorantis.

Eadem ædes Alberti Draconis invisimus et museum ejus librorum copia probe instructum invenimus.

viiij Julii circiter septimam domina socrus filias Joannis Henrici a Schwartzenberg in Leuchtenbergam remisit.

Eadem socrus nos flagello donavit, in cujus capulo clepsydra inclusa est cum notis et divisione horæ unius in partes 4 et lignea tabellula paginas habente octo. Hæc munera socrui Joannes Wilhelmus a Fuchs ex Turgaw dum museum principum Saxonie expoliaretur, (quod museum idem Wilhelmus nobili supellectile et monumentis principe dignis instructum fuisse et singula suo ordine ita disposita, ut ipse ordo principem animum significare videretur, dixerat) socrui ex manubiis dederat. Tabula autem hæc agnita est fuisse Joannis hujus I. F. electoris patris illustrissimi et nunquam satis laudandi modo captivi in cujus paginis sua syngrapha conciones aliquot exceperat. Nam in frontispicio sic

habet: V. D. M. I. AE. Evangelium Joann. am Vierten. Item alia pagina  
 cujus initium: Dasz Evangelium Matthei am funften. Observavit autem  
 optimus princeps scopum concionantis et sententias celebriores asteris-  
 cis notavit. Vere hic princeps juxta præscriptum domini librum legis et  
 evangelii præ oculis habuit, noctu diuque in illo versatus, omnibus  
 christianis ex principibus merito imitabile exemplum relinquens. Fuerant  
 autem harum tabellarum complures, quæ in modum fornicis vel hemicicli  
 dispositæ fuerant, in quibus omnibus conciones exceperat, singulis con-  
 cionibus novas tabulas exhibens. Heu proh dolor quanquam pax fuerit  
 et securitas in diebus ejus, tamen hostis regnante filio ejus omnia pre-  
 ciosa scrutatus est. Sed spes bona superest, nondum abbreviata est ma-  
 nus domini, vivit et superest, velint nolint omnes inimici ejus, qui casti-  
 gans castigat suos autem morti præcipue secundæ non tradit, et quem  
 deducit ad inferos, reducere quoque potest. Memento, domine, servorum  
 tuorum, respice faciem Christi tui. Exurge, solve compeditos et assere  
 gloriam nominis tui. Quis tibi fidens unquam relictus est, o domine,  
 deus noster?

Eadem dominus Albertus ex cap. 5 Matthei: Nisi abundaverit ju-  
 stitia vestra plusquam scribarum et pharisæorum, non potestis intrare in  
 regnum dei etc. usque ad eum locum: Amen tibi dico, non exibis inde,  
 donec persolveris extremum quadrantem, concionatus est. Perlecto  
 evangelio textum in quatuor doctrinas divisit. Primum de differentia  
 justitiæ fidei et justitiæ, quæ ex lege procedit et involuntarie quodam-  
 modo fit erga homines. Deinde quomodo Christus legem de non occi-  
 dendo interpretatus sit. Item de verbo Racha. Et quarto quod teneamur  
 nos reconciliare fratri. Occisionem autem ajebat ex tribus radicibus  
 nasci, ex aperta ira, animi rancore et verbis tacite animum nostrum sti-  
 mulantibus etc. Dixit quoque quid fatuus in scriptura significet, et quod  
 per Racha omne verbum criminis denotetur. Et hic movit quæ-  
 sitionem, an nemini liceat objurgare fratrem aut Racha illi dicere. Re-  
 spondit, quatuor genera hominum hic excipi, quibus liceat: magistrati  
 seculari jure et gladio sibi commisso, ecclesiastis per verbum, paren-  
 tibus et dominis in liberos et servos et ludimagistris suis finibus. Tamen  
 iram et verba hæc circumscipsit, ne ex animi proprio motu, sed ex zelo  
 bono et juxta vocationem fieret. Admonuit insuper, ut si ab aliquibus  
 aliquando læsi nos ad reconciliandum cum eis faciles præberemus.

Eadem consultationem universitatum Wittenbergensium et Lypsen-  
 sium legimus et eam nobis describi curavimus. Hinc timenda videtur

rerum mutatio. Sed est (Christo laus) qui nobis potentes potenter evertere potest.

Eadem Jostum Sophi Wimariam misimus.

Eadem domina socrus Wimariam proficiscitur, secum abducens Aemiliam et Annam Mariam filias. Uxorem quoque doctoris Melchioris de Ossa. Venturi quoque Wimariam erant Georgius Ernestus princeps et comes in Henneberg, Fridericus a Wangenheim, consiliarius ducum Saxoniae et alii inter filiam Henrici comitis a Schwartzburg et Guntherum comitem a Schwartzburg causa dotis acturi.

Eadem et Henricus a Wildenfels abiit.

Socrus pernoctatura erat apud Fridericum a Witzleben. Nos interim inter spem metumque suspensi rei exitum expectabamus.

A caena cum domina de Wildenfels, filia ejus Margareta ac uxore cibi digerendi gratia in arcem (ut vocant) veterem ibamus. Est autem murus arcis proximus, ubi adhuc fundamenta et maceries ruinosae videntur. Ad hujus montis radices in suburbanis Rudelstadii aedes nobilium a Heisen sunt, quas nunc Georgius, Ursulam de Schonberg in uxorem habens, inhabitat. Sunt et his contiguæ domus Sigifridi Schonfeldt et Philippi a Ten. Assidentibus igitur nobis in monte accessit nos puer quidam, indicans quendam e familia comitum de Schwartzburg petere, ut me convenire possit. Puerum ergo interrogari jussimus, cujusnam minister esset, sed anteaquam puer ad nos reversus esset, ipse Christophorus ab Entzenberg nobis fit obviam nomine comitis sui Joannis Henrici a Schwartzburg et ab ejus uxore nobis salutem dicens hæc attulit. Posteaquam comes suus accepisset dominam socrum peregre profectam nosque cum uxore nostra ibidem quasi solitarie degere, quo ipse comes nostri notitiam habere possit, peramice eum petere, ut ad diem Martis proximum sub vesperam in Leuchtenberga, ubi et tum nuptias pedissequæ uxoris suæ habiturus esset, adesse dignaremur. His auditis primo hero suæ et dominæ gratias agere jussimus. Talia autem esse modo negocia nostra, ut choreæ non peterentur, nec quoque me probe edoctum esse ad strepitum cytharæ choreatum ducere nymphas. Quia autem comes petierat, ut Aemiliam neptim suam, quam ipse e sacro baptismatis fonte levasset, nobiscum adduceremus, dictum est illi, hanc cum matre abiisse. Quia autem hoc responso Christophorus sibi satisfactum nolebat, per Christophorum Zier, quid in hac re faciendum nobis an secus esset, respondimus.

ix Julii dum per hybernaculum socrus transeo, forte fortuna in

novum testamentum a doctore Luthero germanice versum incidimus, in cujus foliis, quæ libro præfixa erant, manu socrus propria hæc scripta vidimus ac latine utcunque reddidimus: »Anno domini 1526 inter septimam et octavam horas in vigilia paschatis in arce Arnstadt sub noctem nata est Anastasia. Anno domini 1527 die Jovis ante festum purificationis Mariæ natus fuit Henricus in Arnstadt. Anno domini 1529 die Martis post Lætare infra nonam et decimam natus est Wilhelmus Henricus in Rudelstadt. Anno 1530 die Lunæ post visitationis Mariæ transeuntis montana infra quartam et quintam horas ante meridiem natus est Guntherus Wilhemus in Rudelstadt. Anno domini 1538 in vigilia conceptionis Mariæ nata est Anna Maria infra sextam et septimam noctem versus in Rudelstadt et hæc posthuma est. Anno domini 1528 die Lunæ post Lætare ante duodecimum noctis nata est Aemilia in Rudelstadt. Ex his supersunt et aura adhuc fruuntur ætherea Anastasia nunc comitissa in Waldeck, habens filiam ex Eubulo marito Catharinam nomine; Aemilia, quæ ante annos abhinc octo sub conditionibus desponsata est Gunthero Guntheri comitis a Schwartzburgk filio, sed nondum nuptiæ peractæ sunt, Anna Maria hoc anno decennis posthuma. Fratres vero infantes omnes e vita migrarant. Domine deus, inter cujus innumeras laudes et hæc tibi decantatur, tu pupillo et viduæ eris adjutor, pupillorum et matris quoque rationem habere digneris.«

Eadem in sacello arcis vidimus supra altare introeuntibus ad lævam insignia Marchiæ et Cliviæ et Christum crucifixum mortuum et resuscitatum artificiosissime depicta. Dicitur autem opus fuisse N. ex ducibus Cliviæ et comitibus Marchiæ procreatæ comitissæ in Schwartzburg.

Eadem legimus licet antea viderimus a Sathana ipso inventum et a suis conjuratis conscriptum juramentum, quod sacerdotes rursus se romani imperii pontificibus subdentes præstare debent. Sed quid agemus? Nisi ad dominum ardentissimis votis intimis ex præcordiis clameamus, ne tandem ob nostra peccata blasphemari nomen sanctum suum sinat, dicamusque cum archangelo Michaeli: Corripiat te deus Sathan, ludicra enim præ his blasphemis videntur quæcunque Sannaherib, Heliodorus, Rapsaces, scribæ et Pharisæi et quicquid hujus turpissimæ cameræ hominum opprobrii Christo domino et patri ejus cœlesti sanctoque spiritui unquam objecerunt et nisi hæc blasphema ora ipsa sibi digito labellum compescunt, timendum est, ne in eos digne vox Christi conveniat: Moriemini in peccatis vestris, licet cæci et duces cæcorum præ

felici rerum successu et invidia non solum oculis lippunt, sed omnibus talpis et Tiresiis cæcutiores sunt. Recordare, domine, et respice opprobrium servorum tuorum, humiliati enim sumus nimis, ut quid blasphematur nomen tuum non solum inter gentes, quæ non noverunt nomen tuum, sed inter et ab iis, qui tecum, creator cœli et terræ, divisum se imperium habere putant, contaminantes sanguinem crucifixi in sua stupidissima sapientia gloriantes. Convertete et evertete, domine, pater cœlestis, per Christum Jesum dominum nostrum. Amen.

Hac die nullum ex Wimaria nuncium venit.

x Juli volebamus quidem Blanckenburgum ire, verum aliis negociis impediti sumus. Volebamus item in templo oppidi ex vetustis libris monumenta quædam expiscari, verum quia a senioribus seclusæ erant, ludimagistrum rogavimus, ut ille petitis clavibus librorum primas paginas inspiceret ac nobis, si quid inveniret ejusmodi, indicaret.

Vidimus in oppido ædes (ut vocant) parrochiales habentes hibernacula duodecim, cellaria concamerata plus minus sex vel septem, aulam et culinas, quæ vel principi sufficerent, atque hæc ante renovatam prædicationem evangelii sedes fuit archipresbyteri, quæ dignitas post suffraganeum et officialem Erfurdiensem in tractu Orlamundensi inter papisticos prima fuit, et ad hunc parrochum primo deferebantur causæ vicinorum sacerdotum etc.

A prandio in nemoribus trans Schwartzam amnem venatio instituta erat. Quia vero major pars meridiei præterierat et retia nondum tensa erant et metuebatur venationem in multam noctem protractam iri, uxor et Margareta de Wildenfels nobiscum ad visendum Blanckenburg diverterunt. Est autem Blankenburg arx vetusta sedes comitum a Schwartzburg, sita in vertice altissima montis, ad utriusque montis latus vinetis superba, conspectum habens amœnissimum. Ad radices montis civitas est ejusdem cum arce nominis. Hæc recenti hominum memoria ter conflagratione pene periit, et cum secundo fere ex integro reædificata esset, subitanea conflagratione iterum combusta est. Tertio vero idem perpessa clementia soceri nostri comitis a Schwartzburg incolis, quo levius reædificari urbs posset, omnes redditus, debita et tributa in septennium remissa sunt, qua de causa et factum est, ut Rudelstadt dominæ Catharinæ hanc ob rem et quod masculi heredes non superessent ad vitam ipsius possidendum cum omnibus proventibus ejus datum sit. Tenuit arcem Blanckenburg quondam comes a Schwartzburg, cui cognomen fuit der Straszburger. Habet hæc arx pomœrium et ante-

murale duplex. Habet et fossam castrum circumdantem, in qua carcer teterrimus ex rupe excisus et puteus profunditatis incredibilis, ad cuius oram cum abietini asseres positi essent, Anastasia uni horum incumbens ante biennium cum putei profunditatem intueretur subsedit, nisi ope divina asservata fuisset ita ut a Lewensteipio a Rhen manu apprehensa attraheretur, in baratrum hoc absorpta fuisset. Nunc quoque arx undique ruinam minatur, sauris, nocticoracibus et bubonibus hospitium præbet. Proventus vero Rudelstadium cedunt. Nam Blanckenburg æquo fere spacio a Schwartzburgo et Rudelstadio distat, scilicet miliari uno.

Tempore vindemiæ præfectus Rudelstadii in domo torculari se continet. Fuisse autem potandi studium in veteribus comitibus de Schwartzburg, ut fere omnibus Germanis peculiare fuit, et hoc argumento cognovimus, quod torculari truncum ligneum ita excavatum, ut humeris hominis aptari possit, iusti ponderis et ex catena ferrea dependentem vidimus. Usus autem hujus trunci est, ut qui ad æquales haustus bibere voluerit, hujus collo appendatur. Ipsam arcem ob pontis trabes tabie corrosos intrare non licuit. Dum igitur situm arcis consideramus, venit Albertus Piscator iudex in Blankenburg nomine senatus Blanckenburgensis rogans ut cum uxore urbem ingredi dignaremur, quo ejus et nostri notitiam habere et vino nos honorare possent. Quamvis ægre consenserimus, tamen civium humanitatem incivilitate nostra non obruendam rati per declive montis descendentes pedes urbem intramus recta domum Alberti Piscatoris adeuntes, ubi jam tum in medio curiæ sub dio mensæ positæ erant. Salutata igitur uxore et liberis ejus vix consedebamus, quin secretarius urbis cum altero consulum adesset felicem nostrum adventum fore precantes, propinantes vina et quicquid apud ipsos insumptari essemus, præterea et sua officia deferentes. Albertus Piscator variolos pisces opipare coxerat. Jussimus igitur consulem et suos asseclas assidere ac sitis lætitiæque crateram invicem bibimus caventes a tertio. Mox quoque ludimagister et pueri aderant, imo et senatores aliquot, musica aures nostras demulcentes. Et profecto mirati sumus humanitatem horum civium, qui ampliori urbe digni essent. Venit et quidam Andreas, qui uxoris olim nutricius fuerat et quæstor ærarij in Schwartzburg. Consul Joannes Hack diversa nobis de fortuna et fato civitatulæ hujus et quod præter incendium grando semel atque iterum segetes concusserit, retulit. Idem quod oppidi incolæ ex vinearum et agrorum cultura victitent; tamen ut ceteræ civitates nullas habeant vel nundinas vel negociationes, nonnulli quoque eorum ex pis-



catura vivant. Est enim Schwartzæ variolis et nobilioribus piscibus, urbem præterfluens, dives. Socruæ nostræ hæc civitas quotannis ducentos aureos pendet et octuaginta. Omne vero quod hic trivimus tempus sesquihora erat. Dedimus filiæ Alberti, quam uxor nostra e sacro fonte levavit et Anastasiæ nomen indidit, aureum unum, cantoribus solidos decem, præsentantibus amphoras vinarias grossos sex, et qui portas arcis reserat nescio quæ numismata. Sub octavam noctis Rudelstadium reversi sumus.

Volupe est homini pio et erudito in his exiguis oppidulis videre ecclesiam et ludos litterarum pro sua sorte viris bonis provisam et vae in seculum seculi Romanæ bestię C. et F. cum omnibus squamis ejus, qui has reipublicæ et ecclesiasticæ administrationis formas evertere conantur et quod in propalam est nunc possim profigat.

Eadem Sigismundus comes a Gleichen, baro de Ruess et ceteri Rudelstadium transeuntes N. sponsam in Leuchtenbergam deduxerunt.

xj Julii uxoris et nostro nomine quatuor thaleros in honorarium sponsæ in Liechtenberg misimus, item dedimus sarctori Casparo pecuniam in vestem sericam uxori nostræ comparandam.

Eadem d. Albertus ex psalm. 119 octoadem decimam septimam exposuit, scilicet: Mirabilia testimonia tua, domine etc. Summam hanc posuit, quare christiani verbum amplectantur et ob id sedulo ex corde et ore deum rogent, et hujus orationis hanc formam esse; item quid oratio, quid zelus esset per tres versus docuit, dicens verbum domini esse admirabile, hoc enim cum parvulis reveletur per sapientiam rationis humanæ comprehendere nequeat. Et ad hujus rei veritatem demonstrandam multos scripturæ locos aptissime adduxit. Item consolationem in hoc psalmo contineri ac eam ex verbo domini contingere, juxta illud: Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad consolationem etc. Tertio docet et orationem. In hac autem oratione præcipue quatuor petuntur. Primo ut deus illi sit propitius. Sed ais, illud quomodo faciat deus? hoc modo rogat propheta quo solet misericordiam exhibere laudantibus nomen suum. Hi enim non imminuentur omni bono, quia glorificantes se deus quoque glorificat. Secundo orat, ut certo fixi et firmi sint pedes ejus in verbum domini, et ne nequitia super eum regnet. Tertio ut liberet eum de injuria hominum, et tum ait, se servaturum contestationes domini. Quarto et ultimo orat, ut dominus super ipsum faciem suam illustret, servus enim domini est, ut doceat eum vias suas. Ex zelo autem illi cum omnibus piis communi, ait,

rivos aquarum deducunt oculi mei. Quamobrem? inquit: nimirum quia lex tua non observatur. Docuit quoque quid esset, domini vultum super nos illustrari, scilicet deum nobis esse propitium et serenam, ut loquimur, frontem se nobis ostendere, sicut et alius psalmus habet: Deus misereatur nostri et benedicat nobis, illuminet faciem suam super nos et misereatur nostri. Dicebat quoque verba dei contestationes, obtestationes et testimonia dici, non pro more hominum, sed quod verbum sit imago mentis et immensæ bonitatis dei patris erga nos evidentissimum argumentum. Testatur autem deus dupliciter per exempla ut benefecit populo Israel et per loquentes scripturas.

Domine deus bone misericors et juste, quoniam juxta psalten et regem tuum Davidem verbum tuum, ubi revelatum fuerit, conscientias exhilaret et simplicibus, imo parvulis et despectis intellectum dat et illuminat, ne a corde et ore nostro verbum tuum auferre velis, per ipsum verbum et filium tuum Jesum Christum dominum nostrum quæsumus, idque hoc potissimum tempore, cum exurgunt tyranni utroque gladio nos impetentes, hoc est, et vi et sinistra salvifici verbi tui interpretatione, et da firmos esse gressus nostros in verbo tuo, ne nos suis terculamentis Sathan territet aut transformatus in angelum lucis blandimentis hujus mundi et variis sectis suis seducat, et ne permittas iniquitatem nobis dominari. Qui vivis et regnas cum eodem filio tuo et spiritu sancto deus trinus vivus et unus benedictus in secula. Amen.

Nota, comites de Schwartzburg se olim scripsisse N et N comites in Schwartzburg et dominos in Raness, cum eam arcem nunc teneant nobiles de Brandenstein. Dicitur autem esse donum Wilhelmi ducis Saxonie.

Eadem domina socrus per Joannem nobis a pedibus e Wimaria nobis rescripsit, se sperare uxorem nostram non adigi ad juramentum in renunciatione præscriptum præstandum. Item nos reliquum dotis antequam hinc discederemus accepturos.

Nota de poculo domino Anarck de Wildenfels et domino Martino Luthero in calcide mixto, ex qua potione comes plus centies subsequentem noctem et diem alveum levare coactus est, Lutherus vero diutino morbo afflictus Christo quoque auspice evasit, ut hic Christi verbum: Si quid letale biberint, non nocebit eis, locum habere videatur. Erant autem hæc prælibamina amicitie, quam experturi essent adsertores veritatis ab adversariis.

A cœna Jostus Sophi a Wimaria reversus nobis scripta duo exhibuit, unum Philippi Melanthonis super interim, alterum Casparis Aquilæ parochi in Salveldt, cujus libri argumentum est, quod confitendus sit Christus contra diaboli tenebras, mundum et interim. Et hæc dies est nona, quod avide et anxio fere animo nuntium e patria expectamus.

Idem Jostus dixit, socrum ea nocte non expectandam.

Gothart Q. der hart bei Gott anhelt.

xij Julii sub nonam antemeridianam domina de Wildenfels et filia ejus Margareta abiere, quas uxor et ego aliquot stadiis a Rudelstad comitati sumus.

Eadem cum jam a nobis conscriptæ literæ essent et Adrianus noster ad iter se accingi juberetur, sub prandium qui equos quadrigarum adducerent veniebant nobis litteras de statu religionis <sup>1</sup> nostræ deferentes. Apportarunt et fornaces ferreos sex, quorum duo Joannes Wilhelmus Fuchs alterum dono, alterum pro 24 thaleris emptum accepit. Quatuor reliqui socrui dono venere majore fenore compensi quam usquam vendi possent.

Post tertiam pomeridianam domina socrus comitata a filiabus Aemilia et Anna Maria et fratre suo germano Georgio Ernesto ab Henneberg nec non doctore Melchiore ab Ossa et conjuge sua Rudelstadium reversa est. Gallum autem Peritæum præmisit quo nos earum rerum, quæ Wimariæ transactæ erant, certiores reddat.

Paullulum ante quartam suborta est quædam tempestas cæcia vento, grandine et pluvia cum socio suo noto sæviante, interboantibus horribili sonitu tonitruis, qui passim vineta et hordeum læsit, sed ita tamen ut benignissimi patris nostri cœlestis comminatio potius et admonitio, quam indignatio iræ ostenderetur, qui nos non solum salvifico verbo suo sed et mutorum elementorum mutatione commovet.

A cœna doctor Melchior de Ossa et Wolradus de rebus Augustæ actis et de causa filiæ suæ invicem sermocinabantur.

Volebant quidem princeps et comes a Henneberg Georgius Ernestus et doctor Melchior quadam autoritate ac gravitate ea, quæ Wimariæ transacta erant, nobis proponere, sed domina socrus mihi seorsim singula indicare maluit.

xij Julii circiter sextam mane socrus nos ad se vocavit et qui res Wimariæ peractæ essent, ordine exposuit, exhibens nobis et litteras, ut

\*

1 regionis?

scribarum more loquar, recessus, per duces Joannem Fridericum den Mittlern et Joannem Wilhelmum et Joannem Fridericum juniorem Saxonie principes confirmatas. Item litteras conventionis inter Guntherum comitem et socrum ex parte uxoris nostræ et legendas præbuit. Hæc autem fere erat summa totius negotii, ut in diem Mercurii proximam comes Guntherus senior intra urbem Arnstad ad manus nostras traderet novem milia florenorum et nos nomine uxoris nostræ omnibus, quæ per contractus Wimarienses annis domini 1525 et 38 transactos renunciaremus.

Eadem conscriptæ sunt litteræ renunciationis et, uti vocant, quantiarum, item dimissionis tutorum.

Eadem dominus Albertus xix partem psalm. 119 exposuit, nimirum hanc: Justus es, domine, et rectum judicium tuum etc. Docuit quod solum dei verbum ex omni parte rectum sit, et quæ sit justitia coram deo valens. Item quam serio deus sua præpta servari præceperit, scilicet sub perditione corporis et animæ. Item de zelo piorum. Et hanc octoadem esse comparationem regni Christi et diaboli per antithesin monstravit. Item de differentia zelus et iræ. Item quod verbum domini dilucidum non socratica aut platonica doctrina, sed doctrina salutis nullis involucris insipidæ humanæ sapientiæ involvenda, nec aliam quam eandem et perpetuam ecclesiæ per spiritum s. edoctæ interpretationem admittere. Item quam utile et jucundum sit hoc verbum; a mundo contemptui et perexigui pretii habeantur, tamen, si verbo fideliter adhæreant, eo se consolantes ac spe læti in deo vivunt, nec ob tentationum procellas sermonum domini sui obliviscantur, illis non humano sensu æstimanda et corporis et animæ emolumenta hinc contingere. Item rursus de vera illa justitia, ea scilicet, qua nos deus pater per mediatorem Christum justos reputat, et ea, qua deus justus judex, cujus sententiam nil creatorum effugere potest, persecutores veritatis et atheos illos homines juste et judicat et punit, hic disseruit. Atque hic digressionem fecit ad nostra hæc tempora et Catos<sup>1</sup> hos tyrannos, qui verbum domini ad suam Lesbian regulam aptari volunt. Interim sibi cum suis interimistis homines belli et suis operibus justii haberi cupiunt. Item quod lex domini veritas sit, nos autem et omnia nostra mendacium. Item quam magnum quidem sit in ipsa calamitate et periculis præsentem persecutorem in mandatis divinis delectari et a verbo ejus deviare nolle. Tum enim eam mansuram spem,

\*

<sup>1</sup> catos ?

qua et nos nitamur, justitiam mandatorum dei esse stabilem et perpetuam. Et sic erudiamur a domino. Erudi nos, o domine, et in justitia tua et verbo tuo nos serva per ipsummet quod pro nobis caro factum est verbum, dominum nostrum Jesum Christum, dilectum filium tuum. Qui tecum vivit et regnat cum sancto tuo spiritu deus trinus et unus in secula. Amen.

Eadem domina mater nobiscum egit ut illi supellex, quæ uxori ex testato debetur, ad ipsius vitam relinqueretur. Quamvis periculum subesse videretur, honestissimæ matronæ in hoc consensimus.

Joannes Georgius comes a Mansfeldt per litteras et mandata trium principum fratrum germanorum optimi principis Joannis Friderici filiorum jussus est tutelam filiarum de Schwartzburg loco fratris sui Philippi defuncti suscipere.

Eadem domina mater nobis omnem supellectilem librariam ostendit, quæ vel doctore sufficere posset. Sed quid de supellectile libraria dicam, cum Caspar Sartor non pauca volumina classicorum authorum de rebus fidei tractantium habeat, adeo nec omnino amusum Rudelstadium est.

Vidimus in chartis affabre depictis nominibus etiam ascriptis omnes arces et municiones, quas rustici anno domini 1524 et 1525 in Francia orientali vel expilarant vel conflagrarant.

Apertus hic rumor est et nunc agricolas tumultus ciere.

A doctore Melchiore ab Ossa accepimus ducem Mauritium et suas ditiones nondum Interim illud inire velle.

A cœna choreæ ductæ per nobiles aulicos Georgii Ernesti, vasa pice et crustulis ligneis referta concremata sunt pro more Francorum, quod genus chorearum plus insanis et stultitiæ quam piaculi habere videtur.

xiv Julij a socru Georgio Ernesto avunculo suo gratiæ actæ sunt, quod erga ipsam boni tutoris fide usus sit. Deinde prandium sumptum. A prandio Georgius Ernestus princeps, comes et dominus a Henneberg, doctor Melchior Ossa una cum uxore et filiabus ad profectorem se parant valedicentes sorori Catharinæ et filiabus, Eubulus vero his ad duo fere miliaria ducatum præstitit se illis ad officia offerens, ac bona cuncta precatus Rudelstadium reversus est.

Conventum est eadem, quid de obsignatione litterarum fieret et quid ulterius in Arnstad agendum foret. Fecit et Eubulus per Lazarum argentarium in Arnstadt sigillum in usum etc. parari.

Vidua quædam, nomine die Fortschenn, in gynæceo Rudelstadensi dum apud ceteras nymphas in eodem cubiculo dormitaret ac eam Sathan nocte nescio quo spectro vel terriculamento tentaret, mulier hæc nihil impurissimi hujus spiritus phantasmatis mota, spiritui: Omnis spiritus bonus laudat dominum, respondit. Ad hoc phantasma illud ait: Et ego quoque. Mulier igitur animosa fide nequitas ipsius intelligens ait: Mosen habemus et prophetas, insuper Christum; nihil nobis cum mortuis spectris est. Et dicto ocyus, quicquid illud erat, magno cum ejulatu et pedore discessit. Hujus mulieris fidem obticendam non putavi.

xv Julii Adrianum a Zertzen cum litteris ad Schonstadium et Hermannum Nellium in patriam remisimus.

Lucas auriga thaleros octo in itinere insumpsit.

Dedimus Aemiliæ et Annæ Mariæ sororibus uxoris singulis coronatos tres in annulos et Friderico nepoti nostro a Hoia florenos duos.

Vidimus inventarium post mortem soceri nostri piæ memoriæ per notarium jussu Joannis Friderici ducis Saxonæ et electoris fideliter conscriptum, continentem quicquid supellectilis in arce Arnstad et ceteris aliis aliquot post se reliquerat.

Eadem Draco ex epistola ad Rom. cap. 6 concionatus est super hæc verba: Quemadmodum præbuisit membra vestra serva immundicie et iniquitati etc. usque ad finem ejusdem capituli. Deinde recitavit evangelium ex cap. 8 Marci, scilicet: In diebus illis, cum turba ad modum multa esset, et reliqua. Jussit autem potissimum in hoc evangelio considerari fructum turbæ sequentium Christum e tam longinquo nulla habita ratione victus, et quod iis, qui se ita Christo permittunt, nihil deerit. Item de genuina Christi erga suos misericordia etc. Item quod ex hoc evangelio remedium contra nimiam victus sollicitudinem, ventris curam et fœdam avaritiam caperemus. Passim in hoc exempla sanctorum ex scriptura adducens et omnem lectionem evangelii in doctrinas septem divisit, ac singulas doctrinas suo ordine diligentissime ob oculos posuit.

A concione non expectatò prandio assumpsimus Christophorum Zyrer<sup>1</sup> fratris Galacteos et Coman et consensis equis recta Blanckenburg petimus civitatem pertranseuntes ac montem cui nomen der Sylber Berck, olim mineris argenti famosum, nemusculum quoque der Legerwaldt, ac tandem Schwartzburgam pervenimus, vetustissimam arcem super abrupto montis constructam, undique jugis montium superbientem.

\*

<sup>1</sup> Lyrer? fratres?

A ceteris autem montibus Schwartz flumen montem, in quo arx est sita, divellit circumquaque ipsum præterlabens. Nec patet ad arcem nisi unus accessus, et is salebrosus et silicibus plenus usque ad superiora arcis ædificia. Habet a primo introitu usque ad summam arcis portas quotidie reserandas quinque. Introeuntibus arcem ad dextram habitatio nunc est Guntheri comitis, olim Henrici soceri nostri sedes ædificiis adornata. Ad sinistram domus est Joannis Henrici et ædícula sacra. Joannes Henricus jam ibidem ædificat. Mansiones utriusque comitis medium iter dividit. Habet et fossata et turrim quadratam a prima porta ad dextram etc. Nemus arci proxime adiacens der Schwartzburger Waldt vocitatur. Habet et mineras ferri. Sunt et ea nemora quercubus et abietibus consita cervorum feracia antiquæ sylvæ et stabula alta ferarum, nec visu carent. Tenuerunt autem hanc arcem duo comites. Ceteri in Franckenhausen et Sundershausen habitarunt. Agrum habet frugum satis feracem, sed vineis caret, siligine quam tritico ditior. Guntherus reddituario suas mansiones commisit. Joannes Henricus præfectum nobilem et quæstorem habet, major pars ædificiorum Gunthero cedit. Habet et puteum et fontales aquas per canales deductas. Quæstor ærarius Joannis Henrici domum comitis sui ostendit nobis, pane, caseo et cerevisia nos reficiens. Nam veriti ne forte comes suus superveniens nos vino obrueret, ocyus Rudelstadium petimus.

Eadem Wolfgangus comes a Gleichen audiens nos brevi in patriam reversuros una cum uxore sua, quæ Bohema est ex stirpe dominorum de Dhona Rudelstadii nos invisit. Venerunt et consiliarii quidam de Arnstadt.

xvj Julii circiter sextam antemeridianam comes Wolfgangus Salveldiam revertitur. Eadem cum Caspate sarctore computatum est. Jussimus Joannem Galacteam Christophoro Ziher thaleros decem in propinam familiæ dare.

Eadem scripta et ratificata est transactio de argentea supellectile cum domina socru.

Est Wolfgangus et uxor ejus par conjugum, a quibus merito omnes, qui matrimonii capistro capita dederunt, sumerent exemplum. Annos circiter quadraginta concordēs una vixerunt. Ipse uxorem jocos fovet et honesto amore prosequitur, illa eum ut maritum veneratur et ita ejus curam gerit, ut famula, non uxor videatur. Nullam concionem negligunt, et nulla dies abit, quin divinis agendis intersint.

Vidimus juxta pagum Eichfeldt ex intempestate aeris, flatu ven-

torum et impetu exundationis aquarum plaustra aliquot silicū per dexa montium ita in fruges flavescentes congesta, ut fere seges cooperta videretur. Item alibi tanta vi arenam in Salam invexit ut subitaneo motu pisces vivos in siccum eliceret ac rustici ejus loci pisces manu preherent, referente Otthone Entzenbergio.

Dum Wimariæ in arce ducali inter dominam socrum et Guntherum comitem super dote Anastasiæ uxoris nostræ et aliis causa ventilaretur, consessus consilii talis fuit. Primas occupabant Joannes Fridericus et Joannes Wilhelmus, nam tertius fratrum adhuc minorennis est. Post hos Bernardus a Milen eques doctor Vocatus Brugk senior, doctor Daitleben nobilis, doctor Blichhard, Justus a Hayn cancellarius nobilis, Wulffius a Mulich nobilis, magister domus et juniorum principum quasi informator nobilis. Magister Franciscus Burckhardi vicecancellarius, Henricus Munich marschalcus et quæstor ærarius supremus, quod officium et sub seniore electore tenuit et ipse nobili genitus prosapia. Doctor Basilius. Ex tutoribus Anastasiæ Georgius Ernestus avunculus ipsius solus adfuit, nam Philippus a Mansfeld e vivis excessit. Sigismundus a Holbach præ senio bis puer est. Fridericus a Wangenheim adversa valetudine laborabat. A consiliis vero et verbi dux Melchior ab Ossa legum doctor et judex aulicus Mauricii ducis et Gallus Biretæus erant. Ex parte Guntheri Christophorus ab Entzenberg satrapas ab Arnstadt et doctor Reinhardus, qui parum gratiæ et laudis mentiendo vel potius, ut edoctus erat, mendacia referendo apud principes et consiliarios ducales meritus est.

Nota de mille florenis Gunthero mutuo datis, ut litteræ demonstrant, licet doctor (inscius arbitrator) hujus debiti inficias iret.

Invitarunt nos Carolus affinis noster et idem vidua in Rhemdt, olim Joannis comitis a Gleichen uxor.

Eadem domina socrus Anastasiam et Eubulum in concameratum sive conservatorium Rudelstadii introduxit, ubi Eubulus jussus est ex inventario in membranis conscripto ex ordine legere, quæ vasa deaurata et argentea ibidem in conservatoriis asservarentur. Ac singula ut recitabantur inventa sunt. Dedit autem socrus ex eo reconditorio, in quo supellex argentea ipsi socrui vel dono data, vel ex proprio post mariti obitum conflata, erat, Anastasiæ ciatum justis ponderis medio violam referente ac deauratum. Eubulo vero cantharum argenteum ex argento puro ad instar fimbrias ligni deauratum pene sesquiquartam ut vocant liquidum capacem. Vestes quoque Aemiliæ ad nuptias paratas vidimus.



Nemo autem hic aderat præter socrum, uxorem et nos. Acta Rudelstadii 16 die Julii anno domini 1548. Sic deus providet suis etiam incogitantibus, cui sempiterna laus et gloria in secula seculorum. Amen.

Eadem Sigismundus a Holbach litteras renuntiationis sigillo suo corroboratas remisit et per Otthonem ab Entzenberg nos salutari jussit.

Justus Sophi Salveldiam ad Wolffgaugum comitem est missus et illi injunctum, ut magistrum Casparum Aquilam parrochum et superattendentem in Salveldt secum adduceret.

Eadem aureos septem in honorarium gynæcei per uxorem dedimus.

Dedit nobis socrus molossum, qui in stabulo vigiliæ ageret. Nota nudiustertius legatos ducum Pomeraniæ iterum ab Augusta reversos et in Salveldia hospitatos fuisse. Sub nonam magister Casparus Aquila Augustanus parrochus in Salveldia et superintendens ad Salam Rudelstadium venit, homo et doctissimus et omnium horarum, præter tamen indecentem petulantiam.

Significavit nobis eadem comes Wolfgangus a Gleichen d. Christophorum Hossman, <sup>1</sup> qui jam ad annos aliquot illustrissimo Joanni Fridrico electori duci Saxoniae a concionibus sacris fuit, ejus aulam etiam in captivitate secutus, ante paucos hinc dies cæsaris jussu Augustam reliquisse et hac ipsa nocte in Salveldia pernoctatum. Sic autem evasisse dicitur, ut matronæ honestæ opera personatus ac barba in cervicem reflexa muliebri ornatu et amictu indutus, dato illi in hoc vehiculo, sic incognitus urbem egressus sit. Nunc autem recta Wimariam ad electoris filios tendere dicitur.

Item fama constans est civitates Saxoniae et eas qui se de consortio Hanso gloriantur rursus de redintegrando foedere sollicitos <sup>2</sup> esse, se omnia facturas, quæ cæsar ab iis, tam facultates quam corpora concernant, jubeat, verum consideratione periculi animarum ipsas haud posse interimenti interim consentire. Hæc se ita habere d. Aquila quoque confirmavit.

De statu senioris electoris sic se res habet.

iv Julii proxime elapsa, hoc est die Jovis post Udalrici cæsareæ majestas dominum de Grandevela cum duobus filiis et doctorem Philip-

\*

1 Hoffmann? 2 ?sollicitas? pollicitas esse se.

pum Seldum vicecancellarium ad Joannem Fridericum electorem Augustæ in hortos mansioni suæ contiguos misit, ut serio nomine cæsaris cum ipso agerent de suscipiendo interimente illo interim, minis aureos montes pollicitationum intermiscentes, juxta Christi proverbium: Tibiis illi præcinebant, et noluit ad eorum citharas cantare, si ejularent quæque lamentari noluit. Sed christianissimus princeps hic murus æneus erat, dei gratia in agnitione verbi constitisse ac adhuc ejusdem animi interim se non suscepturi esse dicitur. Quem deus posthac misericordia sua corroborari et confirmari in proposito hoc sancto dignetur, nec vel minis aut metu periculorum nec inescatis pollicitationibus cæsaris a recto dimoveri sinat, sed ut cœpit suam gloriam operetur in eo ipsum confortans, consolans ac fovens, propter Jesum Christum dominum nostrum. Amen.

Certum est extemplo post hanc cæsaris ad electorem legationem Hoffmanno, ut eo qui calcar electori sponte currenti adderet, injunctum esse, ut Augusta discedat et quanquam nescio ob quorum intercessionem octidui tempus, ne de repentina fuga conqueri posset, illi concessum esset, tamen sic Cerberi canis dentes micare vidit, ut nihil spatii de fuga cogitandi illi relinqueretur, sed consultius fore expertus sit, ne semihoram quidem moram faceret. Sed hæc fortuna ut piis non est nova, ita et huic bono viro non soli contigit.

Optimus autem dux Joannes Fridericus elector, etsi illi non fieret facultas et animi et corporis ipsius amicum alloqui, tamen eidem, ut vere nunc de tam opulento principe dici potest, in paupertatula sua viginti sex thaleros in viaticum misit.

Inter cetera, quæ princeps elector cæsareanis ministris respondit, hæc intermiscuisse dicitur, se nolle suo exemplo tot millia animarum perdere, potissimum quod certo persuasum habeat, si vel cunctas mundi opes nancisci posset, se tamen ad summum hanc miseram vitam ad annos quatuor trahere non posse, nec esse quod amissis ditionibus et honore coram mundo corporis agnita veritate neglecta ob fluxas divitias humanas feriari velit.

D. Casparus Aquila de multis nobiscum contulit et nos sua catechesi, quam ad Theodoricum a Brandenstein scripsit, virum, teste Aquila, singularis pietatis, donavit.

Eadem inter barones, socrum nostram de Reussen ob limites et lapides terminales dieta indicta erat coram commissario Theodorico a Carlewitz.

A cœna rogatu senatus Rudelstadii in urbe in domo senatoria et choreæ ductæ sunt et repotia habita.

Domine deus, cujus brachium ne pilo quidem in omnibus mirabilibus tuis a sempiternis seculis diminutum est, exurge et exere brachium tuum fortissimum, et qui potuisti servum tuum Danielem in specu leonum, imo Jesum Christum filium tuum dilectum in medio malitiæ Aegypti servare: recordare juxta bonitatem tuam magnam Joannis Friderici servi tui, ut aliquando juxta voluntatem tuam te cum electis omnibus laudare et te conservatorem suum confiteri possit. Id te rogamus per Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus deus in sempiternum laudandus. Amen.

xvij Julii circiter quartam antemeridianam venit Casparus Coman ostium cubiculi nostri pulsans, litteras deferens, quas Burckhardus nuntius noster ante crepusculum diei adportarat e comitatu nostro ab Hermanno Nellio scriptas. Alteras item a Melchiore Lindio ex Augusta conscriptas. Exemplar quoque litterarum absolutionis.

Eadem d. Casparum Aquilam donavimus scripto Philippi Melancthonis super interim.

Tricesima Junii comitiis augustanis postrema manus imposita est et senatui consulta cæsaris et statuum imperii publice prælecta. Augustæ usque ad id temporis nihil vel in religione vel in cæremoniis in templo Mauritii immutatum est. Laudanda est ibidem Joannis Henrici ecclesiasticis constantia.

Eadem d. Albertus Draco decimam octavam partem psalmi 119 exposuit dicens, eam esse formam orandi et exemplar vere pii viri, ut nuper loqui cœperit, et præterea hac octoade videri, quomodo oratio et vita esset instituenda, dum quasi suspensi spe inter mundi tam miserias quam illecebras et vitam illam beatam versamur. Divisit et octonarium hunc in varias paræneses et doctrinas, ita ut ne syllabam aliquam, ut ita dicam, horum verborum inexcussam relinqueret. Primo autem ait: Hic ecclesiam vel prophetam nomine ecclesiæ ex intimo corde orare et clamare, ut illi præcepta dei servare donètur, nam nostris viribus nihil efficitur. Et hæc fere in primo et secundo versu. Dixit quoque quid hic vel tempus crepusculi vel matutinum significaret, et quid sit sperare in verbo domini. Item quam sit res frugi matutina et jejuna oratio, et quod ebriosi haben kein andacht sondern ohnmacht etc. Item quomodo pia mens de se ex suis omnibus desperans, solam dei misericordiam respiciat et dei justicia refocillari cupiat. Item quanto intervallo tyranni

et impii a divinis statutis absint, sibi ipsis suis traditionibus applaudentes, persecutorum autem malitiam nobis ansam et necessitatem orandi præbere. Item quod deus omnibus eum invocantibus prope sit, et quod præcepta dei nihil sint quam ipsa veritas, bona quoque hæc spes in sinu omnium Christi fidelium reposita sit, quod dominus sua in æterno fundaverit.

Eadem ex familia, quam Rudelstadii habebamus collectam corrasiimus uxor et ego ceterorum inopiæ subvenientes, quo essent initia thesauri qui congregandus erat in usum pauperum.

A prandio d. Aquila, petita a domina socru et nobis venia Salveldiam reversus est.

Nota, proximo bello Casparum Aquilam in arcem Schwartzburg avolasse, quod se parvam aquilam verbo domini magnas illas aquilas superare et vincere posse scripsisset. Quamobrem per omnes et domos et latebras et in ipsis turrium pinnaculis quæsitus est ab Iberis istis.

Collocutus est nobiscum idem Aquila de libello, quem de utroque vel duplici timore dei, de filiolis et servili habendo præ manibus habet.

Eadem Gallum Barreuter et Joannem Galacteam præmisimus Arnstadium ad recuperandas pecunias etc.

Nota de controversiis inter Aquilam et venatores ducales.

Domina socrus matronas honestiores urbis Rudelstadii in arcem ad cœnam vocavit.

A cœna choreæ et repotia, post repotia rursum choreæ habitæ sunt; omnia cum eo decore, ut honestas matronas et virgines decet, peracta sunt. Adfuerunt et Albertus Draco et Laurentius et Leonardus Telonius et alii.

xviiij Julii Joannes Osmundus thalerum sibi dari petiit, et stabulario socrus aureum quoque nummum dedimus.

Eadem compositis sarcinis deo auspice iter Rhembdam versus, ibidem pransuri atque Arnstadii pernoctaturi, arripere statuimus. Primo autem ædes Alberti petentes cum eo de rebus seriis contulimus, qui nos in arcem concomitatus jentaculum nobiscum sumpsit. A jentaculo idem Albertus ut prosperum iter et cetera felicia nobis evenirent a deo patre per Christum precatus est, ac invicem nobis valediximus.

Deinde Annæ Mariæ et Friderico de Hoia cum suis familiis valedicentes equos conscendimus. Deduxit autem nos domina socrus cum duabus filiabus et nymphis suis.

Sub decimam antepomeridianam Rhembdam venimus. Est autem Rhembda castrum et oppidulum sedes Joannis comitis a Gleichen, qui e vivis excedens uxorem eadem ex stirpe comitum de Gleichen sororem Joannis ex stirpe de Gleichen et domini in Thun, qui et ipse jam diem clausit extremum, cum unico filio viduam superstitem reliquit. Hæc igitur mulier non una naturæ dote veneranda nos amicissime excepit prandioque affectit.

Aderant et tum temporis apud ipsam vidua de Wildenfels et filia ejus, soror mariti dominæ in Rhembdt, uxor vero domini quondam a Wildenfels, cui nomen Anarck.

Habitat et in Rhembda altera vidua uxor quondam Eckhardi comitis a Gleichen tres filios habens, quorum et dominium et possessio est.

Tertia tamen pars urbis Rhembdæ et perexigui redditus stirps comitum a Gleichen in tres propagationes et mansiones quoque divisa est, scilicet in Gleichen, Rhembda, Blanckhain, licet plures arces possideant. Et est stirps satis fœcunda utriusque sexus liberis.

Veniam tandem a domina de Rhembd precati Arnstadium urbem patriam Anastasiæ uxoris, quæ ibidem in arce progenita est, recta petimus. Transeuntes pagos aliquot, inter quos insigniores erant Witzleben, sedes nobilium ejusdem nominis, et Martellshausen, in quo et habitatio est eorum de Witzleben. Arnstadium vero sub octavam noctis intramus.

Ibidem in pharmacopolio ad forum magistrum Zorn den Distellirer conspecti. Maluisset quidem domina socrus honoris ergo in arce pernoctare, præfectus autem arcis in ædibus Sigismundi a Witzleben quæstoris ærarii hospitia disponere curaverat. Cum primum igitur deo-creati essemus, Gallum Barreter accersiri jussimus, sciscitantes, quid de pecunia actum esset, et edocti sumus ipsummet Galacteam a senatu Arnstatensi quatuor decies centum florenos recepisse in grossis saxonibus Schreckenberger, spitzgrochschen vnn drielinger, sed reliquam pecuniam in thaleris a Sigismundo a Witzleben expositam esse, nec ququam ex consiliariis præter Henricum Sindewer huic actioni interfuisse.

Consiliiarii comitis Guntheri nobis vini veteris et novi cantharos quindecim propinarunt et variolos pisces quindecim, quos ipsi juxta linguam gentilitiam suam Ein Mandell forlenn nominabant.

Consultum visum fuit in alterum diem Gotham proficisci, sed ob negociorum molem et decimanus dies Julii hic terendus erat.

Risu non indignum duco, quod Anastasiola filia Sigismundi hospitis nostri, cui ab uxore nostra id nominis ad baptismatis fontes inditum, viderat patrem sollicitum de re culinaria et dicentem: Utinam nunc ferina nobis esset, ut tantos dominos et amicos pro dignitate excipere possem! filiola patris sollicitudinem considerans ait: Quid, mi pater? cur est quod ita de ferina æstuas, cum mihi supersit saurus noster? Vel hunc confice et para obsonium in adventum susceptricis meæ dominæ Anastasiæ. Pater arridens, Probe mones, charissima filiola, inquit, saurum tuum in aliud tempus servabimus.

xix Julii litteræ renunciationis in Arnstadt sigillatæ sunt. Nam Lazarus aurifaber ex ære nobis ibidem sigillum exculpserat, cui pro opera sua florenum aureum, nam sic inter nos conventum erat, dedimus.

Eadem in templo Bonifacii concionem sacram audivimus ex epistola ad Galatas. Inter cetera ecclesiastes propalam de fraude Caroli in Joannem Fridericum electorem, et quid papistici proceres simulassent, et quid nunc ab omnibus agere viderentur, proclamavit.

Redditum est nobis et eadem chirographum, quod dominæ socri super mille florenos antehac dederamus.

Emimus ibidem pileola pellicea duo in usum concionatorum nostrorum in Corbach et Chunradi Coci.

Domina socrus nobilibus nostri famulitii singulis indusium lineum collotenus arte phrygia depictum et singulis servis nummum aureum dono dedit.

Eadem in Arnstadt in cœnobio quondam vestalium ad s. Mariam dictum introeuntes templum ad lævam chori vidimus saxum ad murum erectum, e regione sepulcri, in quo comes Henricus cataphractatus ad vivum excisus est, a fronte habens insignia Clivensia et Honstein, ad pedes galeam, a tergo insignia Schwartzburg et Mansfeldt, frontetenus quasi in tabella scriptum hoc: Obiit ætatis suæ quadragesimo, sui regiminis septimo. In quadrangulo ejusdem saxi hæc habentur: Am Tage Henrici denn zwelfften Julii Anno 1538 ist Er Heinrich Grave zu Schwartzburgk her zu Arnstadt vnnnd Sunderszhausen in Gott seliglich verscheiden, dem Gott genade. Obiit autem in castro Arnstadt. Regnavit Henricus alter anno domini 1488. Anno domini 1451 obiit Guntherus primus. Anno domini 1530 obiit Guntherus avus uxoris nostræ Anastasiæ.

Est et sarcophagum ibidem ex lapide cælato referens corpora par

conjugam de Schwartzburg ad cujus frontispicium scriptum est: Sepultura comitum et dominorum in Schwartzburg.

Christophorus ab Entzenberg et Schneidewindt licentiatus litteras recipere nolebant eo quod amanuensis manu lapsus aliqua eraserat in eundem locum secundo scribens, ac de hac re multum diuque altercatum inter nos est, et præsertim quod litteræ sigillis et manuum subscriptione domini Georgii Ernesti a Henneberg, Sigismundi a Holbach, Friderici a Wangenheim ac nostri et uxoris corroboratæ essent. Tandem conventum, ut illi pecuniam nobis annumerarent, nos intra menses duos alias litteras emendatius descriptas Arnstadium missuros.

Simoni ærario in Rudelstadt, qui et ipse cum domina socru Arnstadii erat, quod litteras nonnullas nobis descripsisset, thalerum dedimus.

Sigismundus Witzleben gratis omnia, quæ apud eundem insumperamus dedit, præterea se nobis ad officia obtulit, ægre admittens, ut eo die illinc abiremus. Dedimus uxori Sigismundi aureos duos et singulis pueris ipsius florenum aureum. Erant quinque numero.

Sicque receptis sesquinovem millibus aureis, quorum mille Annæ Mariæ debebantur et ibidem quoque a nobis dabantur, duo millia domina socrus recepit, nam hæc in negotio citationis, absolutionis, perfectionis Augustanæ et nescio in quas Plutonis mystas impensa erant. Item dominæ socru quadringentos pro sumptu in dietis et aliis rebus dedimus. Et ne hos recipere abnueret clam eam pecuniam subter pallium ea inscia in cubiculo ipsius posuimus, nec arbitror eam nisi post abitum nostrum reperisse, atque singulis dispositis matronis, quæ venerant Anastasiæ invisere, valediximus. Sed tum humanitate et precibus earum victi paulisper ad repotia consedimus. Et una ex his mulierculis, quæ quondam ab avo uxoris nostræ e Westphalia eo adducta erat et illi servivit in rebus minus honestis nunc ad dominum conversa agnita evangelii veritate lacrymis undique obortis Eubulum obnixe hortabatur, ut cum uxore in confessione Christi perstare velim.

Guntherus comes vel sui Anastasiæ, ne dicam nostri, velut Megarensium nullam rationem habuerunt, nec sodalitate nec affatu quidem dignantes. Dum uxor a domina matre divellenda esset, juxta Salomonis sententiam, extrema gaudii luctus occupat, nec ego hic admodum ferreus. Vix enim socru et ceteris præ mærore, ut decebat, gratias agere poteram. At tandem utrinque nos deo committentes ego cum familia mea primus abeo. Nam socru ibidem adhuc negocia aliqua erant, quæ

fere sub noctem cum filia Aemilia Cranichfeldam ad Walpurgim sororem suam abiit.

Gotham sub septimam noctis pervenimus hospitati in fumoso et rustico hospitio. Gothæ Ottho a Sebach Annæ frater aderat.

xx Julii Gothæ in cœnobio Augustinensium quendam, qui olim ejusdem cœnobii monachus fuerat, ex cap. 17 Actor. audivimus de perfectione Pauli et Silæ ex Philippis in Thessalonicen et quæ sit fortuna profitentium veritatem, et quæ fuerit constantia Pauli, qui nec vel ob plagas vel injurias Philippis acceptas a recto discedere aut prædicationem evangelii relinquere voluerit. Item quibus de rebus et quanti momenti ea fuerint, quæ Paulus apud Thessalonicenses locutus sit. Item quod duæ res Judæis obstiterint, quominus fidem christi acceptare potuerint, una quod neglecto christo per opera legis et sua sedulitate et meritis se posse salvari sibi ipsis persuasum haberent; altera quod christi, qui verus erat et est Messias, dominus et rex inferni mortis et diaboli pro nobis devicti, regnum terrenum quæsierunt, et hic nostra tempora ad præterita Judæorum contulit. Conquerebatur quoque nostros adversarios quam longissime a Thessalonicensium exemplo abesse, cum isti vi, quæ ipsis pulcra videntur, nobis obtrudere satagunt. Thessalonicenses vero scrutandis scripturis, an hæc ita se haberent, quæ a præconibus veritatis audiverant, veritati assenserint etc. Nec oblitus fuit tum et honestam mentionem et debitam intercessionem pro gloriosissimo Joanne electore etc. facere.

Dein sumpto jentaculo Creutzbergam tendimus sub secundam pomeridianam eo pervenientes. Georgius a Horstall capitaneus arcis non aderat.

Comperti sumus Jodocum Schonhar Corbachianum nuptias in nostro hospitio habuisse ac viduam mercatoris ibidem in Creutzberg duxisse. Ipsi quoque hunc hominem et vidimus et nonnulla ab eo emimus.

A cœna in hortos suos Werræ flumini adjacentes et vinetis arboribus mali et cerasi undique consitos hospes uxorem nostram et nos ceteros deduxit.

Urnas octo mensuræ Creutzbergensis cum vase ejus, quod illi provenit vini, pro novem thaleris minus quindecim batzis emimus.

Hospitati fuimus Creutzbergæ apud consulem Joannem, hominem frugi, qui cum uxore omnibus bonis bene velit.



xxj Julii Creutzbergam linquentes in Cappel pransi et ibidem Joannem nobis a pedibus Waldeciam præmisimus.

Propitius esto super omni commisso, o domine.

A prandio Bischusen arcem nobilium a Boneburg et alias arces ac pagos prætereuntes sub septimam noctis Spangenbergam veterem d. Elizabethæ sedem intramus, cum paulo ante adventum nostrum Rudolphus Schenck locum tenens et vicarius Hessorum principis Cassiliam hinc abiens petierat. Adfuerat ibidem principis nostri chirurgus Paulus nomine, verum is nihil de statu rerum principis indicare voluerat, dicens se juramento ad silentium astrictum esse.

xxij Julii precati sumus magistrum Christophorum Greiff, ut ea die, nam dominica erat, verbo domini nos pascere dignaretur, qui sub quartam, postquam illucescerat, ad hospitium nostrum venit, ibidem in inferiori hybernaculo, prius invocato divini numinis auxilio, legit textum evangelii Matthæi 7: Cavete vobis a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium etc., et textus enarrationem prosecutus est, et quanquam prima ut apparebat facie longius a textu digredi videretur, tamen ita concionatus est, ut se et prolixè et breviter dicere posse ostenderet nec pietatis aut litterarum ignarus haberi posset. Christiane et docte religionem nostram contra papam, quem monachum italicum et idolum stantem in loco abominationis appellitabat, defensans. Et de interim illo ita loquebatur, ut illud facile quale sit dinoscere doceret, adjiciens hoc epiphonema: Nullius esse in potestate creaturæ novos articulos fidei vel condere vel conditos immutare. Nam Christus apostolos ipsos voluit testes et doctores eorum esse, quæ ab ipso domino audiverant et ipse eos docuerat, non novarum legum conditores. Insuper digito monstravit, qui hi essent lupi rapaces, quæ bonæ arbores ac qui malarum fructus. Item quod sola fide in Christum salvaremur. Item quam sinistre papistæ infernalis draconis squamæ fidem hanc interpretarentur. Denique sive antea, sive postea, sive interim quid contra scripturam et veram religionem Sathanæ venatici canes molirentur nos ipsos fide et gratia Christi obfirmantes patienter omnia Christi nomine perferemus certi nos etiam denuo et his victis apud Christum dominum nostrum triumphatores existere, modo in ejus confessione persistemus. Quod nobis et largiri et nos conservare dignetur Christus Jesus. Amen.

Eundem donavimus scripto Philippi Melanthonis, quid illi videntur de interimente interim, et pecuniam ad locupletandam suppellectilem librorum impertiti sumus.

A concione jentaculum sumpsimus ac in Uhar in transitu cibos parari curavimus pro muliebri comitatu, hos tamen primum juxta pagum Harlem ad oram Schwalb fluminis insumpsimus, inde recta Waldeciam petentes circiter quartam pomeridianam arcem patriam intramus, ubi nos compater noster comes Samuel excepit, qui et nobiscum cœnatus est. Waldeciae neminem præter Honfels et Conradum Cocum cum familia, quæ ibi esse consuevit, reperimus.

Itaque v Aprilis a Waldeck tristes et anxii profecti, non conscientia sed malorum delationibus moti, juxta psalmistæ verba: »Euntes flevimus mittentes semina nostra«, vicesima secunda Julii revertentes sani et integri cum charissima uxore lætantes ad eandem arcem venimus portantes manipulos nostros.

Benedictus igitur sit deus pater cœlestis, qui nos de manu potentis et omni expectatione inimicorum eripuit, et is modo misericorditer donare dignetur, ut vocationi meæ sanctæ, si divina sic sua fert voluntas, inservire ad sui sacrosancti nominis gloriam, subditorum profectum et uxoris et liberorum meamque salutem rite queam. Idque per eum, qui nos sibi precioso suo sanguine mercatus est, Jesum Christum, dominum nostrum, cui cum eodem patre et sancto spiritu laus sit et benedictio in secula. Amen.

Domine deus, da, non quod antea quid, interim aut posthac mortalis vanus statuit statuetve facere, sed quod ille nos edocuit, super quem in Jordane spiritus tuus bonus visus est et quem unum patria voce nos audire præcepisti. Amen.

Cum Joannes Nellius amanuensis noster 24 Februarii anno etc. 49 itinerario huic postremam manum imposuisset, postridie ejus diei Philippus, Joannes et Franciscus comites in Waldeck fratres nostri eodem genitore nobiscum sati primum dotalitia uxoris nostræ Anastasiæ (licet malevoli et quibus concordia fratrum non lucrosa futura timebatur in tertium usque annum huic negotio obstiterint) et suis sygraphis et sigillis confirmarunt. Quapropter et ego, expertus non confundi quicumque expectant dominum, patrem domini et liberatoris nostri Jesu Christi cum filio suo dilectissimo et spiritu sancto confiteor, laudo et benedico in cuncta secula seculorum. Amen.

Actum Corbachii in archivo litterario nostro in præsentia mei Eubuli et Hermanni ac Joannis Nelliorum, germanorum fratrum, dum Romanensis cohors Sathanæ cestro percitus interitum intentans interim remis velisque huic oppido invehere conatur, quod prohibeat is, qui

caput serpentis jam dudum contrivit, mundum hunc devicit, idem quoque suam ecclesiam et in his regionibus contra Sathanæ squamas et papales strophas in sana doctrina et conservare et spiritu suo bono regere cum deo patre regnans dignetur, cui rursus omnis sit honor, laus et gloria. Amen.

Hanc suam misericordiam deus abunde in hac regiuncula usque ad hunc diem xvij Octobris Anni 1555 patriæ præstitit, cui perpetua gratiarum actio et gloria. Amen.

Anno salutiferæ redemptionis nostræ sesquimillesimo quadragesimo nono die lunæ post Judica, quæ erat octava Aprilis in nocte intra decimam et undecimam horas, dum sol esset in ariete, deus ille misericordiarum pater, largitor omnium bonorum comitatu huic benedixit et Eubulo ex uxore sua Anastasia prospero partu filiolum largitus est. Huic igitur conditori et servatori omnium viventium in Jesu Christo, domino et liberatore nostro cum s. spiritu perpetua sit laus, gloria et omnis honor. Amen. Dehinc die lunæ post Modogeniti hic filiulus noster susceptoribus nomine Francisci Mimigaruordensis, Osnabrugensis et Mindæ præsulis, Georgio Nagel, satrapa in Sassenburg, nomine novercæ nostræ Joanne fratre nostro et Arnolde fratre nostro uterino, comite in Steinfeldt et Bentheim, domino Wevelinkhoven, lavacra sacrosanctæ regenerationis accipit, nomen illi inditum Frantz. Concionem sacram magister Albertus Draco, ecclesiastes dominæ socrus, habuit, Bertoldus vero Call sacramenta baptismi administravit in præsentia dominæ Catharinæ, socrus nostræ, una et filiarum suarum Aemiliæ et Annæ Mariæ, nec non dominæ, Walpurgis uxoris fratris nostri Arnoldi, Agnetis ejus filiæ et Annæ a Teckenburg desponsandæ nepoti nostro Everino Arnoldi filio. Ex nobilibus comitatus nostri huic sacro operi astabant Hermannus a Wolmerkusen cum uxore sua, Hermannus a Zertzen et uxor ejus, Joannes a Schonstadt et uxor ejus et præfectus Waldeck Joannes a Honfels cum uxore sua, Joannes et Daniel a Geismar fratres germani, Reinhardus et Casparus a Dalwig et filii duo Reinhardi, Joannes a Gaugreben et filius ejus, Hermannus et Wulph las ab Othlair, Jodocus a Graftschaft, Caspar Schade Chunradi filius, Lebenstein a Rhen, Goddert a Volmerckusen, Caspar a Dorveldt, Meinolphus et Casparus a Coman, Bernardus ab Eppe, consules oppidorum Corbach, Wildungii, Sassenhausii, Waldeck, Sassenberg, qui et puero dona largiti sunt. Exterorum nomina studio supprimo, ne aliud quærere videar. Hujus et historiam Joachimus Happelius Bidencappensis patria et civis Corbachii

carmine nobilitavit. Uni trinoque deo sit fausta potestas! Corbachii 29 Aprilis in capella Nicolai.

Franciscum filium et Elizabetulam filiam nostram benignissimus deus in mansiones, de quibus servator noster, dominus noster Jesus Christus indubitata nobis spem fecit, recepit, soror fratrem uno die ex hac lacrymarum valle excedendo præcessit, Franciscus 7 Martii in Christo obiit, ambo in ecclesia parochiali Waldeck in præsentia Annæ materterarum, nepotum et utriusque parentis terræ mandantur, quos in resurrectione beata rursus videre nobis is, in cujus manu vita et exitus mortis sunt, donet. Anno domini 1551. Herulum suum, de cujus natiuitate tam christiana scripsit, Joachimus Happelius e Bidencapio oriundus poeta in domino obdormiens eodem anno præcesserat.

Pietate et doctrina præstantissimus medicus, doctor Burgkardus Mithobius, a longe prospiciens quantum malorum mare reipublicæ christianæ vere piorum et doctorum virorum mors inuehat, qui a benignissimo deo patre tanquam filii dilecti et illi charissimi a facie malitiæ ex hoc mundo tolluntur, ne videant calamitates et miseras, quas ingratitude et enormia scelera nostra in nos accersent, hæc ad nos e Cassilia xij Aprilis anno 1549 perscripsit: Vitus Theodorus sabbato post Oculi viam universæ carnis ingressus et doctor Crucigerus Wittembergæ obiit etc. Parce, oro, parce populo tuo, o domine.

Anno salutiferæ redemptionis nostræ 1549 die vero 15 Decembris timore tandem christianissima princeps Christina magna omnium bonorum dolore Cassiliæ diem clausit extremum, quæ inter ceteras virtutes vix credibiles exemplum patientiæ exhibuit. Filia fuit hæc Georgii Saxonum ducis, marchionis Misniæ, landtgravii Thuringiæ. Huic sanctissimæ patriæ matri Philippus Cattorum princeps, comes Cattamelibociæ, cui numerosam prolem utriusque sexus reliquit, maritus Oddenaw modo in custodia detentus cum omnibus piis beatam resurrectionem optat. Filii ex hoc marito adhuc superstites sunt Guilielmus natu major, Ludovicus, Philippus et Georgius, duæ filiæ Agnes, Mauritio duci Saxonniæ electori (si diis placet) nupta, digna meliore fortuna, Anna Wolfgangi ducis palatini in Zwebruck, comitis in Veldentz uxor, reliquæ tres N. N. N. adhuc sub nutricibus degunt. Memento aliquando, domine, misericordiæ tuæ et afflictionis domus Cattorum juxta benignitatem tuam, et hoc propter Jesum Christum filium tuum. Amen.

Hic Christina jacet, genuit quam Saxona tellus,  
Consortem thalami, clare Philippe, tui.

Barbara matris erat nomen patrisque Georgus.  
 Hic rexit Mysios, Sauromata illa fuit.  
 Pignora cumque decem peperisset chara marito,  
 Quæ sexum numero distribuere pari,  
 Sæpe suum supplex tentans revocare maritum,  
 Quem tua captivum, Carole, sceptrâ tenent.  
 Ut nihil effecit precibus multumque rogando,  
 In morbum rediens incidit illa gravem.  
 Ossa phtisi lenta mœstoque exhausta labore  
 Mors rapit, ad cœlum mens pia carpit iter.

Anno salutiferæ redemptionis nostræ sesquimillesimo quadragesimo nono in nundinis autumnalibus Francofurti ad Mœnum vicesima septembris per Joannem Nellium nobis a secretis et Adrianum a Zertzen nothum, præfectum arcis nostræ Waldeck, receptori seu quæstori ærarii imperatoriæ majestatis per inferiores Germanias, Wolff Haller ab Hallerstein quatuor millia florenorum nostro nomine numerarunt. Nam hic erat ultimus terminus octo millium florenorum solvendi, quos cæsari Carolo quinto in mulctam (si diis placet) in Augusta Vindelicorum anno dni. 1548 vicesima prima Junii nos daturus stipulati eramus, sicque magno nostro nostrorumque licet dispendio, ut id, quod eadem ipsa die scripserim, scilicet: »Qui dedit vitam, dabit et pecuniam«, adimpletum sit, sperantes igitur ulterius de manu domini, cujus benedictio sola divites facit, deum patrem cœlestem cum filio ejus benedicto, domino et redemptori nostro Jesu Christo, una et s. spiritu laudamus et benedicimus in secula seculorum. Pecuniæ autem supradictæ primus solvendæ terminus nobis ad nundinas francofordianas anni domini 1548 indictus erat, et alter ad nundinas autumnales hujus anni. Ne autem a posteris incusaremur tantam pecuniarum vim, nimirum octo hæc millia et duo millia, quæ in comitiis Augustanis et alias in hac re insumpta, nec non quæ præterea hujus corradendæ pecuniæ gratia expensa sunt, in helluationes, veneres aut aleam insumpsisse, hic ascribere placuit, quod prima summa, scilicet quatuor millia florenorum, majore ex parte ex dote uxoria fuerit, posterior nonnisi quindecies centum ex subditis hujus regionis contributa sint, reliqua omnis mutuo et cum reddituum meorum oppignoratione contracta est, quanquam æs alienum longe census nostros annuos superet. Exemplar autem litterarum, ut vocant, quitantiarum ad archiva senatus Corbacensis reponi jussimus. Testes autem hujus tragœdiæ habemus deum verum et vivum, qui nec fallit nec falli potest, conscientiam lætam et eandem multorum piorum virorum hoc miserrimo ævo communem fortunam. Signatum Waldeck die lunæ post Matthæi apostoli.

Anno domini 1553 Januarii die 9 Wilhelmus et Georgius Ernestus pater et filius principes et comites in Henneberg Sebastianum Vitzenhagen satrapam ipsorum in Calcide ad nos Waldeciam miserunt, petentes ut Joanni Friderico electori morem præstaremus ac ad Albertum marchionem Prussiæ legatum ageremus nomine Joannis Friderici et una cum aliquot suis consiliariis et theologis, ut ex infrascriptis pii principis pium principem videre est.

Quoniam vanus est omnis homo, mitte tu mihi angelum consilii, domine deus, verbum et mentem almam tuam dominum nostrum Jesum Christum, qui spiritu suo bono, quid facto opus sit, instillet. Amen.

Nona die Januarii anno Christi 1553 Waldeck.

Mirabili scientia tua, deus, mirabilis et omnipotens in altis dominus solus sapiens justus et bonus et vere nullius quantumvis in speciem pii regis vel magistratus sceptrum rectum est præter unius sempiterni et a patre cœlesti super Sion sanctum montem suum ab æterno constituti regis virga rectitudinis virga regni sui. Hinc experimur proceres religionis nostræ Joannem Fridericum electorem proditione suorum in manus hostium captivum devenisse, Henricum Otthonem vi oppressum et regionibus suis exutum fuisse, Philippum, ut suis exterminium ditiorum atque facultatum caveret, sua sponte in custodiam minime liberam se ipsum obtulisse. Et posteaquam hi, quorum mentio hic facta est, immensa dei bonitate, qui suos in finem (ut cum Davide loquar) non derelinquit, hilariori illos arridente fortuna terris suis redditi sunt, en vetus ille noster adversarius, qui leonis instar rugientis, quærens quem devoret, circumit, Albertum, cujus nomen ob pietatis et eximiarum virtutum laudem, quæ non aliter ac parietaria herba excrevit, multorum libris præfixum est, in errorem induxit. Discamus igitur domino servire in timore et exultare ei cum tremore, et non in nostris consiliis et domini donis, quibus abutimur neglecto datore deo, sed in eo, de quo in capite libri scriptum est, virga rectitudinis virga regni tui fidem et spem omnem collocare. Super autem nobis Christo auspice in his tantis malis hæc spes est, quod impii et tyranni imo vasa iræ tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant nihilque dei sui bonitatem morantes æternam æterne intereant. Pii vero et fideles ex alto ruunt, ut in semetipsos descendentes agnitis peccatis et arrepta misericordia per fidem in Christo pacificatore resurgant. Hoc ipsum Alberto nobisque omnibus benignissimus pater domini nostri Jesu Christi ob eum, quem pro nobis victimam esse voluit in remissionem peccatorum, per spiritum sanctum suum ad nominis sui

sacrosancti gloriam donare dignetur. Cui cum eodem filio et sancto spiritu omnis laus honor et gloria in seculum seculi.

Eodem igitur nono Januarii die illustres principes Wilhelmus et Georgius Ernestus pater et filius comites ac domini ab Henneberg strenuum virum Sebastianum a Vitzenhagen suis litteris, ut vocant, credentiarum in hoc ad nos datis huc Waldegam miserunt, qui primo nos de benignitate et optimo affectu principum suorum erga nos cum officiorum propensa voluntate commonefaciens deinde retulit, dominos suos illi præsentes litteras illustrissimi et optimi Joannis Friderici ducis Saxonie electoris nati landtgravii Thuringie et marchionis Misnie ad ipsos datas nobis exhibendas legendasque injunxisse, addita nomine dominorum suorum petitione, ut his perlectis et pensitatis tanto principi in tam honesto et pio ejus instituto morem gerere non detrectaremus, præsertim cum id nobis et honori et commodo cederet. Id ambos suos principes obnixè deprecari, ne vel unam hanc precationem abnueremus, se vicissim nobis et corpore et bonis omnia grata officia præstituros.

Hæc a dicto Sebastiano qua decet reverentia et amica voluntate nomine dominorum suorum accepimus, respondententes, negocium hoc ejusmodi esse, ut deliberatione opus habeat, qua habita nos latius, qui dominis suis nostro nomine referre deberet, ubi unum aut alterum diem hic quieverit, indicare velle.

Exemplar litterarum illustrissimi principis Joannis Friderici electoris.

Vnser freundtlich dienst zuvor hochgeborner lieber oheim. Nachdem E. L. ohne Zweiffell wissenn, was fur Irtumb Andreas Osiander, welcher numer verstorbenn, mit seiner verfurischen Leher in dem Hertzogtumb Preussen erregt vnnd angericht, auch darin, wie wir berichtet, vnsernn freundtlichenn Oheimenn vnnd Schwager denn Hertzogenn in Preussen, alß einen Alten Verstendigen vnnd weisen Fursten Ingleichnuss geleitet vnnd gefuert hatt. Vnd wiewoll vff S. L. bittenn vnnd ansuchenn vnserne furneme Theologen darinnen Ihre Christliche vnnd in Gotlicher Schrift ergrundete bedencken auch soviell angezeigt vnnd dargethan, daß gedachts Osianders Meinung Irrig vnnd verfurisch ist, welche bedencken auch S. L. hievor zugeschickt sein wordenn, so kompt vnns doch fur, dass S. L. derselben vngeachtet, dess Osianders Irtumb anhengig sein, dardurch dann in Preussenn Göttlichem Reinem Wort vnnd dem Heiligen Evangelio, auch den angerichtenn Christlichen Kirchenn, dessgleichen vielenn Gottseligenn grosse widerwertigkeit zerruttung

vnd ergerung entstehenn vnd erfolgenn mocht, welchs wir nitt gern horenn, Gonne auch solchs, zuvorderst gemeltem Hertzogenn vnd S. L. landtschafft gar nitt, dann do eß der gestalt lenger stehenn vnd bleibenn sollt, ist leichtlich zu erachtenn, wohin eß endlich gedeienn vnd gelangen wurde, darfur aber der Almechtige gnediglich sein vnd dasselbige mitt gnadenn abwendenn vnd verhueten wolle.

Nun wissen wir E. L. freuntlich vnd vertrewlich nitt zu bergenn, das viel gutthertzige in Preussenn, welchen dess Hertzogenn fall vnd beharlichen Vorsatz gantz mitleidlich, dartzu der kirchenn Zerrottung, die Sampt dem volck mit sollichem giff, wie die sachenn Itzo stehen, beschmeisset werden, zum hochsten bekummerlich, derohalben bei vnns gesucht vnd gebeten wordenn forderlich ein statliche schickunge von ansehnlichenn leuthenn beide vonn Theologenn vnd sonstenn in Preussen zuthun, ob vielleicht der Almechtige Gott sein gnadt verliehenn wolt das dadurch der hertzog widder gewonnenn vnd zu Recht gebracht, vnd berurter Irtumb aussgereutet, auch weiter abfall vorkommen mocht werdenn, Dieweill wir dann dem Hertzogenn mitt allem freuntlichenn Willenn geneigt vnd zugethann, wir auch nichts lieber wolten dann das Gotlichem allein Saligmachendem Worth vnd Evangelio sein lauff ann dem vnd anderenn ortenn Rein vnd unverfelscht gelassenn, So erkennen wir vnns schuldig, seint auch gantz willig, was wir dartzu fordernn vnd thun muegen, solchs an vnns nicht erwindenn zu lassenn, Darumb wir auch gantz entschlossenn, die Schickung, wie dieselbige als vorgemelt vonn gutthertzigen bedacht, an S. L. zuthun.

Nachdem nun aber, wie Ewer Lieb vnverborgenn, wir dieser zeit mitt städtlichen Leuthenn (die doch dartzu sollenn gebraucht werdenn) nit versehen, So weren wir willens denn wohlgebornenn liebenn besonderenn Walraden Gravenn zu Waldeck neben andernn denn vnsern Rethenn vnd Theologenn zu berurter Schickung vff vnsern vncostenn zugebrauchenn. Weill dann E. L. bie genantem Graffenn, als der E. L. tochter tochter hatt vnd also dem Hertzogenn verwandt ist, woll erhaltenn vnd erlangenn konnenn, sich dartzu als ein freunt zuvermuegenn lassenn, Dartzu sie dann sonder Zweifel fur sich selbst als einem Christlichenn vnd gottseligenn werk, vnd die freilig nicht weniger dann wir dem Hertzogenn mitt aller freundschaft zu gethann, vnd das S. L. in deme nach Gottes willenn mocht geholffen werdenn, one das geneigt sein, So haben wir nicht vmbgehenn muegenn Euch



derowegenn zuschreibenn, Vnd ist vnser freuntlich bitt, E. L. wolle dieses an ehegenantenn Graffenn vonn Waldeck forderlich gelangenn lassenn, vnnd fleiss habenn, Inenn dartzu zubewegen, wie sie dan vnser versehens woll werdenn zuthun wissenn, vnnd vffm fall, das er sich dartzu wolt gebrauchen lassenn, so must er sich nebenn andernn denn vnsernn furderlich vff die Reise machenn, wie Ihme dann vonn vnns vff Ewer widerschreibenn zeitt vnnd malstadt solt bestimpt werdenn, Ewer Lieb wollenn sich hierinnen freuntlich vnnd vnbeschwert ertzeigenn, wie wir vns freuntlich zu denselbenn versehenn, das seint wir vmb E. L. freuntlich zuverdienenn geneigt. Datum Weymar, dinstags nach dem heiligenn newen Jarstage anno domini xv<sup>c</sup>.Liiij.

Vonn Gotts gnadenn Johans Friederich der Elter Hertzog zu Saxenn vnnd geborener Churfurst Landtgraß in Duringen vnnd Margraß zu Meissenn etc.

Johann friderich. G. Churfurst  
 manu propria  
 Minckwitz D.

Dem hochgebornem vnserm liebenn Oheimenn Hernn Wilhelmen Gravenn vnnd hernn zu Hennebergk.

Perlectis itaque electoris litteris die ij Januarii Vitzenhagio fere hoc responsi in præsentia illustris dominæ Catharinæ a Henneberg, comitissæ in Schwartzburg viduæ charissimæ nostræ socrus, quæ et ipsa scriptis a patre et germano suis, ut calcar nobis adderet, quo facilius huic protectioni assentiremus, sollicitaverat, datum est, et eadem die Vitzenhagius ad suos principes iter ingressus est. Primo quod, quæ de benignitate, amico affectu et oblati obsequiis dixit, fusius et qua fieri potest benevolentia, in sinum illi refundamus. Præterea quod ad litteras illustrissimi ducis Saxonie nati electoris etc. benignissimi nostri principis attinet, nos ex his optimi principis optimum institutum summa cum lætitia legisse, mœrore vero non parvo ejus viri lapsum, cujus nomen literæ ipsius ducis exprimunt, nec absque intimo animi dolore percepisse. Nosque gratias immortales cum debita submissione animi non solum duci electori, sed dominis suis patri nimirum et affini nostris observandis et charissimis agere, quod dignum me duxerint, quo in tam pia functione uterentur, et certissime ipsis, quod pro fide et veritate mea affirmit, persuasum habeant, si non meo me modulo metiens tali oneri impariam comperiam, nullum in tota Germania esse principem, cui majore animi alacritate morem gerere cuperem, cujus in me meosque beneficia,

ne dicam quod ad religionem christianam attinet, mihi non ignota sunt. Insuper ut dominis Hennebergensibus nuntiet, si qua possim ipsis præstare grata, me non invitum facturum. Verum hæc tempora et præsentis domus ac regionis meæ status non permittunt, ut facile pro sua principibus digna prudentiâ domini mei considerare possent; quæ omnia sic esse principes Hennebergenses posthac latius et optimis rationibus edoceri et certiores fieri possunt. Omni igitur, qua possum, amica obtestatione et animi submissione precor, ut domini ab Henneberg hanc meam excusationem non pro efficta et vana detrectatione tam honesti negotii, sed pro necessaria et inevitabili benigniter et amice suscipiant et apud illustrissimum Joannem Fridericum ducem Saxonie electorem natum etc. quam humillime deprecentur. Si qua alias ipsis dominis tanquam patri et affini meis observandis et amicissimis inservire queam, spero quod animum meum ex facto noverint. Ad quorum officia una cum uxore et liberis me totum offero et cum modo aliud non possim, curabo ut in nostris ecclesiis suppresso tamen nomine, pro Alberto eorum amico, clementissimo principe meo oretur, ut Christus ipsum vere in sui agnitionem educere dignetur, insuper rogans, ne domini existiment, filiam et sororem ipsorum illustrem dominam Catharinam ab Henneberg comitissam in Schwartzburg etc. viduam, charissimam nostram socrum nihil ob eorum scripta apud me instituisse, quæ omnia, in quantum maternus amor permittit, præstitit.

Suscepta igitur excusatione nostra illustrissimus princeps Joannes Fridericus dux Saxonie elector etc. proxima septimana post dominicam Lætare hujus 1553 anni venerandum virum dominum Joannem Brentium a Wila verbi divini præconem in Hala Suevorum, item magistrum Joannem Stotzum concionatorem suum aulicum et nobilem Fridericum a Wangenheim huic legationi, ut voti tam sancti compos redderetur, piissimus princeps præfecit et ablegavit.

## GRAF WOLRAD AN BRENZ.

In antiquo dierum in Christo salutem et impletionem ut et si se-  
nerint tamen plantati in domo domini vegites permaneant.

Juxta ejus quem ut nomine sic nec non et re refers te alloquor, senior  
electe domine et amantissime Brenti, quamvis ecclesiae rebus nec non  
publicis ac domesticis d. t. obrutum sciam tamen confusus de nostra <sup>1</sup>  
Ratisbonae inita et Stutgardiae renovata amoris ergo mihi inhibere non  
potui his paucis d. t. interpellare. Et primum quasi post somnum dul-  
cissimam quietem rerum (si veteribus poetis fides esse debet) in mentem  
aliquando d. t. venire arbitror, quod olim Ratisbonae dum pie memoriae  
divus Joannes Diazus Iberus Christi mox martyr Neuburgi ad Danubium  
factus me semel atque iterum chartas illinentem inveniens pro suo (ut  
nosti) more scire cupiens quidnam iis naeniis conarer, ipsi me interro-  
ganti, respondi, me singulis diebus unam vel ducere lineam velle, quid  
rerum illic ageretur quod cum viro illo sancto (ut ni fallor candidissimi  
erat ingenii) homini mirum in modum cordi fuit. Sic itaque ab eo tem-  
pore id per singulos dies mihi et si non Musis, quarum mihi profecto  
nulla est gloria, sed tamen refractioni memoriae tentavi. Sicque forulo ubi  
libuerit d. t. libandas ipsas meas naenias anno elapso Studgardiae praesens  
ut patri et amico tradidi. Et nunc macte candore doctrinaque Joannes  
mihi in mentem venit, promissi de Augustana mea perfectione, quas  
miscellaneas <sup>2</sup> non etiam morionibus, etiam sua sunt nomina eidem d. t.  
charissimo patri et amico pro fidei tuae dexteritate transmitto utinam  
autem superesset aetas memoria et ocium lectionis mihi contingere pos-  
set, ut de omni vita operatione utraque fortuna d. t. ejusdem argumenti  
volumina tua manu descripta (sed deo gratiae bonum et notum nomen  
tuum est coram ecclesia:) obtingerent, viderer mihi plus thesauri in mul-  
torum etiam piorum maxime adolescentium consequuturum, quam olim

\*

1 de nostra amicitia? oder etwas der art. 2 So hat Wolrad eigen-  
händig corrigiert. Es war: „macelaneas.“

splendidi Romulidæ quamvis charissimo pretio sibilina volumina æstimationi duxere. Sed de his satis. Valetudinem d. t. quam a deo prosperam spero, scire aveo, et rerum tuarum fortunam ecclesiam domini tibi curam esse scio, et dominum tui custodem fore, nostra adhuc Christo gratia, mediocriter ecclesia viget, ut tamen domini nostri consuetudo est, non adeo numerosa viris concionatoribus.

Quod autem modo d. t. occupationes interrumpo causa est oportunitas nam hic amanuensis noster qui post obitum priorum et nobis fidelium Hermanni Nellii et Calebi Tryopheri nobis in justa munia secretarii nuper obvenit patriam ire veniam petierit, et non multis miliaribus a vestra ditione, dihabitet, illi injunximus ut promissas chartas d. t. adferret cui fidem habeas, et ejus et meæ stoliditati ignoscas rogo erratis, quorum cophini non uni referti sunt pro tua paterna amicitia ignosce. Salvus domi ecclesiæ et foris perpetim in domino sis ac vale! Salutatur te costa nostra charissima Anastasia iterum Eubulumque tuum esse scito, nostrorum omnium in præcationibus tuis sis memor. Datum et exhibitum Isenbergæ 13 Augusti anno salutis nostræ millesimo, quingentesimo sexagesimo quarto.

D. T. deditus  
Wolradt g. z. Waldeck  
manu propria.

Vere pio et doctissimo celeberrimoque de ecclesia Christi optime merito domino Joanni Brentio Wirtembergici ducatus ecclesiarum antistiti summo, colendo patri et amico suo.

## ANHANG.

(Zu seite 205.)

Allerdurchleuchtigster Großmechtigster vnd unuberwintlichster Romischer Keyser, Es hait mir mein Weib angezeigt E. Key. Majestät gnedige antwort, hab daruff Ir beuolhen, das sie in allen Artickeln der Capitulation, die noch nit aufgericht weren, furderlich vnd eilendt, die neben meinen Rethen volnfueren laisse, vnd wie Ich von Ir verstanden, so haben Ir meine Rethen angezeigt, das sie mit brechung der vestungen wie es E. Key. Majestät Commissarien angeben, gantz In kurtzer zeitt fertig sein wollen.

Sie hait mir auch angezeigt das Ir meine Rethen geschrieben das sie bunts Abschiede E. Key. Majestät oder den beiden Churfursten zugeschickt, wie Ich nun hoffe das E. Key. Majestät die bekommen haben.

Ich hab Ir auch bevolhen, das sie neben meinen Rethen, mit allen clagenden partheien, die des vergangen zugs mich anzufordern vermeinen, sich von meint wegen mit In vertragen vnd sie zu fridt stellen sollen. Wa aber sie so gantz beschwehrlich vnd vnleidentlich ertzeigen vnd nit contentieren lassen wolten: So will Ich E. Key. Majestät oder Irer Majestät Commissarien weisongh leiden, Diß zeig Ich E. Key. Majestät darumb an, das E. Key. Majestät gewißlich befinden, das an der Capitulation an allem an mir kein mangel sein solle. Sonder das Ich die trewlich leisten vnd halten will.

Ich hab auch, allergnedigster herr vnd keyser, das Interim, das E. Key. Majestät vff heimstellung der Chur vnd fursten vnd anderer Stende furgenommen, wie es biß vff das angefangen vnd bewilligt Concilium gehalten werden soll, nu etlich maill gelesen, Vnd befinde nach meinem geringen verstande, das es In den mehrertheilen Artickeln gantz Christlich ist. Es seint woll etlich artickel die Ich nit genugsam verstehe, Das Ich sie auß gottlicher Biblischer schrift beweren konte, sie seint aber so alt vnd vor vielen hundert Jahren, bey den alten lehrern Martirern vnd Christen Im brauch gewesen, vnd von Inen gehalten,

wie Ich das in Eusebio Cæsariensi, in Tripartita vnnnd Ecclesiastica historia, vnnnd bei sanct Johann Chrisostomo vnnnd andern gelesen. Dero halben Ich meins Haupts nit sein will, vnnnd mich weiser duncken, den die lieben alten heiligen lehrer vnd Marterer, die Ir Blut vmb Christi vnsers seligmachers willen vergossen haben. Vnnnd sonderlich dweill Ich nicht zweiuell das E. Key. Majestät solichs Interim auß hoher keyserlicher vernunft von got begabt, vnnnd mit Raith weiser vnnnd gotseliger leuthe vorgenommen haben.

Will darumb E. Key. Majestät zu gehorsam vnnnd vnderthenigkeit solich Interim annemen, bewilligen, vnd mit fleiß vnnnd Ernst in meinem lande es halten laissen, vnd so E. Key. Majestät mir gnediglich heim erlauben, daruber halten.

Euwer Key. Majestät sollen sich auch zu mir versehen, das Ich E. Key. Majestät vnd Romischer kuniglicher Majestät vnd Iren Erben, parthen vnnnd in Irer hulff gegen alle außwendige potentaten, die E. Key. Majestät zu widder sein wollen, Es sey Bapst, Turck, Franckreich, Polenn, Dennemarck, Schweden, Engellandt, Schwitzer, oder wer die seint, sein wille.

Vnnnd womit Ich E. Key. Majestät, auch der Romischer kön. Majestät Sone vnd Erben erhöhen helffen vnnnd furderen kan vnd mag, das Ich darzu kein fleiß, muehe vnd arbeit sparen will. Ich will auch E. Key. Majestät parthei vnd in Irer hulff sein, gegen alle in Teutschlandt, niemandt außgescheiden, die E. Key. Majestät zu widder vnnnd vngheorsam sein wollen.

Ich bitt aber E. Key. Majestät vmb gots Almechtigen, Auch der Mutter Gottes, aller Engell vnd Heiligen willen. E. Key. Majestät wolle mir gnediglich all das vergeben, damit Ich E. Key. Majestät zu widder gewesen, oder sie erzornet hette, vnnnd solichs nit allein als ein milter vnnnd gnediger keyser, dem solichs vom geblut Osterich angebornen, vnd gegen andern sich vilmal erzeigt, Sonder als ein Christenlicher Keyser vnnnd Vatter mir vergeben, wie E. Key. Majestät von got vergebung begeren vnnnd hoffen.

Vnnnd wolle auch gnedigst erwegen vnnnd ansehen, daß Ich dannest ein harte buß getragen, am negsten vergangen Dinstag ein gantz Jair in E. K. Majestät Custodie gewesen.

Auch E. Key. Majestät vnnnd dem Hern von Bueren E. Key. Majestät Obristen in Niderlanden mehe den zwaymal hundert tausent gulden durch mich vnd meine vnderthon geben laissen.

Hab E. Key Majestät an geschutz vnnnd Munition vberrreichen laissen, das mich in die zweymalhundert tausent gulden costet.

Die vestungen die Ich hab nach Inhalt der Capitulation brechen laissen, haben mich mehr den dreymalhundert tausent zu bauwen gestet.

Vnnnd bin warlich in sollichem vnrait vnnnd verderben, das Ich vnnnd meine Kinder es schwehrlich in vielen Jaren verwinden werden. Hoff E. Key. Majestät werde vetterlich ermesen, das Ich numehr ain harte vnnnd schwehre buß vmb mein verwurckung getragen.

Vnnnd mir also gnedig vnnnd barmhertzig sein, auß keyserlichem tugentlichem vnnnd vetterlichem gemuet mich aufs furderlichst gnedigklich auß dieser Custodien erledigen vnnnd mein gnediger her vnd Keyser sein.

Vnnnd mich zu E. Key. Majestät allergnedigst erfordern, So will Ich diese obgemelte meine erbieten E. Key. Majestät gnugsamlich mit meinen briuen vnnnd Insiglen versichern.

Ob auch E. Key. Majestät einichen Zweiuel hetten, das Ich den Artickeln, die in der Capitulation verleibt, nit gnug thuen wurde, So will Ich mich verpflichten, das so Ich an dem seumich, das In der Capitulation begriffen, vnnnd noch nit außgerichtet were, da mich Gott vor behute, das Ich alsdan alles mein lande, leuthe vnnnd gute verlustigt sein will, vnd in die acht damit gefallen sein.

Will auch E. Key. Majestät vber das meine Sone zwen auch etlich vom Adell vnnnd landtschafft meins Landes zu Gyseln haben biß so lang die dinge die in der Capitulation noch nit volnbracht, volkomenlich außgerichtet werden, Will Ich sie E. Key. Majestät vor Gyseln zustellen.

Vnnnd so mich E. Key. Majestät zu Ir allergnedigst erfordern, bitt Ich in vnderthenigkait, wolle mir, so sie vber das vnd diese meine erbieten, noch weiters vnd mehrers von mir begehren, Ir gnedig gemuet ertzaigen So solle E. Key. Majestät befinden, das in allen dem mir moglich E. Key. Majestät willfaren will.

So aber E. Key. Majestät in dem mich zuerfordern bedencken hetten (als Ich doch nit verhoff) So wolle E. Key. Majestät Irer Rethe, mein hern vnd freunde den Bischoff von Arras, E. Key. Majestät Secretarien Eraso vnnnd den von Liera, oder wer E. Key. Majestät gefellig verordnen, an ort die E. Key. Majestät gefallen, schicken vnnnd mich zu Inen bringen laissen, So will Ich alle obgedachte erbieten mit briuen vnd meinem Ingesiegell versichern.

Auch von Inen was E. Key. Majestät allergnedigt gemuet ist, vnnnd

sie von mir haben wollen oder begehren, vnderthenigklich hören vnd vernemen, Vnd will mich dermaissen erzeigen, das E. Key. Majestät des ein gnedigs gefallen haben sollen.

Bitt E. Key. Majestät nochmaln, vmb Gottes seiner lieben Mutter vnd aller Engeln vnd heiligen willen, wolle mir gnedigklich vergeben, ein gnediger Keyser vnnnd herr sein, vnnnd mich furderlich gnedigklich erledigen.

Vnnnd mich des nit entgelten lassen ob andere E. Key. Majestät willen nit thuen wollen, vnd E. Key. Majestät vngehorsam weren. Dan Ich will E. Key. Majestät gehorsamer vndertheniger furst vnnnd der parthei vnnnd Hülff sein.

Bitt allergnedigste troistlichste antwort vffs furderlichst, domit Ich armer vnnnd betrubter furst mich der von E. Key. Majestät zu erfreuwen hab, das will Ich die Zeit meins lebens vmb E. Key. Majestät vnnnd die Rom. Konigk. Majestät auch Euwer beiden Majestäten Sone vnnnd Erben vnderthenigklich mit leib vnnnd gut verthienen, vnd meine Sone dahin weisen solichs zuerthienen. Der Almechtig Gott wolle E. Key. Majestät in langkwiriger gesuntheit fristen vnd erhalten. Datum Hailbrun freitag den xxij<sup>ten</sup> Junii Anno 1548

E. Key. Majestät

vndertheniger gehorsamer furst

Philips Landtgraiff zu Hessen.



## EIN ZETTELL.

Allergnedigster herr vnd Keyser. Es wirt mir angetzeigt, wie das etlich mich bey E. Key. Majestät vervnglimpfen vnnnd antragen sollen. Ist meine hoigste bitt E. Key. Majestät so Ir etwas von mir angezeigt ist oder wurde, Es sey von Teutscher oder anderer Nation zungen, E. Key. Majestät wolle mir solichs anzeigen vnnnd vermelden lassen. So soll E. Key. Majestät mein warhafftig vnnnd vnderthenigste antwort zu aller Zeit dermaissen befinden, das E. Key. Majestät des ein gut gefalens vnd benuegen allergnedigst haben werden.

Ich bitt vffs allervnderthenigst E. K. Majestät wolle mich allergnedigst furderlich erledigen, vff das Ich E. Key. Majestät mit meinem leib zu E. Key. Majestät gelegenheit desto trewlicher vnd mit gesuntheit dienen konne. Beuele Ich mich E. Key. Majestät vnderthenigklich.  
Datum ut in litteris.

## SCHLUSZWORT DES HERAUSGEBERS.

Wolrad II graf von Waldeck darf mit vollem rechte den bedeutendsten persönlichkeiten des sechszehnten jahrhunderts beigezählt werden. Durch wissenschaftliche bildung die meisten seiner standesgenossen überragend, von aufrichtiger frömmigkeit beseelt und für das wohl seiner unterthanen väterlich besorgt, war er bei vornehm und gering allgemein geachtet und wurde wiederholt zu aufträgen berufen, die ein ehrendes zeugnis für seine außergewöhnliche tüchtigkeit ablegen. Der reformation anfangs abhold war er ihr nachher aus überzeugung zugethan und suchte sie in seinem lande auf alle weise zu fördern. Von seinem lehnherrn, dem landgrafen Philipp von Hessen und einigen andern reichsständen war er im jahre 1546 als ein tüchtiges rüstzeug ausersehen worden, dem religionsgespräche zu Regensburg als auditor beizuwohnen, und rechtfertigte in hohem maaße das in ihn gesetzte vertrauen, wiewohl er auch durch seine unerschrockenheit und festigkeit mancher gegner bittere feindschaft und besonders des kaisers ungunst sich zugog.

Diese ungunst des kaisers steigerte sich nicht lange nachher zu einer förmlichen ungnade, weil Wolrad auf veranlassung seines genannten lehnherrn am schmalkaldischen kriege antheil genommen, wenn auch den kriegszug selbst nicht persönlich mitgemacht hatte. Zwar waren in der mit dem landgrafen Philipp abgeschlossenen capitulation vom 16 Juli 1547 des landgrafen unterthanen und diener mit inbegriffen; allein der kaiser wollte die grafen von Waldeck durchaus nicht als hessische unterthanen anerkennen und erklärte, sie seien lediglich und allein grafen des reichs und folglich von jener capitulation ausgeschlossen. So wurde denn dem grafen Wolrad und seinen beiden halbbrüdern Philipp und Johann bei strafe der acht aufgegeben, auf dem 1548 zu Augsburg abzuhaltenden reichstage sich persönlich einzufinden und wegen ihrer

theilnahme am schmalkaldischen kriege sich zu rechtfertigen. Der am 12 März 1548 insinuierten citation, nach welcher sie am 16 April vor dem kaiser sich zu stellen hatten, musste natürlich, wenn nicht schlimmeres eintreten sollte, folge geleistet werden. So trat denn graf Wolrad mit seinen brüdern und seinem neffen Samuel, der zwar nicht mit vorgeladen war, aber auf seines vaters Philipp befehl und aus eigenem willen sich anschloß, am 5 April die reise an, von der er erst am 22 Juli nach Waldeck zurückkehrte.

Auf der hin- und rückreise, sowie auch während seines aufenthaltes zu Augsburg selbst, führte er, wie er es gewohnt war, ein genaues tagebuch, worin er, sich selbst mit Eubulus, einer übersetzung seines namens Wolrad, bezeichnend, alles wichtige, das ihm begegnete, ausführlich und mit großer sorgfalt verzeichnete. Sein secretär Johann Nellius schrieb dasselbe nach der heimkehr ins reine und beendete diese arbeit am 24 Februar 1549. Dieses tagebuch, welches hier in seiner vollständigkeit mitgetheilt wird, belehrt uns nicht nur zuverlässig, wie arg dem edeln grafen mitgespielt wurde, sondern enthält auch für die geschichte jener zeit des wichtigen und interessanten so viel, daß die herausgabe desselben wohl nicht erst einer rechtfertigung bedarf.

Die handschrift, deren sich der herausgeber bediente, befindet sich in der herzoglichen bibliothek zu Wolfenbüttel, deren hochverdienter vorstand ihre benutzung mit bekannter liberalität, wofür ihm die freunde der litteratur mit dem herausgeber zu aufrichtigem danke verpflichtet sind, gestattete. Sie enthält 153 beschriebene folioblätter und trägt die bezeichnung MS. 30, 5 Aug. Sie ist von Reinhard Trygophorus (Hefenträger) geschrieben, vom grafen Wolrad revidiert und mit dem am schluß abgedruckten begleitschreiben, welches im original in die handschrift eingeklebt ist, dem berühmten theologen Johann Brenz als geschenk zugesandt worden. Wie dieselbe nach Wolfenbüttel gelangte, war nicht zu ermitteln. Eine andere handschrift unseres itinerariums soll sich früher im besitze Eggelings zu Bremen befunden haben und eine andere noch im fürstlich waldeckischen archive verwahrt werden, wo sie von Varnhagen (s. dessen grundlage der waldeckischen landesgeschichte, 2 th. Arolsen, 1853, s. 193) benutzt worden ist. Über den schreiber der Wolfenbütteler handschrift und über die um die reformation im Waldeckischen verdiente familie der Trygophori finden sich gute nach-

richten in Varnhagens eben genanntem werke, sowie in dessen büchlein »einführung des christenthums in Waldeck und dessen herstellung durch die reformation, Marburg, 1813«, und in Hamelmanni opp. geneal. hist. p. 851 ff.

Die an der spitze der zuschrift des Trygophorus s. 3 stehenden buchstaben C. D. T. T. C. M., welche auch auf mehreren denkmälern und büchereinbänden Wolrads gefunden werden, sind die anfangsbuchstaben seines wahlpruches, psalm CXIX, v. 120: *Confite, Domine, Timore Tui Carnes Meas.*

Auch bei dem religionsgespräche zu Regensburg hat Wolrad, wie aus seinem briefe an Brenz hervorgeht, ein tagebuch geführt und ein exemplar desselben dem genannten »ut patri et amico« persönlich zugestellt. Nach Varnhagen soll sich auch ein exemplar desselben im fürstlich waldeckischen archive noch jetzt vorfinden. Es wäre sehr zu wünschen, daß dasselbe, wenn es anders an wichtigkeit dem vorliegenden gleichkommt, im interesse der historischen wissenschaften ebenfalls der öffentlichkeit übergeben würde. Der herausgeber des gegenwärtigen würde gerne dieser arbeit sich unterziehen.

Der anhang, welcher nach der versicherung des Herrn Archivars Landau zu Cassel bisher unbekannt und ungedruckt war, ist aus der jetzt zu Münster aufbewahrten kindlingerischen handschriftensammlung (band 69) entlehnt.

## REGISTER.

- Abendmahlfeier zu Augsburg 45.  
 Abt von Kempten und seine bauern 109.  
 Adler, Jac., dessen garten 103. 181.  
 Agricola von Eisleben, Joh., 32. 159.  
 Aldenbokum, Matth. von, 28.  
 Allium, seine heilkraft 97.  
 Altenburg, graf Christoph, 177.  
 Amelungsen, Herm. von, 17. 52.  
 Anagallis, deren heilkraft 194.  
 Apiani astronomicum 158. 166.  
 Aquila, Casp., 237. 238. 240.  
 Arnold, deren haus demolirt 10.  
 Arnstadt, grabdenkmäler 242.  
 Atrebatensis, sieh Granvella.  
 Augsburger, müssen große summen zahlen 14; ihr reichthum 25; ihre liebe zu gottes wort 35.  
 Babadilla 32.  
 Badelust deutscher frauen 221. 222.  
 Ballspiel der Spanier 107. 110.  
 Barbirius, Petr., mit undank belohnt 32.  
 Barchentmacher zu Augsburg, 56.  
 Baumgartner, Hieronym. 9. 212. 213.  
 Beumelburg, Beyneburg, Beuneburgk, Conr. von, 11. 93. 119. 163.  
 Bier, Corbacher, 116.  
 Beuren (Büren), Max von, 11.  
 Bilk, Carmelitergeneral 33. 163.  
 Blanckenburg, schloß 227. 228.  
 Brandenburg, Albert von, 14. 16. 17. 140. 218. Joachim 6. 18. 19. 20. 191. Johann 145.  
 Braunschweig, Elisab. von, 19. Erich 69. 181. Ernst 14. 80.  
 Bremen 65.  
 Brenz, Jo., 78. 254. 255.  
 Bucerus, M., 15. 18. 31. 56. 75.  
 Bugenhagen, Joh., sein tod 7.  
 Burg, Rötger auf der, goldschmied 8. 213. 223.  
 Cæsar, Martin, 206. 208.  
 Canciuncula, Claud., 31.  
 Capaunen und rebhühner aus Mecheln nach Augsburg gebracht 98.  
 Carbonarius (Colbecher), Wendelin, 5. 20. 29. (Varnh. II. p. 199.)  
 Cochlæus, Joh., 85.  
 Cöln (erzbischof Adolf III.) 6. 11. 15. 66. 106. 107. 112. 115. 133. 137. 152. 153.  
 Colloquium zu Regensburg 59. 146. 147.  
 Colmann, Joh., waffenschmied 49.  
 Courier, ein kaiserlicher, bei Speier beraubt 90.  
 Cronenberg, Herm. von, 11.  
 Dalwigk, Franz von, 16. 222.  
 Dengen, graf v., ein gewichtiger mann 135. 136.  
 Dernbach, Christoph von, 6.  
 Diaz, Joh., märtyrer 10.  
 Dom zu Augsburg, gemälde darin 99.  
 Draco, Alb., 215. 217. 219. 221. 224. 229. 232. 234. 239. 240. 247.  
 Eberstein, Phil. von, 2. 17.  
 Ebner, Hier., 8. 211.  
 Eck von Landeck, Nic., gegner der reformation 176.  
 Egmont, graf 117. 137.  
 Eid der geistlichen 226.

- Englands gesandter 137.  
 Exequien des königs von Polen 61.  
 66. 69. 71.  
 Eyden, Petr., 9.  
 Fahnen mit inschrift 48.  
 Ferdinand, könig 11. 24. 107. 130.  
 Fest in Vit Wittichs garten 172.  
 Firmelung durch den cardinal von  
 Truchseß 105.  
 Flechdorf, abt Meinulf, 10.  
 Florus, Liborius, 10. 15. sein vortrag  
 bei Granvella 22. (S. über ihn Varnh.  
 II, p. 194.)  
 Frecht, Mart., 13.  
 Friesland, Ost-, 36.  
 Frohnleichnamsp procession 128. 184.  
 Fugger 32. 40. Antons prachthaus 205.  
 Fuggerei, die, 84. 85.  
 Fürer, Christoph, 212.  
 Fürstenberg, Frid. von, 77. 147.  
 Fußfall vor Karl V. 180. 187. 191.  
 Galacteus, s. Milchling.  
 Gesse, Hans von, 21. 33.  
 Gewürzmühle 72.  
 Gießmeister und eiseler in erz 86.  
 Gobler, Just., 18.  
 Graff, Christoph, 245.  
 Granvella 15. 21. 22. 28. 40. 41. 47.  
 48. 56. 60. 65. 71. 74. 77. 90. 91.  
 95. 98. 110. 120. 123. 127. 132. 135.  
 141. 144. 180. 187. 237 ff.  
 Grumbach, Wilh. von, 17.  
 Grusen, Laur. von, 38.  
 Hake, Joh., 5. 47.  
 Haller von Hallerstein, Wulf, 158.  
 Harst, Carl, 13. 15.  
 Hase, Melch., 12. 14. 17.  
 Heddewich, Gerh., gesandter in Con-  
 stantinopel 33. 164.  
 Henneberg, grafen, Wilh. und Georg,  
 5. 6. 231. 233.  
 Henricus, Joh., prediger zu Augsburg  
 28. 69. 97. 103. 111. 112. 115. 119.  
 128. 138. 151. 156. 164. 169. 175.  
 186. 222. 239.  
 Herbrod, sein garten 49. 95. bestraft  
 186.  
 Hesse, Joh., prediger zu Breslau 18.  
 Hessen, landgraf Philipp 7. 9. 16. 61.  
 139. 200. 205. Sein schreiben an  
 den kaiser s. anhang.  
 Hessen, Christina dessen gemahlin 10.  
 49. 66. 69. 98. 95. 119. 139. 153.  
 164. 171. stirbt 1549 15 Dec. grab-  
 schrift 248.  
 Hilchen, Joh., 36. 43.  
 Hildesheim, vertrag des bischofs mit  
 Heinrich d. ä. von Braunschweig  
 181.  
 Hoffmann, Christoph, 237.  
 Hoffmeister, mönch von Colmar 7. 8.  
 Hogsteter, Jac., banquier 41.  
 Hoia, grafen, 17. 31 und öfter.  
 Höxter, stadt, bestraft 169.  
 Hummel, Jo., pfarrer zu Memmingen,  
 tüchtiger astronom 86.  
 Inschriften. Im dom zu Augsburg 52.  
 am rothen thor daselbst 158. auf  
 einer uhr 168. zu Weissenburg 209.  
 Interim, das, 38. 39. 71. 98. 94. 97.  
 100. 103. 105. 108. 127. 128. 130.  
 139. 145. 169. 192. 194. 211. 221.  
 223. 231. 257.  
 Juristen, deren habsucht 97.  
 Karl V., kaiser 25. 29. 110. 111. 117.  
 179. 186. 187. 191.  
 Karte von Amerika 216.  
 Kaufleute von Augsburg speculiren  
 auf waldeckische bergwerke 24.  
 158.  
 Kette, goldene, versetzt 213.  
 Kettler, Gotthard und Wilh. von, (nach-  
 mals bischof von Münster) 72. erz-  
 kämmerer der erzbischöfe von Cöln  
 154.  
 Kloster S. Udalrici zu Augsburg 84.  
 Kniphausen, D. v., 177.  
 Knisler, königl. quartiermeister 49.  
 Kur- und andere fürsten bitten ver-  
 geblich für die grafen, welche auf

- befehl ihrer lehns Herren am kriege theilgenommen 125.
- Leonard, Granvellas diener 65.
- Leonardus, prediger zu Augsburg 43. 46. 64. 90. 91. 96. 109. 121. 195.
- Linck, Wencesl., 18.
- Linde, Melch., Wolrads canzler, öfter. (Er wird auch Melch. Göbel genannt und stammte aus Blanckenstein an der Ruhr. Varnh. II, 195.)
- Logus (von Logau), Georg, 18.
- Luther, eine an ihm versuchte vergiftung 203.
- Maier, Nic., 14. 37 und öfter.
- Mainz, erzbischof von, 78.
- Maier, Georg, 8.
- Malvenda 7. 18. 146.
- Mansfeld, Albert, graf von, 36. 176.
- Manuscripte, griechische, von Corfu nach Augsburg gebracht 129.
- Marchio elector, s. Brandenburg, Joachim.
- Marquard, Dr., 13. 14. 15. 17. 30.
- Martyr, Petr., 33.
- Maximilian I. Sein Lieblingsbrunnen 105.
- Maximilian, erzherzog, 15. 17. 77. 157.
- Melanchthon, Ph., 7. 18 und öfter.
- Meßopfer, unwürdige verhöhnung desselben 140.
- Michael, suffragan von Mainz 102. 104. 105.
- Milchling, Jo., der ältere 5. 19 und öfter; Jo. der jüngere 5. 7. 14. Johann, teutschmeister 9. (Vgl. Varnhagen II, 196.)
- Mönche. Spottvers auf sie 208.
- Morde zu Augsburg 56. 80. 81. 91.
- Münster. Bischof Franz soll truppen zur belagerung von Verden stellen 86.
- Musculus, Wolfg., prediger zu Augsburg 12. 25. 31. 32. 34. 39. 45. 50. 54. 61. 67. 78. 81. 86. 94. 100. 103. 105. 117. 125. 130. 140. 148. 160. 166. 173. 177. 182. muß Augsburg verlassen 195 ff. 213. 222.
- Musiker, italienische 27.
- Nassau (-Dillenburg), Wilhelm von, 5. 11. 14. 15. 16. 18. 41. 52. 66. 141. 163. 184. 194. 197. 198.
- Nassau, Philipp, 91. 98. 124.
- Nassau (Saarbrücken), Joh., 65.
- Nellius Sperans (Hopen), Herm. und Joh., beide in Wolrads diensten (Varnhagen II, 198) 5. 19 und öfter.
- Nürnberg 8. sonderbares essen 209.
- Obernburger, Petr., 27 und öfter.
- Ochinus, Bernh., 33.
- Osiander 7. besonders 251 ff.
- Öttingen, graf Wolfg. von, 191.
- Otto, silberschmied zu Augsburg (ein Cölner), seine diamantschleiferei 48. 49.
- Pabst. Tritt Parma und Piacenza ab, unter der bedingung, daß seine söhne gouverneure bleiben 12.
- Paderborn, bischof Rembert von Kerssenbrock 12.
- Pagen des kaisers 61. des erzbischofs von Cöln 152.
- Papenheim, reichsmarschall 20. 188 ff. 197.
- Papiermühlen 56.
- Pfalz-Baiern, Ott Heinrich von, 10. 191.
- Pfinzinger, secretär Granvellas 48. 197.
- Pflugk, Jul., 74. 130.
- Philippus, hofprediger zu Mansfeld 6.
- Pommern, herzog Philipp von, 211.
- Predigt des reinen evangelii zu Constantinopel 38.
- Preise: des regalpapiers 56. eines ansehnlichen hauses 33. eines reichgearbeiteten kollers 49. eines pferdes 96. des kupfers 107. eines dolches 171. eines goldenen kettleins 198. eines ofens 231. einer taschenuhr 187. 189. von büchern 158. 161. 166. 185. eines siegels 242.
- Ratten, gibt es nicht zu Augsburg 18.

- Rebellen, deren bestrafung, 54.  
 Reichstag zu Augsburg, dort anwe-  
 sende fürsten 11—12. schließt am  
 30 Juni 1548, 239.  
 Reitpeitsche mit einer darin ange-  
 brachten sanduhr 223.  
 Rhembda, burg und stadt 241.  
 Ritberg, Otto von, 16. 92. 103.  
 Rudolstadt. Prächtiges pfarrhaus 227.  
 büchersammlungen daselbst 233.  
 Rumrhod, Erasm. v., 20.  
 Sachsen. Johann Friedrich 7. 12. 38.  
 40. 115. 203. 209. 238. sein ring  
 214. seine schreibtafel 223. Moriz  
 10. 17. 19. 20. 114. 139. Johann  
 Ernst 214.  
 Schertel von Burtenbach, Seb., 25. 32.  
 33.  
 Schwarzburg, schloß 234. 235. abstam-  
 mung der grafen 216. Anastasia,  
 gräfin, Wolrads gemahlin, und de-  
 ren mutter, und geschwister 226  
 und öfter. Joh. Heinrich 218. 225.  
 Günther 243. eine gräfin, geborne  
 herzogin von Cleve, bestraft 222.  
 war eine gute malerin 243.  
 Schwarzenberg, Frid. von, und sein  
 sohn 36.  
 Schleben, Staculus von, 20. 21. 31.  
 Schwendi, Lazarus, 85.  
 Schwenck, Otto, 5.  
 Seld, Phil. und Christoph 2. 7. 74. 123.  
 125. 147. (Varnh. II, 198. 199.)  
 Sickingen, Conr. Franz von, 42. 65.  
 Silberschmelze der pinzinger 214.  
 Simon von Montabaur, leibarzt des  
 erzbischofs von Trier 135. 152.  
 Solms, grafen. Ernst 11. 16. 19. 152.  
 Eberhard 152. Reinhard 13. 19.  
 Spanier und deutsche 43.  
 Sturm, Jac., 179.  
 Tänze 233. 239. 240. um feuer in den  
 straßen Augsburgs 169.  
 Teufelsspuk 234.  
 Theodorus, Vitus, pfarrer zu Nürn-  
 berg 7. 18. 22. 209. 211. stirbt (1549)  
 248.  
 Trier, erzbischof von (Johann IV. von  
 Isenburg) 6. 17. 36. 116.  
 Truchseß, cardinal-bischof von Augs-  
 burg 105. 203.  
 Trygophorus, Reinhard, 3. Caleb 256.  
 Tunis, könig von, zu Augsburg 74.  
 75.  
 Türken 101. 184. 185.  
 Uhren 17. 139. 213.  
 Ungnad, Joh., 159.  
 Veldburg, Velberg 163. Vitus von, 152.  
 Verden belagert 86.  
 Vhar, Uhar 5. 246 (der hof Fahr im  
 niederhessischen amt Melsungen).  
 Viglius, Zuichenus 29. 37. 38. 108.  
 112. 114. 132. 146. 197. 198.  
 Vogelsberger, Sebast., 33.  
 Volckmar, Georg, 8.  
 Waldeck, graf Wolrad und seine ge-  
 mahlin Anastasia, seine brüder Phi-  
 lipp und Johann, graf Samuel, fast  
 auf jeder seite. Heinrich, bastard 5.  
 Weingarten, Abt von, 36.  
 Weißenburg, stadt 9. 208. 209.  
 Welbergk, Wolf von, 11.  
 Werl, brand daselbst 153.  
 Werthheim, grafen 17.  
 Wette, sonderbare 57.  
 Wicelius, Georg, 18.  
 Wildenmarker, Leonh., 10. 31.  
 Wilhelm, secretär des grafen von Nas-  
 sau 14.  
 Wirtenberg, lehnsverhältnis 49. spa-  
 nier daselbst 53.  
 Wirtenberg, Ulrich von, 11. 33. 38.  
 Christoph von Württemberg und  
 Mümpelgard 171. 191.  
 Witgenstein, graf Wilhelm d. j. 15.  
 17. 152.  
 Wittich, Vitus, sein garten 103. 172.  
 Wolmerkhusen, Herm. von, 5.  
 Zertzen, Adr. v., 7. 11. 14. 15. 20. 21.  
 48 und öfter. Erich, bastard 11.



## DRUCKFEHLER.

seite 180 zeile 6 von oben lies qui sint sontes.

seite 190 zeile 16 von oben lies ocus.

seite 196 zeile 6 von unten lies modo tam.

seite 199 zeile 13 von oben lies ex unguibus aquilarum.